This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

49-174.

RERUM

HUNGARICARUM

MONUMENTA ARPADIANA.

EDIDIT

STEPHANUS LADISLAUS ENDLICHER.

BODLEIANA · BIBLIOTHECA

SANGALLI

SCHEITLIN & ZOLLIKOFER

1849.

INDEX.

Pag.

SCRIPTORES.

Anonymi Belæ regis notarii de gestis Hungarorum liber . . 1
Chronicon Posoniense 55
Cronica Hungarorum 60
M. Simonis de Keza gesta Hunnorum et Hungarorum . . . 83
Pilgrinus Laureacensis de conversione Hungarorum 131
Mauri episcopi Quinqueecclesiensis vita SS. Zoerardi s. Andreæ confessoris et Benedicti martyris, eremitarum 134
Sancti Stephani regis Hungariæ Legenda major 139
" " " " " minor 154
Hartvici episcopi Vita S. Stephani regis 163
Legenda S. Emerici ducis 193
Lectiones de S. Gerardo episcopo et martyre 202
Vita S. Gerardi, Moresanæ ecclesiæ episcopi 205
Legenda S. Ladislai regis Hungariæ 235
Status regni Hungariæ sub Bela III. rege 245
Census romanæ sedis in Hungaria 247
De facto Ungariæ magnæ a Fr. Ricardo ordinis FF. Prædicatorum invento tempore domini Gregorii IX. 248
M. Rogerii canonici Varadiensis Carmen miserabile 255

LEGES.

S. Stephani regis de morum institutione ad Emericum ducem liber 299
" " Decretorum libri II. 310
Ladislai regis Decretum I. 325
" " " II. 334
" " " III. 340
Synodus Strigoniensis prior habita sub Colomanno rege . . . 349

Pag.
Decretum Colomanni regis ab Albrico compilatum 358
Colomanni regis Lex data Judæis in suo regno commorantibus 371
Synodus altera habita sub Colomanno rege 373
Capitula synodalia sub Colomanno rege 375
Colomanni regis Refutatio investituræ episcoporum facta in Concilio guastallensi 375
Colomanni regis Sacramentum pro civibus Tragurinis 376
„ „ Constitutio pro clero ecclesiæ Arbensis . . . 377
Geyzæ regis Sacramentum pro civibus Spalatensibus 379
Stephani III. regis Sacramentum pro civibus Sibinicensibus . . 381
„ „ „ Constitutio ecclesiastica 382
Petri archiepiscopi Spalatensis Constitutio synodalis 385
Urbani III. P. M. Confirmatio synodi Spalatensis 389
Belæ III. regis Libertas populorum ecclesiæ Quinqueecclesiensis 392
Emerici regis Libertas hospitum de Potok, apud ecclesiam S. Nicolai 399
Andreæ II. regis Libertas et Metæ civitatis Nonensis 400
„ „ „ „ hospitum de villis Ultrasilvanis Karako, Chrapundorf et Rams . . . 403
„ „ „ „ data hospitibus in villa Varast commorantibus 405
Forma pacis inter Strigoniensem et Colocensem archiepiscopos 406
Andreæ II. regis Privilegia ecclesiæ Zagrabiensis 409
„ „ „ Decretum I. 412
„ „ „ Libertas clericorum 417
Julæ palatini Libertas firmata Bissenis in Arpas 419
Andreæ II. regis Libertas Saxonum Transilvaniæ 420
Constantiæ Bohemorum reginæ Jura virorum theotonicorum in Godingen 424
Andreæ II. regis Libertas hospitum teutonicorum de Zathmar Nemethi 426
„ „ „ Decretum II. 428
Colomanni ducis Libertas hospitum iuxta castrum Walko commorantium 434
Andreæ II. regis Juramentum de reformando regno in Silva Bereg præstitum 436
Colomanni ducis Sclavoniæ Libertas hospitum in magna villa Werötze 443
Belæ IV. regis Libertas hospitum de Zombathely 444
„ „ „ „ „ de Karako et Chrapundor . 447

Pag.
Belæ IV. regis Conditiones populorum castri Geuriensis . . . 448
„ „ „ Libertas hospitum in Zagrabia 451
„ „ „ „ „ de Szamobor 456
„ „ „ Restitutio iurisdictionis præpositi Budensis . 458
„ „ „ Libertas nobilium de Scepus 460
Alberti præpositi Libertas civium de Jaszo 462
Belæ IV. regis Capitula pacis duci et communitati Venetiarum juramento firmata 464
„ „ „ Libertas hospitum de Pesth 466
Stephani archiepiscopi Strigoniensis Libertas incolarum oppidi Keresztur 469
Belæ IV. regis Libertas hospitum de Luprechthaza 471
„ „ „ Jura Judæorum 473
Stephani bani Sclavoniæ Jura novæ civitatis in Monte Jablanich 477
„ „ „ Libertas hospitum novæ villæ in Crisio 479
Belæ IV. regis Libertas hospitum de Dobroya et Babaszek . 482
„ „ „ Libertas populorum ecclesiæ Albensis 484
„ „ „ Constitutio de decimis 487
„ „ „ Libertas hospitum de Bistricz 489
„ „ „ Forma tributi in Jaurino 491
„ „ „ Forma tributi fori in castro Pestensi 493
„ „ „ Libertas hospitum de Jastrebarska 496
„ „ „ Libertas civium castri Nitriensis 498
„ „ „ Privilegia archiepiscopi Strigoniensis 500
„ „ „ Libertas hospitum de Kamar 503
Stephani V. regis Libertas oppidi Zathmar 505
Belæ IV. regis Libertas hospitum de villa Berény 506
„ „ „ Libertas civium Zagrabiensium 507
„ „ „ Decretum 512
Guidonis titulo S. Laurencii in Lucina presbyteri cardinalis Decreta Hungaris data 515
Belæ IV. regis Libertas hospitum de Kasmark 517
Belæ ducis Sclavoniæ Libertas hospitum de S. Ambrosio . . . 519
Moys palatini Libertas data hospitibus in Cosue 520
Stephani V. regis Libertas Saxonum de Scepusio 522
„ „ „ Libertas hospitum de Jaurino 526
„ „ „ Privilegia ecclesiæ Agriensis 529
Ladislai III. regis Libertas hospitum de villa latina in Scepus . 535
Matthæi bani Sclavoniæ Jura regni et banatus 536

Pag.

Ladislai III. regis Articuli additi libertati hospitum de castro Budensi 542
Thomæ bani Libertas hospitum de Komarom 543
Ladislai III. regis Libertas civium de Sopronio 545
" " " Confirmatio libertatis jobbagionum castri Zagrabiensis 549
" " " Libertas hospitum de Castro ferreo 551
" " " Articuli Cumanorum 554
" " " Constitutio de Cumanis 559
Constitutiones Synodus Budensis 565
Ladislai III. regis Constitutio de nundinis Budensibus 602
" " " Declaratio telonii Strigoniensis 605
" " " Moderatio telonii Strigoniensis 609
" " " Libertas civium de Gylnichbanya 613
Andreæ III. regis Decretum 615
" " " Libertas hospitum de Thorda 621
" " " Libertas hospitum de Poson 623
" " " Libertas metallurgorum de Turutzko . . . 627
" " " Abolitio tributorum 629
Constitutiones per prelatos et nobiles regni Hungariæ apud ecclesiam Fratrum minorum in Pest anno MCCXCVIII factæ . . 630
Appendix. Regestrum de Varad 640

RELIQUIÆ SERMONIS MAGYARICI VETERIS.

Formulæ allocutionum in funere.

1. Formula longior 745
2. Formula brevior 748

Postremum Monumentorum arpadianorum rerum hungaricarum scapum lectoribus exhibentes, nos decet editoris memoriam animo celebrare gratissimo.

Vix ei licitum erat novissima huius optimæ editionis verba scribere et cum omnibus rerum gestarum peritis tum Magyarorum nobilissimo populo maxime semper ab eo amato monumentum præclarissimum relinquere, quum ex amicorum consuetudine, ex universitate literaria, ex patria, cui e suo sumptu operam præbuerat, fato ereptus est.

Stephanus Ladislaus Endlicher d. 28 mens. Mart. 1849 vita decessit subito atque improviso, in ipso ætatis flore exstinctus.

Neque tamen nostrum sed eius qui editoris imaginem exprimet, quantopere de literis augendis meritus sit vir ille singulari atque mirifico ingenio erit demonstrare et diligentius explorare, utrum linguarum scientiis, an herbarum doctrinæ, an antiquitatis et historiæ studiis, deinde utrum quibus præpositus erat institutis, an imperatori suo

Ferdinando II., cuius socius et amicus eruditus multos fuit per annos, an reipublicæ plus profuerit.

Hæc ætas ingrata propensaque ad novas et civitatis et societatis formas multa negligit ac multos. Ne tamen eadem sit immemor huius viri, qui conservata veterum rerum memoria futuris pro virili parte consuluit; Hungaria imprimis nomen amici, qui summo studio et labore ad ipsius salutem incubuit, pio animo tueatur.

Scr. *S. Gall.* d. 5. mens. Sept. 1849.

Fred. de Tschudi.

SCRIPTORES.

ANONYMI BELÆ REGIS NOTARII

DE

GESTIS HUNGARORUM LIBER.

E codice membranaceo sæculi XIV. bibliothecæ palatinæ Vindobonensis.

INCIPIT PROLOGUS IN GESTA HUNGARORUM.

P. dictus Magister ac quondam bone memorie gloriosissimi Bele regis Hungarie Notarius, N. suo dilectissimo amico, uiro uenerabili, et arte literalis sciencie imbuto salutem et sue peticionis effectum.

Dum olim in scholari studio simul essemus, et in historia Troiana, quam ego cum summo amore complexus ex libris Daretis Phrygii ceterorumque auctorum, sicut a magistris meis audiueram, in unum uolumen proprio stilo compilaueram, pari uoluntate legeremus, petisti a me, ut sicut historiam Troianam bellaque Grecorum scripseram, ita et genealogiam regum Hungarie et nobilium suorum, qualiter septem principales persone, que Hetumoger uocantur, de terra scythica descenderunt, uel qualis sit terra scythica, et qualiter sit generatus dux Almus, aut quare uocatus Almus primus dux Hungarie, a quo reges Hungarorum originem duxerunt, uel quot regna et reges sibi subiugauerunt, aut quare populus de terra Scythica

egressus, per idioma alienigenarum Hungarii et in sua lingua propria Mogerii uocantur tibi scriberem: promisi enim me facturum, sed aliis negociis impeditus, tue peticionis et mee promissionis iam pene eram oblitus, nisi me per literas tua dilectio debitum reddere monuisset. memor igitur tue dilectionis, quamuis multis et diuersis huius laboriosi seculi impeditus sim negociis, facere tamen aggressus sum, que facere iussisti, et secundum tradiciones diuersorum historiographorum, diuine gracie fultus auxilio, optimum estimans, ut ne posteris in ultimam generacionem obliuioni tradatur. optimum ergo duxi, ut uere et simpliciter tibi scriberem, quod legentes possint agnoscere quomodo res geste essent, si tam nobilissima gens Hungarie primordia sue generacionis, et fortia queque facta sua ex falsis fabulis rusticorum, vel a garulo cantu ioculatorum quasi somniando audiret, ualde indecorum et satis indecens esset, ergo pocius a modo de certa scripturarum explanacione, et aperta historiarum interpretacione rerum ueritatem nobiliter percipiat. felix igitur Hungaria, cui sunt dona data uaria, omnibus enim horis, gaudeat de munere sui literatoris, quia exordium genealogie regum suorum et nobilium habet. de quibus regibus sit laus et honor regi eterno et sancte Marie matri eius, per graciam cuius reges Hungarie et nobiles regnum habeant felici fine, hic et in eternum. Amen.

(1) *De Scythia.* Scythia igitur maxima terra est, que Dentumoger dicitur uersus orientem, finis cujus ab aquilonali parte extenditur usque ad nigrum pontum, a tergo autem habet flumen, quod dicitur Thanais, cum paludibus magnis, ubi ultra modum abundanter inveniuntur zobolini, ita quod non solum nobiles et ignobiles uestiuntur inde, uerum etiam bubulci et subulci ac opiliones sua decorant uestimenta in terra illa. nam ibi abundat aurum et argentum, et inueniuntur in fluminibus terre illius pretiosi lapides et gemme. ab orientali uero parte uicina Scythie fuerunt gentes Gog et Magog, quos inclusit magnus Alexander. Scythica autem terra multum patula in longitudine et latitudine, homines uero qui habitant eam, Dentumoger dicuntur usque in hodiernum diem, et nullius unquam imperatoris potestate subacti fuerunt. Scythici enim sunt antiquiores populi, et est potestas Scythie in oriente, ut supra diximus. et primus rex Scythie fuit Magog filius Japhet, et gens illa a Magog rege uocata est Moger. a cuius eciam progenie regis descendit nominatissimus atque potentissimus rex Athila, qui anno dominice incarnacionis CCCCLI de terra scythica descendens, cum ualida manu in terram Pannonie uenit, et fugatis Romanis regnum obtinuit, et regalem sibi locum constituit iuxta Danubium supra calidas aquas, et omnia antiqua opera que ibi inuenit renouari precepit, et in circuitu muro fortissimo edificauit, que per linguam hungaricam nunc dicitur Buduuar, et a teothonicis Ecilburgum vocatur. quid plura? iter historie teneamus. longo autem post tempore de progenie eiusdem regis Magog descendit Ugek, pater Almi ducis, a quo reges et duces Hungarie originem duxerunt, sicut in sequentibus dicetur. Scythici enim, sicut diximus, sunt antiquiores populi, de quibus historiographi qui gesta Romanorum scripserunt sic dicunt: quod Scy-

thice gentes fuissent sapientissimi et mansueti, qui terram non laborabant, et fere nullum peccatum erat inter eos. non enim habebant domos artificio paratas, sed tantum tentoria de filamento parata, carnes et pisces et lac et mel manducabant, et iumenta multa habebant, uestiti enim erant de pellibus zobolorum et aliarum ferarum. aurum et argentum et gemmas habebant sicut lapides, quia in fluminibus eiusdem terre inueniebantur. non concupiscebant aliena, quia omnes diuites erant, habentes animalia et uictualia sufficienter. non erant enim fornicatores, sed solummodo unusquisque suam habebat uxorem. postea uero iam dicta gens fatigata in bello, ad tantam crudelitatem peruenit, ut quidam dicunt historiographi, quod iracundia ducti humanam manducassent carnem et sanguinem bibissent hominum. et credo quod adhuc eos cognoscetis duram gentem fuisse de fructibus eorum. Scythica enim gens a nullo imperatore fuit subiugata, nam Darium regem Persarum cum magna turpitudine Scythici fecerunt fugere, et perdidit ibi Darius octoginta millia hominum, et sic cum magno timore fugit in Persas. item Scythici Cyrum regem Persarum cum trecentis et triginta millibus hominum occiderunt. item Scythici Alexandrum magnum filium Philippi regis et regine Olympiadis, qui multa regna pugnando sibi subiugaverat, ipsum etiam turpiter fugauerunt. gens enim scythica dura erat ad sustinendum omnem laborem, et erant corpore magni Scythici et fortes in bello, nam nihil habuissent in mundo, quod perdere timuissent pro illata sibi iniuria. quando enim Scythici uictoriam habebant nihil de preda uolebant, ut moderni de posteris suis, sed tantummodo laudem exinde querebant, et absque Dario et Cyro atque Alexandro, nulla gens ausa fuit in mundo in terram illorum intrare. predicta vero scythica gens dura erat ad pugnandum, et super equos ueloces, et capita in galeis tenebant, et arcu ac sagittis meliores erant

super omnes naciones mundi, et sic cognoscetis eos fuisse de posteris eorum. Scythica enim terra quanto a zona torrida remotior est, tanto propagandis generibus salubrior, et quamuis admodum sit spaciosa, tamen multitudinem populorum inibi generatorum nec alere sufficiebat, nec capere. quapropter septem principales persone, qui Hetumoger dicti sunt, angusta locorum non sufferentes, ea maxime deuitare cogitabant. tunc he septem principales persone, habito inter se consilio, constituerunt, ut ad occupandas sibi terras, quas incolere possent, a natali discederent solo, sicut in consequentibus dicetur.

(2) *Quare Hungari dicitur.* Nunc restat dicere quare populus de terra scythica egressus Hungari vocantur. Hungari dicti sunt a castro Hungu, eo quod subiugatis sibi Sclavis, septem principales persone intrantes terram Pannonie diutius ibi morati sunt, unde omnes naciones circumiacentes uocabant Almum filium Ugek ducem de Hunguar, et suos milites vocabant Hunguaros. quid plura? his omissis redeamus ad propositum opus, iterque historie teneamus, et ut spiritus sanctus dictauerit, inceptum opus perficiamus.

(3) *De Almo primo duce.* Anno dominice incarnacionis DCCCXVIIII. Ugek, sicut supra diximus, longo prius tempore de genere Magog regis, erat quidam nobilissimus dux Scythie, qui duxit sibi uxorem in Dentumoger, filiam Eunedubeliani ducis, nomine Emesu, de qua genuit filium, qui agnominatus est Almus. sed ab euentu diuino est nominatus Almus, quia matri eius pregnanti per somnium apparuit diuina uisio in forma austuris, que quasi ueniens eam grauidauit, et innotuit ei quod de utero eius egrederetur torrens, et de lumbis eius reges gloriosi propagarentur, sed non in sua multiplicarentur terra. quia

ergo somnium in lingua hungarica dicitur Almu, et illius ortus per somnium fuit prognosticatus, ideo ipse uocatus est Almus, uel ideo uocatus est Almus, id est sanctus, quia ex progenie eius sancti reges et duces erant nascituri. quid ultra?

(4) *De duce Almo.* Dux autem Almus postquam natus est in mundum, factum est duci Ugek et suis cognatis magnum gaudium, et fere omnibus primatibus Scythie, eo quod pater suus Ugek erat de genere Magog regis. erat enim ipse Almus facie decorus, sed niger, et nigros habebat oculos, sed magnos, statura longus et gracilis. manus uero habebat grossas et digitos prolixos. et erat ipse Almus pius, benevolus, largus, sapiens, bonus miles, hilaris dator omnibus illis qui in regno Scythie tunc tempore erant milites. cum autem ipse Almus peruenisset ad maturam etatem, tunc donum spiritus sancti erat in eo, licet paganus, tamen potencior fuit et sapiencior omnibus ducibus Scythie, et omnia negocia regni eo tempore faciebant consilio et auxilio ipsius. dux autem Almus dum ad maturam etatem iuuentutis peruenisset, duxit sibi uxorem in eadem terra, filiam cuiusdam nobilissimi ducis, de qua genuit filium nomine Arpad, quem secum duxit in Pannoniam, ut in sequentibus dicetur.

(5) *De electione Almi ducis.* Gens itaque Hungarorum fortissima et bellorum laboribus potentissima, ut superius diximus, de gente Scythica, que per idioma suum proprium Dentumoger dicitur, duxit originem. et terra illa nimis erat plena ex multitudine populorum inibi generatorum, ut nec alere suos sufficeret nec capere, ut supra diximus. quapropter tunc septem principales persone, qui Hetumoger uocantur usque in hodiernum diem, angusta locorum non sufferentes, habito inter se consilio, ut a na-

tali solo discederent ad occupandas sibi terras quas incolere possent armis et bello, querere non cessarunt. tunc elegerunt sibi querere terram Pannonie, quam audiuerant, fama volante, terram Athile regis esse, de cuius progenie dux Almus, pater Arpad, descenderat. tunc ipsi septem principales persone communi et uero consilio intellexerunt, quod inceptum iter perficere non possent, nisi ducem ac preceptorem super se habeant. ergo libera uoluntate et communi consensu septem virorum, elegerunt sibi ducem ac preceptorem in filios filiorum suorum, usque ad ultimam generacionem, Almum filium Ugek, et qui de generacione eius descenderant. quia Almus dux filius Ugek, et qui de generacione eius descenderant, clariores erant genere et potenciores in bello. isti enim septem principales persone erant viri nobiles genere et potentes in bello, fide stabiles. tunc pari uoluntate Almo duci sic dixerunt: ex hodierna die te nobis ducem ac preceptorem eligimus, et quo fortuna tua te duxerit, illuc te sequemur. tunc supradicti uiri pro Almo duce, more paganismo fusis propriis sanguinibus in unum uas, ratum fecerunt iuramentum, et licet pagani fuissent, fidem tamen iuramenti, quam tunc fecerant inter se, usque ad obitum ipsorum seruauerunt tali modo.

(6) *De iuramento eorum.* Primus status iuramenti sic fuit: ut quamdiu uita duraret, tam ipsis, quam eciam posteris suis, semper ducem haberent de progenie Almi ducis. secundus status iuramenti sic fuit: quidquid boni per labores eorum acquirere possent, nemo eorum expers fieret. tertius status iuramenti sic fuit: ut isti principales persone, qui sua libera uoluntate Almum sibi dominum elegerant, quod ipsi et filii eorum nunquam a consilio ducis et honore regni omnino priuarentur. quartus status iuramenti sic fuit: ut si quis de posteris eorum in-

fidelis fieret contra personam ducalem, et discordiam faceret inter ducem et cognatos suos, sanguis nocentis funderetur, sicut sanguis eorum fuit fusus in iuramento, quod fecerunt Almo duci. quintus status iuramenti sic fuit: ut si quis de posteris ducis Almi, et aliarum personarum principalium iuramenti statuta ipsorum infringere uoluerit, anathemati subiaceat in perpetuum. quorum septem uirorum nomina hec fuerunt : Almus pater Arpad. Eleud pater Zobolsu, a quo genus Saac descendit. Cundu pater Curzan. Ound pater Ete, a quo genus Calan et Colsoy descendit. Tosu pater Lelu. Huba, a quo genus Zemera descendit. Septimus Tuhutum pater Horca, cuius filii fuerunt Gyyla et Zombor, a quibus genus Moglout descendit, ut inferius dicetur. quid plura? iter historie teneamus.

(7) *De egressu eorum.* Anno dominice incarnacionis DCCCLXXXIIII, sicut in annalibus continetur cronicis, septem principales persone, qui Hetumoger uocantur egressi sunt de terra scythica uersus occidentem. inter quos Almus dux filius Ugek, de genere Magog regis, uir bone memorie, dominus et consiliarius eorum, una cum uxore sua et filio suo Arpad, et duobus filiis Hulec auunculi sui, scilicet Zuard et Cadusa, nec non cum multitudine magna populorum non numerata federatorum, de eadem regione egressus est. uenientes autem dies plurimos per deserta loca, et fluuium Etyl super tulbou sedentes ritu paganismo transnatauerunt, et nunquam uiam civitatis vel habitaculi inuenerunt, nec labores hominum comederunt, ut mos erat eorum, sed carnibus et piscibus uescebantur, donec in Rusciam, que Susudal uocatur, uenerunt. et iuuenes eorum fere quotidie erant in uenacione, unde a die illo usque ad presens Hungarii sunt pre ceteris generibus meliores in uenatu et sic Almus dux cum omnibus suis uenientes, terram intraverunt Ruscie, que uocatur Susudal,

(8) *De Ruthenia.* Postquam autem ad partes Ruthenorum peruenerunt, sine aliqua contradictione usque ad ciuitatem Kyeu transierunt, et dum per ciuitatem Kyeu transissent, fluuium Deneper transnauigando, uoluerunt regnum Ruthenorum sibi subiugare. tunc duces Ruthenorum hoc intelligentes, timuerunt ualde, eo quod audiuerant Almum ducem filium Ugek de genere Athile regis esse, cui proaui eorum annuatim tributa persoluebant. attamen dux de Kyeu conuocatis omnibus primatibus suis, habito inter se consilio, elegerunt ut pugnam promouerent contra Almum ducem, et magis uellent mori in bello, quam amitterent regna propria, et subiugati essent sine sua sponte duci Almo. statim dux de Kyeu, missis legatis, septem duces Cumanorum, suos fidelissimos amicos in adiutorium postulauit. tunc hi septem duces, quorum nomina hec fuerunt: Ed, Edumen, Etu, Bunger, Ousad pater Ursuur, Boyta, Ketel pater Oluptulma, non modica multitudine equitum insimul coadunata, causa amicicie ducis de Kyeu, celerrimo cursu contra Almum ducem uenerunt. et dux de Kyeu cum exercitu suo obuiam processit eis, et adiutorio Cumanorum, armata multitudine contra Almum ducem uenire ceperunt. dux uero Almus, cuius adiutor erat sanctus spiritus, armis indutus, ordinata acie, super equum suum sedendo ibat huc et illuc, confortans suos milites, et facto impetu, stetit ante omnes suos, et dixit eis: o Scythici et conmilitones mei, uiri fortissimi! memores estote inicium uiarum uestrarum, quando dixistis, quod terram, quam incolere possetis, armis et bello queretis. ergo nolite turbari de multitudine Ruthenorum et Cumanorum, qui assimilantur nostris canibus. nam canes statim ut audiunt uerba dominorum suorum, nonne in timorem conuertuntur? quia uirtus non ualet in multitudine populi, sed in fortitudine animi. an nescitis quia unus leo

multos ceruos in fugam uertit, ut dicit quidam philosophus. sed his omissis dicam uobis, quis enim potuit contra stare militibus Scythie? nonne Darium regem Persarum Scythici in fugam conuerterunt? et sic cum timore et maxima turpitudine fugiit in Persas, et perdidit ibi octoginta millia hominum. aut nonne Cyrum regem Persarum Scythici cum trecentis triginta millibus hominum exciderunt? aut nonne magnum Alexandrum filium Philippi regis et regine Olympiadis, qui multa regna pugnando sibi subiugaverat, ipsum eciam Scythici turpiter fugauerunt? unde strenue et fortiter pugnemus contra eos, qui assimilantur nostris canibus, et sic multitudinem eorum timeamus, ut muscarum multitudinem. hoc audientes milites Almi ducis multum sunt confortati, statimque sonuerunt tubas bellicas per partes, et conmixta est utraque acies hostium, ceperuntque pugnare acriter inter se, et interficiebantur plurimi de Ruthenis et Cumanis. predicti uero duces Ruthenorum et Cumanorum uidentes suos deficere in bello, in fugam uersi sunt, et pro salute uite properantes, in ciuitatem Kyeu intrauerunt. Almus dux et sui milites persequentes Ruthenos et Cumanos usque ad ciuitatem Kyeu, et tonsa capita Cumanorum Almi ducis milites mactabant tanquam crudas cucurbitas. duces Ruthenorum et Cumanorum in ciuitatem ingressi, uidentes audaciam Scythicorum, quasi muti remanserunt.

(9) *De pace inter ducem et Ruthenos.* Dux uero Almus et sui milites adepta uictoria terras Ruthenorum sibi subiugaverunt, et bona eorum accipientes in secunda hebdomada ciuitatem Kyeu ceperunt expugnare. et dum scalas ad murum ponere cepissent, uidentes duces Cumanorum et Ruthenorum audaciam Scythicorum, timuerunt ualde. et dum hoc intellexissent quod eis obsistere non ualerent, tunc missis legatis, dux de Kyeu et alii du-

ces Ruthenorum nec non Cumanorum, qui ibi fuerunt, rogauerunt Almum ducem et principes suos, ut pacem facerent cum eis. cum autem legati uenissent ad Almum ducem, et eum rogassent ut domini eorum de sedibus non expellerentur suis, tunc dux Almus inito consilio cum suis, sic legatos remisit Ruthenorum, ut duces et primates sui filios suos in obsides darent, tributum annuatim persoluerent decem millia marcarum, et insuper uictum, uestitum et alia necessaria. duces uero Ruthenorum, licet non sponte, tamen hec omnia Almo duci concesserunt, sed rogauerunt Almum ducem, ut dimissa terra Galicie, ultra siluam Hó-uos, uersus occidentem in terram Pannonie descenderet, que primo Athile regis terra fuisset. et laudabant eis terram Pannonie ultra modum esse bonam, dicebant enim quod ibi confluerent nobilissimi fontes aquarum, Danubius et Thiscia, et alii nobilissimi fontes bonis piscibus abundantes, quam terram habitarent Sclavi, Bulgarii et Blachii ac pastores Romanorum, quia post mortem Athile regis terram Pannonie Romani dicebant pascua esse, eo quod greges eorum in terra Pannonie pascebantur. et iure terra Pannonie pascua Romanorum esse dicebatur, nam et modo Romani pascuntur de bonis Hungarie. quid plura?

(10) *De septem ducibus Cumanorum.* Dux uero Almus et sui primates, inito inter se consilio, peticioni ducum Ruthenorum satisfacientes, pacem cum eis fecerunt. tunc duces Ruthenorum, scilicet de Kyeu et Susdal, ut ne de sedibus suis expellerentur, filios suos in obsides dederunt Almo duci, et cum eis miserunt decem millia marcarum, et mille equos cum sellis et frenis, more ruthenico ornatis, et centum pueros Cumanos, et quadraginta camelos ad onera portanda, pelles ermelinas et griseas sine numero, ac alia multa munera non numerata. tunc

prenominati duces Cumanorum, scilicet: Ed, Edumen, Etu, Bunger pater Borsu, Ousad pater Ursuuru, Boyta, a quo genus Brucsa descendit, Ketel pater Oluptulme, cum uidissent pietatem Almi ducis, quam fecit circa Ruthenos, pedibus eius prouoluti se sua sponte duci Almo subiugauerunt, dicentes: ex hodierna die nobis te dominum et preceptorem usque ad ultimam generacionem eligimus, et quo te fortuna tua duxerit, illuc te sequemur. hoc eciam quod uerbo dixerunt Almo duci, fide iuramenti, more paganismo firmauerunt, et eodem modo dux Almus et sui primates eis fide se et iuramento se constrinxerunt. tunc hi septem duces Cumanorum cum uxoribus et filiis suis, nec non cum magna multitudine in Pannoniam uenire concesserunt. similiter et multi de Ruthenis Almo duci adherentes, secum in Pannoniam uenerunt, quorum posteritas, usque in hodiernum diem, per diuersa loca in Hungaria habitat.

(11) *De ciuitatibus Lodomeria et Galicia.* Tunc Almus dux, et alii principales persone, qui Hetumoger dicuntur, nec non duces Cumanorum, una cum cognatis et famulis ac famulabus suis, egressi sunt de Kyeu, et in ductu Ruthenorum Kyeuyensium uenerunt usque ad ciuitatem Lodomer. dux uero Lodomeriensis et sui primates obuiam Almo duci, usque ad confinium regni, cum diuersis preciosis muneribus processerunt, et ciuitatem Lodomeriam ultro ei aperuerunt, et dux Almus cum omnibus suis in eodem loco per tres hebdomadas mansit. in tercia uero hebdomada dux Lodomeriensis duos filios suos cum omnibus filiis iobagionum suorum, duci Almo in obsides dedit, et insuper duo millia marcarum argenti, et centum marcas auri cocti, cum pellibus et palliis non numeratis, et tercentos equos cum sellis et frenis, et uiginti quinque camelos et mille boues, ad onera portanda,

et alia munera non numerata, tam duci quam suis primatibus presentauit. et in quarta hebdomada dux Almus cum suis in Galiciam uenit, et ibi requiei locum sibi et suis elegit. hoc dum Galicie dux audiuisset, obuiam Almo duci cum omnibus suis nudis pedibus uenit, et diuersa munera ad usum Almi ducis presentauit, et aperta porta ciuitatis Galicie, quasi dominum suum proprium hospitem recepit, et unicum filium suum, cum ceteris filiis primatum regni sui, in obsidem dedit, et insuper decem farisios optimos, et tercentos equos cum sellis et frenis, et tria millia marcarum argenti, et ducentas marcas auri, et uestes nobilissimas, tam duci quam omnibus eciam militibus suis condonavit. dum enim dux Almus requiei locum per mensem unum in Galicia habuisset, tunc dux Galicie ceterique consocii sui, quorum filii in obsides positi erant, sic Almum ducem et suos nobiles rogare ceperunt, ut ultra Houoos uersus occidentem, in terram Pannonie descenderent. dicebant enim eis sic: quod terra illa nimis bona esset, et ibi confluerent nobilissimi fontes, quorum nomina hec essent, ut supra diximus: Danubius, Thiscia, Wag, Morisius, Crisius, Temus et ceteri, que eciam primo fuisset terra Athile regis, et mortuo illo preoccupassent Romani principes terram Pannonie usque ad Danubium, ubi collocauissent pastores suos. terram uero, que iacet inter Thisciam et Danubium, preoccupauisset sibi Keanus magnus dux Bulgarie, auus Salani ducis, usque ad confinium Ruthenorum et Polonorum, et fecisset ibi habitare Sclauos et Bulgaros. terram uero que est inter Thisciam et siluam Igfon, que iacet ad Erdeuelu, a fluuio Morus usque ad fluuium Zomus, preoccupauisset sibi dux Morout, cuius nepos dictus est ab Hungaris Menumorout, eo quod plures habebat amicas, et terram illam habitarent gentes qui dicuntur Cozar. terram uero que est a fluuio Morus usque ad castrum Urscia, preoccupauisset quidam dux Glad, de

Bundyn castro egressus adiutorio Cumanorum, ex cuius progenie Ohtum fuit natus, quem postea longo post tempore sancti regis Stephani, Sunad filius Dobuca, nepos regis, in castro suo iuxta Morisium interfecit, eo quod predicto regi rebellis fuit in omnibus. cui etiam predictus rex, pro bono seruitio suo, uxorem et castrum Ohtum cum omnibus appendiciis suis condonauit. sic enim mos est bonorum dominorum, suos fideles remunerare. quod castrum nunc Sunad nuncupatur. quid ultra?

(12) *Quomodo Pannoniam intrauerunt.* Dux uero Almus et sui primates acquiescentes consiliis Ruthenorum, pacem firmissimam fecerunt. duces enim Ruthenorum, ut ne de sedibus suis expellerentur, filios suos, ut supra diximus, in obsides dederunt, cum muneribus non numeratis. tunc dux Galicie duo millia sagittatorum, et tria millia rusticorum anteire precipit, qui eis per siluam Houos uiam prepararent, usque ad confinium Hung, et omnia iumenta eorum uictualibus et aliis necessariis onerauit, et pecudes ad uictum condonauit sine numero. tunc septem principales persone, que Hetumoger dicuntur, et hi septem duces Cumanorum, quorum nomina supra diximus, una cum cognatis et famulis ac famulabus, consilio et auxilio Ruthenorum Galicie sunt egressi in terram Pannonie. et sic uenientes per siluam Houos, ad partes Hung descenderunt, et cum illuc peruenissent, locum quem primo occupauerunt, Muncas nominauerunt, eo quod cum maximo labore ad terram, quam sibi adoptabant, peruenerant. tunc ibi pro requie laborum suorum quadraginta dies permanserunt, et terram ultra quam dici potest dilexerunt. Sclaui uero, habitatores terre, audientes aduentum eorum, timuerunt ualde, et sua sponte Almo duci se subiugauerunt, eo quod audiuerant Almum ducem de genere Athile regis descendisse, et licet homines fuissent

Salani ducis, tamen cum magno honore et timore seruiebant Almo duci, omnia que sunt necessaria ad uictum, sicut decet domino suo offerentes. et talis timor et tremor irruit super habitatores terre, et adulabantur duci et suis primatibus, sicut serui ad suos proprios dominos, et laudabant eis fertilitatem terre illius, et narrabant quomodo mortuo Athila rege, magnus Keanus, proauus ducis Salani, dux de Bulgaria egressus, auxilio et consilio imperatoris Grecorum, preoccupauerat terram illam, qualiter eciam ipsi Sclaui de terra Bulgarie conducti fuerunt ad confinium Ruthenorum, et qualiter nunc Salanus, dux eorum, se et suos teneret, et quante potestatis esset circa suos uicinos.

(13) *De Hung castro.* Tunc dux Almus et sui primates audientes talia, leciores facti sunt solito, et ad castrum Hung equitauerunt, ut caperent illud. et dum castra metati essent circa murum, tunc comes eiusdem castri nomine Loborcy, qui in lingua eorum duca uocabatur, fuga lapsus ad castrum Zemlum properabat, quem milites ducis persequentes, iuxta quendam fluuium comprehendentes, laqueo suspenderunt in eodem loco, et a die illo fluuium illum uocauerunt sub nomine eiusdem Loborcy. tunc dux Almus et sui castrum Hung subintrantes, diis immortalibus magnas uictimas fecerunt, et conuiuia per quatuor dies celebrauerunt. quarto autem die, inito consilio, dux Almus, ipso uiuente, filium suum Arpadium ducem ac preceptorem constituit. et uocatus est Arpad dux Hunguarie, et ab Hungu omnes sui milites uocati sunt Hunguari secundum linguam alienigenarum, et illa uocacio usque ad presens durat per totum mundum.

(14) *De Árpad duce.* Anno dominice incarnacionis DCCCCIII Arpad dux, missis exercitibus suis, totam

terram, que est inter Thisciam et Budrug, usque ad Ugosam, sibi cum omnibus habitatoribus suis preoccupauit, et castrum Borsoa obsedit, et tercio die pugnando apprehendit, muros eius destruxit, et milites Salani ducis, quos ibi inuenit, catenis ligatos in castrum Hung duci precepit, et dum ibi per plures dies habitassent, dux et sui uidentes fertilitatem terre, et abundanciam omnium bestiarum, et copiam piscium de fluminibus Thiscie et Budrug, terram ultra quam dici potest dux Arpad et sui dilexerunt. tandem uero, dum hec omnia que acta fuerant, dux Salanus a suis fuga lapsis audiuisset, manum leuare ausus non fuit, sed missis legatis, more bulgarico, ut mos est eorum, minari cepit, et Arpadium ducem Hungarie, quasi deridendo salutauit, et suos pro risu Hunguaros appellauit, et multis modis mirari cepit, qui essent et unde uenissent, qui talia facere ausi fuissent, et mandauit eis ut mala facta sua emendarent, et fluuium Budrug nullo modo transire auderent, ut ne ipse ueniens cum adiutorio Grecorum et Bulgarorum, de malo facto eorum eis uicem reddens, uix aliquem dimitteret, qui ad propria remeans, salutis gaudia nunciaret. missi uero Salani ducis uenientes ad castrum Zemlin, et transito fluuio Budrug, secunda die ad ducem Arpadium peruenerunt, tercio autem die ducem Arpadium uerbo domini sui salutauerunt, et mandata eius duci Arpadio retulerunt. dux autem Arpad audita legacione Salani superbi ducis, non superbe sed humiliter ei respondit, dicens: licet proauus meus potentissimus rex Athila habuerit terram, que iacet inter Danubium et inter Thisciam, usque ad confinium Bulgarorum, quam ipse habet, attamen ego non propter aliquem timorem Grecorum uel Bulgarorum, quod eis resistere non ualeam, sed propter amiciciam Salani ducis uestri, peto de mea iusticia unam particulam propter pecora mea, scilicet terram usque ad fluuium Souyou, et insuper peto ab ipso duce uestro, ut mit-

tat mihi gracia ipsius duas laguncula plenas aqua Danubii, et unam sarcinam de herbis sabulorum Olpar, ut possem probare si sint dulciores herbe sabulorum Olpar herbis Scythicorum et Dentumoger, et aque Danubii si sint meliores aquis Thanaidis. et data eis legacione, diuersis eos muneribus ditauit, et capta beneuolencia eorum repatriare precepit. tunc dux Arpad, inito consilio, eodem modo misit nuncios suos ad Salanum ducem, et misit ei duodecim albos equos, et duodecim camelos, et duodecim pueros cumanicos, et ducisse duodecim puellas ruthenicas prudentissimas, et duodecim pallia deaurata. et missi sunt in legacione illa de nobilioribus personis Oundu pater Ete, et alter Ketel pater Oluptulma, et iterum miserunt quendam strenuissimum militem nomine Turzol, causa spectaculi, qui inspiceret qualitatem terre, et cicius reuersus nunciaret domino suo duci Arpad.

(15) *De Camaro castro.* Missi uero Arpad ducis, Oundu pater Ete, et Ketel pater Oluptulma, et Turzol miles cumanus, cuius genealogia defecit in semetipso, uenientes, fluuium Budrug transnatauerunt in illo loco, ubi paruus fluuius manans a Saturholmu descendit in Budrug. et sic transeuntes fluuium Budrug, cum predictum paruum fluuium transirent quasi leti, tunc per inundacionem aquarum, Ketel equo offendente in aquam submersus est, et sociis suis adiuuantibus vix a leto liberatus est. tunc fluuius ille per socios Ketel uocatus est per risum Ketelpotaca, et postea dux Arpad per graciam suam totam terram, cum habitatoribus suis, eidem Ketel, a Saturholmu usque ad fluuium Tulsuoa condonauit. et non tantum hec, sed eciam maiora his condonauit, quia dux Arpad subiugata sibi tota terra Pannonie, pro fidelissimo seruicio suo, eidem Ketel dedit terram magnam iuxta Danubium, ubi fluuius Wag descendit, ubi postea Oluptulma filius Ketel, ca-

strum construxit, quod Camarum nuncupauit, ad seruicium cuius castri, tam de populo secum ducto, quam eciam a duce acquisito, duas partes condonauit, ubi eciam longo post tempore, ipse Ketel et filius suus Tulma more paganismo sepulti sunt. sed terram illam, que nunc Ketelpotaca uocatur, posteritas eius usque ad tempora Andree regis filii calui Ladislay habuit. attamen rex Andreas de posteris Ketel cambiauit illum locum duabus de causis: unum quia utilis erat regibus ad uenaciones, secundum quia diligebat partes illas habitare uxor sua, eo quod propior ad natale solum essent, quia erat filia ducis Ruthenorum, et timebat aduentum imperatoris teothonicorum, ut ne ulturus sanguinem Petri regis Hungariam intraret, ut in sequentibus dicetur.

(16) *De monte Turzol.* Tunc Ound et Ketel, nec non Turzol transeuntes siluam, iuxta fluuium Budrug equitando, quasi brauium accipere uolentes, super equos uelocissimos currentes, super uerticem unius alcioris montis ascenderunt, quos Turzol miles strenuissimus antecedens, cacumen primus omnium ascendit, et montem illum a die illo usque nunc montem Turzol nominauerunt. tunc hi tres domini super uerticem eiusdem montis terram undique prospicientes, quantum humanus oculus ualet, ultra quam dici potest dilexerunt, et in eodem loco more paganismo, occiso equo pinguissimo magnum aldamas fecerunt. Turzol a sociis accepta licencia, sicut erat uir audax et fidus in armis, cum suis militibus ad ducem Arpadium reuersus est, ut ei utilitatem illius terre nunciaret, quod et sic factum est. Ound uero et Ketel equitantes celerrimo cursu, egressi de monte Turzol, tercio die ducem Salanum in castro Olpar iuxta Thisciam inuenerunt, quem ex parte Arpad salutauerunt, et ei secunda die post ingressum curie sue, dona, que secum portauerant, presentauerunt, ac

mandata Arpad ducis ei retulerunt. dux Salanus uisis muneribus et audita legacione, tam suorum quam istorum, lecior factus est solito, et missos Arpad ducis benigne suscepit, et diuersis donis dotauit, et insuper postulata Arpad concessit. decimo autem die Ound et Ketel, accepta licéncia a Salano duce, repatriare ceperunt, per quos dux Salanus duas lagunculas aqua Danubii plenas, et unam sarcinam de herbis melioribus sabulorum Olpar, quasi pro risu deridendo, cum diuersis muneribus duci Arpad misit, et insuper cum habitatoribus suis terram usque ad fluuium Souyou concessit. tunc Ound et Ketel ad ducem Arpad cicius uenientes, cum legatis Salani ducis, ac munera missa presentauerunt, et terram cum omnibus habitatoribus suis duci Arpadio condonatam esse dixerunt. unde maxima leticia orta est in curia Arpad ducis, et per tres dies magnum conuiuium celebrauerunt, et tunc roborata pace, legatos Salani ducis diuersis muneribus ditatos, repatriare dimisit paciferos.

(17) *De Zerensce.* Arpad uero dux et sui nobiles, egressi de castro Hung cum magno gaudio, ultra montem Turzol castra metati sunt in campo iuxta fluuium Tucota, usque ad montem Zerenche, et inspicientes super montana illa qualitatem illius loci, et nominauerunt locum illum amabilem, quod interpretatur in lingua eorum Zerelmes eo quod multum dilexerint illum locum, et a die illo usque nunc a Zerelmu locus ille uocatur Zerenche. ubi eciam dux Arpad et omnes sui primates, cum omni familia sua, labore postposito factis tuguriis requiei locum sibi elegerunt, et non paucos ibi dies permanserunt, donec omnia loca sibi uicina subiugauerunt, scilicet usque ad fluuium Souyou et usque ad castrum Salis. et ibidem iuxta Tocotam et infra siluas dux Arpad dedit terras multas diuersorum locorum cum suis habitatoribus Edunec et Edumernec, quas

eciam terras posteritas eorum, diuina gracia adiuuante, usque nunc habere meruerunt. predictus uero Turzol per graciam Arpad ducis ad radicem eiusdem montis, ubi Budrug descendit in Thisciam, acquisiuit magnam terram, et in eodem loco castrum construxit terreum, quod nunc in presenti Hymusuduor nuncupatur.

(18) *De Borsod.* Et dum ita radicati essent, tunc communi consilio et admonicione omnium incolarum, missus est Borsu filius Bunger, cum ualida manu uersus terram Polonorum, qui confinia regni conspiceret, et obstaculis confirmaret usque ad montem Tatur, et in loco conuenienti castrum construeret, causa custodie regni. Borsu uero accepta licentia egressus felici fortuna, collecta multitudine rusticorum, iuxta fluuium Buldua castrum construxit, quod uocatum est a populo illo Borsod, eo quod paruum fuerit. Bors uero acceptis filiis incolarum in obsides, et factis metis, per montes Tatur reuersus est ad ducem Arpad, et de reuersione Borsu factum est gaudium magnum in curia ducis. dux uero pro beneficio suo, Borsum in eodem castro comitem constituit, et totam curam illius partis sibi condonauit.

(19) *De duce Byhoriensi.* Dux uero Arpad transactis quibusdam diebus, accepto suorum nobilium consilio, legatos misit in castrum Byhor ad ducem Menumorout, petens ab eo, quod de iusticia ataui sui Athile regis sibi concederet terram a fluuio Zomus usque ad confinium Nyr, et usque ad portam Mezesynam, et misit ei donaria sua, sicut primo miserat Salano duci Tytulensi. et in legacione illa missi sunt duo strenuissimi milites, Usubuu pater Zoloucu, et Uelec, a cuius progenie Turda episcopus descendit. erant enim isti genere nobilissimi, sicut et alii de terra scythica egressi, qui post Almum ducem venerant cum magna multitudine populorum.

(20) *Qualiter contra Byhor missum est.* Missi uero Arpad ducis, Usubuu et Ueluc, fluuium Thiscie in portu Lucy transnauigauerunt, et hinc egressi in castrum Byhor uenientes, ducem Menumorout salutauerunt, et donaria, que dux eorum miserat, ei presentauerunt. tandem uero mandata Arpad ducis ei referentes, terram quam prenominauimus postulauerunt. dux autem Menumorout eos benigne recepit, et diuersis donis ditatos, tercia die repatriare precepit. quibus tamen ita respondit, dicens: dicite Arpadio duci Hungarie, domino uestro: debitores sumus ei ut amicus amico, in omnibus que ei necessaria sunt, quia hospes homo est et in multis indiget, terram autem quam petiuit a nostra gracia, nullatenus concedimus nobis uiuentibus. hoc eciam indigne tulimus, quod Salanus dux ei concessit maximam terram, aut propter amorem ut dicitur, aut propter timorem quod negatur. nos autem nec propter amorem nec propter timorem ei concedimus terram, eciam quantum pugillus caperet, licet dixerit ius suum esse. et uerba sua non conturbant animum nostrum, eo quod mandauerit nobis se descendisse de genere Athile regis, qui flagellum dei dicebatur, qui eciam uiolenta manu rapuerat terram hanc ab atauo meo, sed tamen modo per graciam domini mei imperatoris Constantinopolitani nemo poterit auferre de manibus meis. et hoc dicto dedit eis licenciam recedendi. tunc Usubuu et Uelec legati ducis Arpad cursu celeriori ad dominum suum properauerunt, et uenientes mandata Menumorout domino suo duci Arpad retulerunt. Arpad uero dux et sui nobiles hoc audientes, iracundia ducti sunt, et statim contra eum exercitum mittere ordinauerunt. tunc constituerunt, quod Tosu pater Lelu, et Zobolsu filius Eleud, a quo genus Saac descendit, nec non Tuhutum pater Horca, auus Geula et Zumbor, a quibus genus Moglut descendit, irent, qui cum a

duce Arpado essent licenciati, cum exercitu non modico egressi sunt, et Thisciam transnatauerunt in portu Ladeo, nemine aduersario contradicente. secundo autem die ceperunt equitare iuxta Thisciam uersus fluuium Zomus, et castra metati sunt in illo loco ubi nunc est Zobolsu, et in eodem loco fere omnes habitatores terre se sua sponte eis subiugauerunt, et pedibus eorum prouoluti, filios suos in obsides dederunt, ut ne aliquid mali paterentur. nam timebant eos fere omnes gentes, et quidam a facie eorum fugientes uix euaserunt, qui uenientes ad Menumorout facta eorum nunciauerunt. hoc audito talis et tantus timor irruit super Menumorout, quod manum leuare ausus non fuit, quia omnes habitatores timebant eos ultra quam dici potest, eo quod audiuerunt Almum ducem patrem Arpadi a genere Athile regis descendisse. unde nullus credebat se posse uiuere nisi per graciam Arpad filii Almi ducis et suorum nobilium, unde plurimi se sua sponte subiugabant eis. bene impleuit dominus in Almo duce et filio suo Arpad propheciam, quam cecinit Moyses propheta de filiis Israel dicens: «et locus, quem calcauerit pes uester, uester erit,» quia a die illo loca que calcauerunt Almus dux et filius suus Arpad cum ceteris nobilibus, usque ad presens posteritates eorum habuerunt et habent.

(21) *De Zobolsu.* Tunc Zobolsu uir sapientissimus, considerans quendam locum iuxta Thisciam, et cum uidisset qualitatem loci, intellexit esse munitissimum ad castrum faciendum. communi ergo consilio sociorum suorum, congregacione facta ciuium, fecit fossatam magnam et castrum fortissimum edificauit de terra, quod nunc castrum Zobolsu nuncupatur. tunc Zobolsu et socii sui de incolis terre ad castrum illud multos ordinauerunt seruientes, qui nunc ciuiles uocantur. et dimissis ibi militibus, sub quodam nobilissimo milite nomine Eculsu, se longius ire preparauerunt.

tunc Zobolsu et socii sui totum exercitum in duas partes diuiserunt, ut una pars iret iuxta fluuium Zomus, et altera pars per partes Nyr. Zobolsu et Tosu pater Lelu, cum medietate exercitus egressi sunt per crepidinem Thiscie, subiugando sibi gentes, et uenerunt uersus fluuium Zomus, ad illum locum, qui nunc dicitur Saruuár, et in eodem loco infra paludes, Tosu pater Lelu, congregata multitudine populi, fossatam magnam fecit, et castrum munitissimum de terra construxit, quod primo castrum Tosu nominatum fuit, nunc uero Saruuár uocatur. et acceptis filiis incolarum in obsides, castrum militibus plenum dimiserunt. tunc Tosu per peticionem populi domino suo duci Arpad subiugati fecit stare forum inter Nyr et Thisciam, cui eciam foro nomen suum imposuit, quod usque nunc forum Tosu nuncupatur. postea uero Zobolsu et Tosu hinc egressi, usque ad castrum Zotmar peruenerunt, et castrum per tres dies pugnando obsidentes, uictoriam adepti sunt, et quarto die castrum intrantes, milites ducis Menumorout, quos ibi apprehendere potuerunt, catenis ferreis obligatos in deterrima carceris inferiora miserunt, et filios incolarum in obsides acceperunt, et castrum militibus plenum dimiserunt. ipsi uero ad portas Mezesinas ire ceperunt.

(22) *De Nyr.* Tuhutum uero et filius suus Horca per partes Nyr equitantes, magnum sibi populum subiugauerunt, a siluis Nyr usque ad Humusouer, et sic ascendentes usque ad Zyloc peruenerunt, contra eos nemine manum leuante, quia dux Menumorout et sui non sunt ausi pugnare contra eos, sed fluuium Cris custodire ceperunt. tunc Tuhutum et filius suus Horca de Zyloc egressi, uenerunt in partes Mezesinas ad Zobolsum et Tosum, et cum se ad inuicem uidissent, gaudio gauisi sunt magno, et facto conuiuio unusquisque laudabat se ipsum de sua uictoria. mane autem facto, Zobolsu, Tosu et Tuhutum inito consilio con-

stituerunt, ut meta regni ducis Arpad esset in porta Mezesina. tunc incole terre iussu eorum portas lapideas edificauerunt, et clausuram magnam de arboribus per confinium regni fecerunt. tunc hi tres prenominati uiri omnia facta sua duci Arpad et suis primatibus, per fideles nuncios mandauerunt. quod cum renunciatum esset duci Arpad et suis yobágyonibus, gauisi sunt gaudio magno ualde, et more paganismo fecerunt aldumás, et gaudium annunciantibus diuersa dona presentauerunt. dux uero Arpad et sui primates, ob hanc causam leticie per totam unam hebdomadam solemniter comedebant, et fere singulis diebus inebriabantur propter euentum tante leticie. et hoc audito dux Arpad et sui egressi sunt a Zeremsu, et castra metati iuxta fluuium Souiou, a Thiscia usque ad fluuium Honrat.

(23) *De uictoria Tosu, Zobolsu et Tuhutum.* Tosu et Zobolsu, nec non Tuhutum, cum uidissent quod deus dedit eis uictoriam magnam, et subiugauerunt domino suo fere plures naciones illius terre, tunc exaltati sunt nimis super habitatores illius terre, et dum ibi nullus inuentus esset eis, plures dies ibi manserunt, donec confinia regni firmauerunt obstaculis firmissimis.

(24) *De terra Ultrasiluana.* Et dum ibi diucius morarentur, tunc Tuhutum pater Horca, sicut erat uir astutus, dum cepisset audire ab incolis bonitatem terre Ultrasiluane, ubi Gelou quidam Blacus dominium tenebat, cepit ad hoc anhelare, quod si posse esset, per graciam ducis Arpad domini sui terram Ultrasiluanam sibi et suis posteris acquireret. quod et sic factum fuit postea. nam terram Ultrasiluanam posteritas Tuhutum usque ad tempus sancti regis Stephani habuerunt, et diucius habuissent, si minor Gyla cum duobus filiis suis Biuia et Bucna christiani esse uoluissent, et semper contrarie sancto regi non fecissent, ut in sequentibus dicetur.

(25) *De prudencia Tuhuti.* Predictus uero Tuhutum uir prudentissimus misit quemdam uirum astutum, patrem Opaforcos Ogmand, ut furtiue ambulans preuideret sibi qualitatem terre Ultrasiluane, et quales essent habitatores eius, quod si posse esset, bellum cum eis committeret. nam uolebat Tuhutum per se nomen sibi et terram acquirere, ut dicunt nostri ioculatores: «omnes loca sibi acquirebant, et nomen bonum accipiebant.» quid plura? dum pater Ogmand, speculator Tuhutum, per circuitum, more uulpino, bonitatem et fertilitatem terre et habitatores eius inspexisset, quantum humanus uisus ualet, ultra quam dici potest dilexit, et celerrimo cursu ad dominum suum reuersus est. qui cum uenisset, domino suo de bonitate illius terre multa dixit: quod terra illa irrigaretur optimis fluuiis, quorum nomina et utilitates seriatim dixit, et quod in arenis eorum aurum colligerent, et aurum terre illius optimum esset, et ut ibi foderetur sal et salgenia, et habitatores terre illius uiliores homines essent totius mundi, quia essent Blasii et Sclaui, quia alia arma non haberent nisi arcum et sagittas, et dux eorum Gelou minus esset tenax, et non haberet circa se bonos milites, et auderent stare contra audaciam Hungarorum, quia a Cumanis et Picenatis multas iniurias paterentur.

(26) *Quomodo contra Gelou itum est.* Tunc Tuhutum audita bonitate terre illius, misit legatos suos ad ducem Arpad, ut sibi licenciam daret ultra siluas eundi contra Gelou ducem pugnare. dux uero Arpad, inito consilio, uoluntatem Tuhutum laudauit, et ei licenciam ultra siluas eundi contra Gelou pugnare concessit. hoc dum Tuhutum audiuisset a legato, preparauit se cum suis militibus, et dimissis ibi sociis suis, egressus est ultra siluas uersus orientem, contra Gelou ducem Blacorum. Gelou uero dux

ultrasiluanus audiens aduentum eius, congregauit exercitum suum, et cepit uelocissimo cursu equitare obuiam ei, ut eum per portas Mezesinas prohiberet. sed Tuhutum uno die siluam pertransiens, ad fluuium Almas peruenit. tunc uterque exercitus ad inuicem peruenerunt, medio fluuio interiacente. dux uero Gelou uolebat quod ibi eos prohiberet cum sagittariis suis.

(27) *De morte Gelou.* Mane autem facto, Tuhutum ante auroram diuisit exercitum suum in duas partes, et partem alteram misit parum superius, ut transito fluuio, militibus Gelou nescientibus, pugnam ingrederentur, quod sic factum est. et quia leuem habuerunt transitum, utraque acies pariter ad pugnandum peruenerunt, et pugnatum est inter eos acriter, sed uicti sunt milites ducis Gelou, et ex eis multi interfecti, plures uero capti. cum Gelou dux eorum hoc uidisset, tunc pro defensione uite cum paucis fugam cepit, qui cum fugeret, properans ad castrum suum iuxta fluuium Zomus positum, milites Tuhutum audaci cursu persequentes, ducem Geloum iuxta fluuium Copus interfecerunt. tunc habitatores terre uidentes mortem domini sui, sua propria uoluntate dexteram dantes, dominum sibi elegerunt Tuhutum patrem Horca, et in loco illo qui dicitur Esculeu, fidem cum iuramento firmauerunt, et a die locus ille nuncupatus est Esculeu, eo quod ibi iurauerunt. Tuhutum uero a die illo terram illam obtinuit pacifice et feliciter, sed posteritas eius usque ad tempora sancti regis Stephani obtinuit. Tuhutum uero genuit Horcam, Horca genuit Geulam et Zubor, Geula genuit duas filias, quarum una uocabatur Caroldu et altera Saroltu, et Sarolt fuit mater sancti regis Stephani. Zumbor uero genuit minorem Geulam, patrem Bue et Bucne, tempore cuius sanctus rex Stephanus subiugauit sibi terram ultra siluanam, et ipsum Geulam uinctum in Hungariam duxit, et per omnes dies

uite sue carceratum tenuit, eo quod in fide esset uanus, et noluit esse Christianus, et multa contraria faciebat sancto regi Stephano, quamuis fuisset ex cognacione matris sue.

(28) *De duce Menumorout.* Tosu uero et Zobolsu adepta uictoria reuersi sunt ad ducem Arpad, subiugando totum populum a fluuio Zomus usque ad Crisium, et nullus contra eos ausus fuit manum leuare, et ipse Menumorout dux eorum magis preparabat uias suas in Greciam eundi, quam contra eos ueniendi. et deinde egressi, descenderunt iuxta quendam fluuium nomine Humusouer, et uenerunt usque ad locum Zerep, et deinde egressi usque ad Zeguhalmu, et ibi uolebant transire Crisium ut contra Menumorout pugnarent, sed uenientes milites Menumorout eis transitum prohibuerunt. deinde egressi, per unum diem equitantes, castra metati sunt iuxta paruos montes, et hinc iuxta fluuium Turu equitantes, usque ad Thisciam peruenerunt, et in portu Drugma fluuium Thiscie transnauigantes, ubi eciam per graciam Arpad ducis, cuidam cumano militi nomine Huhot magnam terram acquisiuerunt, quam posteritas eius usque nunc habuerunt.

(29) *De reditu eorum.* Dum nauigassent fluuium Thiscie, nuncios suos ad ducem Arpadium premiserunt, qui gaudia salutis nunciarent. qui cum ad ducem Arpad uenissent et gaudia ei annunciassent, quod Zobolsu et Tosu cum exercitu suo sani et incolumes reuersi essent, et portum Drugma cum omnibus exercitibus suis transnauigassent, hoc cum audiuisset dux Arpad, quod Tosu et Zobolsu cum omnibus exercitibus suis sani et incolumes reuersi essent, et fluuium Thiscie transnauigassent, fecit magnum conuiuium, et gaudium annunciantibus diuersa dedit donaria. tunc Tosu et Zobolsu cum curiam ducis intrare uellent, dux omnes suos milites obuiam eis premisit, et sic eos cum

magno gaudio recepit. et sicut mos est bonorum dominorum suos diligere fideles, fere quotidie eos faciebat ad mensam suam comedere, et multa eis dona presentabat, similiter eciam ipsi duci Arpad diuersa dona, ac filios incolarum in obsides ei positos, presentauerunt.

(30) *De duce Salano.* Dux uero Arpad transactis quibusdam diebus, inito consilio, et sui nobiles miserunt nuncios suos ad ducem Salanum, qui nunciarent ei uictoriam Tosu et Zobolsu, nec non et Tuhutum, quasi pro gaudio, et peterent ab eo terram usque ad fluuium Zogea. quod sic factum est. missi sunt enim Etu et Voyta, qui cum inuenissent ducem Salanum in sabulo Olpar, mandata gaudia nunciauerunt, et terram ab eo usque ad fluuium Zogea postulauerunt. Salanus dux hoc audito in maximum irruit timorem, et terram ab ipso postulatam, timore percussus, usque ad fluuium Zogea duci Arpad concessit, et legatis diuersa dona presentauit. septimo autem die Etu et Voyta, accepta licencia, ad dominum suum sunt reuersi, quos dux Arpad honorifice recepit, et audita legacione eorum, factum est gaudium magnum in curia ducis, et cepit dux donare suis fidelibus loca et possessiones magnas.

(31) *De egressu Zeremsu.* Postea dux et sui principes egressi sunt de Zeremsu, et transnauigauerunt fluuium Souyou, in loco ubi fons Honrad descendit, et castra metati sunt iuxta fluuium Heuyou, usque ad Thisciam et usque ad Emeud, et permanserunt ibi per unum mensem. ibi eciam dux dedit Bungernec patri Borsu terram magnam, a fluuio Topulucea usque ad fluuium Souyou, que nunc uocatur Miscoucy, et dedit ei castrum quod dicitur Geuru, et illud castrum filius suus Borsu cum suo castro quod dicitur Borsod unum fecit comitatum.

(32) *De castro Ursuur et fluuio Egur.* Postea dux Arpad et sui nobiles hinc egressi, uenientes usque ad fluuium Naragy, et castra metati sunt iuxta riuulos aquarum, a loco illo qui nunc dicitur Casu. ubi eciam dedit terram magnam Ousadunec patri Ursuur, et ibi postea Ursuur filius eius ad caput eiusdem fluminis castrum construxit, quod nunc castrum Ursuur nuncupatur. hinc uero dux Arpad et sui egressi, uenerunt usque ad fluuium Egur, et ibi paratis tuguriis plures dies permanserunt, et montem illum super quem duci foliata fecerunt, nominauerunt Zenuholmu, et castra eorum fuerunt a fluuio Ystoros usque ad castrum Purozlou. deinde egressi uenerunt usque ad fluuium Zogea, et castra metati sunt per crepidinem eiusdem fluminis, a Thiscia usque ad siluam Matra, et subiugauerunt sibi omnes habitatores terre, a Crisio usque ad fluuium Zogea et usque ad siluam Zepus. tunc dux Arpad in silua Matra dedit terram magnam Edunec et Edumernec, ubi postea Pota nepos eorum castrum construxit, ex quorum eciam progenie longo post tempore rex Samuel descendit, qui pro sua pietate Oba uocabatur.

(33) *De castro Nougrad et Nitra.* In eisdem temporibus dux Arpad, dum se per milites suos uidisset ita sublimatum et tutum esse, tunc habito inter se consilio misit multos milites in expedicionem, qui subiugarent sibi populum de castro Gumur et Nougrad, et si fortuna eis faueret, tunc ascenderent uersus fines Boemorum, usque ad castrum Nitra. quibus eciam militibus in expedicionem euntibus principes et ductores constituit duos filios auunculi sui Hulec, Zuardum et Cadusam, nec non Hubam unum de principalibus personis. tunc hi tres domini, accepta licencia a duce Arpad, egressi sunt a loco illo qui dicitur Paztuh, equitantes iuxta fluuium Hongun, et eundem flu-

uium transiuerunt iuxta fluuium Souyou. et inde egressi sunt per partes castri Gumur, et uenerunt usque ad montem Bulhadu, et inde ad partes Nougrad uenientes, usque ad fluuium Caliga peruenerunt, hinc uero egredientes per crepidinem Danubii iuerunt, et fluuium Wereuecea transeuntes, castra metati sunt iuxta fluuium Ypul. et quia diuina gracia in eis erat, timuit eos omnis homo, et maxime ideo timebant eos, quia audierant ducem Arpadium, filium Almi ducis ex progenie Athile regis descendisse. tunc omnes Sclaui habitatores terre, qui primo erant Salani ducis, propter timorem eorum, se sua libera sponte subiugauerunt eis, nullo manum subleuante, et ita cum magno timore et tremore seruiebant eis, ac si olim domini eorum fuissent. tunc Zuardu et Cadusa nec non Huba, a quo prudens Zemera descendit, cum uidissent populum multum sine bello ipsis subiugatum, fecerunt magnum conuiuium, et melioribus habitatoribus terre, qui filios suos in obsides dederant, diuersa dona presentauerunt, et blandis uerbis sub dominum ducis Arpad sine bello subiugauerunt et ipsos secum in expedicionem duxerunt, filios uero eorum in obsides accipientes, ad ducem Arpad cum diuersis muneribus remiserunt, unde dux et sui nobiles leciores facti sunt solito, nunciis gaudia ferentibus multa dederunt dona.

(34) *De fluuio Gron et Castro Borsu.* Interea Zuard et Cadusa filii Hulec nec non Huba, et omnis exercitus eorum fluuium Ypul iuxta Danubium transierunt, et alio die transito fluuio Gron castra metati sunt in campo, iuxta quoddam castellum terreum quod nuncupatur Uarod, et capto illo castro manserunt ibi tres dies, expectantes aduentum Borsu filii Bunger, quem dux Arpad cum magno exercitu miserat in auxilium eorum. quarto die cum Borsu ad eos uenisset cum ualida manu, timuerunt eos omnes incole terre, et nullus ausus fuit leuare manus contra eos.

tunc hi quatuor domini, inito inter se consilio, per peticionem incolarum sibi fidelium constituerunt, ut tercia pars de exercitu cum incolis terre irent in siluam Zouolon, qui facerent in confinio regni municiones fortes, tam de lapidibus quam eciam de lignis, ut ne aliquando Boemi uel Poloni possent intrare causa furti et rapine in regnum eorum. tunc communi consilio hac de causa missus est Borsu filius Bunger cum suis militibus, et cum equitarent iuxta fluuium Gron, ceruus fuga lapsus ante eos cacumina moncium ascendit, quem Borsu celerrimo cursu persecutus, ictibus sagittarum in uertice montium interfecit. et tunc Borsu, cum montes illos in circum aspexisset, in memoriam duxit ut ibi castrum construeret. et statim congregata multitudine ciuium, in uertice unius alcioris montis castrum fortissimum construxit, cui nomen suum imposuit proprium, ut castrum Borsu nuncupatur. et inde cum exercitibus suis usque ad siluam Zouolun perexit, et maximam municionem de lapidibus facere precepit, quod nunc castrum Borssod Zouolun uocatur.

(35) *De Nitria ciuitate.* Zuardu et Cadusa nec non Huba, post discessum Borsu, cum omnibus exercitibus suis egressi de castro quod dicitur Uarod, ultra siluam Tursoc castra metati sunt, iuxta fluuium Sytua. altera autem die miserunt quosdam speculatores uiros, quos sciebant esse audaces, qui transirent fluuium Nitra, et uiderent si sine bello possent transmeare usque ad ciuitatem Nitra. qui cum uelocissimo cursu uenissent usque ad riuulum Turmas, ubi descendit in riuulum Nitre, uiderunt habitatores illius prouincie Sclauos et Boemos, eis obsistere cum adiutorio ducis Boemorum. quia mortuo Athila rege, terram que iacet inter Wag et Gron, a Danubio usque ad fluuium Moroua, dux Boemorum sibi preoccupauerat et unum ducatum fe-

cerat, et tunc tempore per graciam ducis Boemorum, dux Nitriensis factus est Zubur.

(36) *De speculatoribus missis a ducibus.* Cum autem speculatores illi, qui fuerant missi a Zuard et Cadusa, uidissent Sclauos et Boemos eis obsistere non ualentes, miserunt sagittas tribus uicibus super eos, et quosdam ex ipsis ictibus sagittarum interfecerunt. hoc cum uidissent Sclaui et Boemii, quos ad custodiam constituerat Zubur, quod isti qui dicuntur Hetumoger, talibus uterentur armis, timuerunt ualde, quia talis armatura nunquam uisa fuit eis, statim nunciauerunt Zuburio domino eorum ceterisque principibus eiusdem prouincie.

(37) *De pugna ducum Arpadii.* Tunc Zubur hoc audito, cum adiutorio Boemorum armata multitudine obuiam eis uenit pugnaturus. et dum uterque exercitus ad fluuium Nitra peruenissent, Zuardu Cadusa et Huba uolebant transire fluuium. sed Zubur dux Nitriensis et sui milites contra eos diutissime certantes, nullomodo eis transitum concedere uolebant. et cum diu inter se certassent, Hungari ex Boemis et Sclauis ictibus sagittarum multos interficiebant. sed per tres dies nullo modo Hungari, propter inundacionem aquarum transitum habuissent, tandem quarta die Boemi et omnes Nitrienses Sclaui, uidentes audaciam Hungarorum, et percussiones sagittarum non sufferentes, fuga lapsi sunt, et uelocissimo cursu pro defensione uite in ciuitatem Nitriam inclusi sunt cum magno timore. quos Zuardu Cadusa et Huba, nec non ceteri milites, persequentes eos usque ad ciuitatem, et ex eis quosdam interfecerunt et quosdam uulnerauerunt, et alios ceperunt. Zubur uero dux eorum, dum fugiendo contra eos pugnare uellet, per lanceam Caduse cecidit, et captus in custodiam traditus est, ceteri uero in ciuitatem inclusi, quasi muti remanse-

runt. alio namque die Zuard Cadusa et Huba armata multitudine exercituum ceperunt fortiter expugnare ciuitatem Nitriam multis modis, et dedit eis dominus uictoriam magnam, et pugnantes intrauerunt eam, et fusus est per eos ibi sanguis multorum aduersariorum. tunc iracundia ducti Zuburium ducem illius provincie, quem nudius tercius ceperant, supra montem excelsum ducentes, laqueo suspenderunt, unde mons ille, a die illo usque nunc, mons Zubur nuncupatur. et propter hoc factum timuerunt eos omnes homines illius patrie, et omnes nobiles filios suos in obsides eis dederunt, et omnes naciones illius terre se subiugauerunt sibi usque ad fluuium Wag. et quia gracia dei antecedebat eos, non solummodo ipsos subiugauerunt, uerum eciam omnia castra eorum ceperunt, quorum nomina hec sunt usque modo: Stumtey, Colgoucy, Trusun, Blundus et Bana. et ordinatis custodibus castrorum iuerunt usque ad fluuium Moroua, et firmatis obstaculis constituerunt terminos regni Hungarorum usque ad Boronam et usque ad Saruuar. et adepta uictoria reuersi sunt ad ducem Arpad, et omnes infideles illius terre, ferreis catenis ligatos secum duxerunt. Cumque Zuard Cadusa nec non Huba ad ducem Arpad cum omnibus captiuis suis uenissent sani et incolumes, factum est gaudium magnum in curia ducis. dux Arpad consilio et peticione suorum nobilium, donauit, accepto iuramento infidelium, terras in diuersis locis predictis infidelibus de partibus Nitrie ductis, ut ne aliquando infideliores facti, repatriando nocerent sibi fidelibus in confinio Nitrie habitantibus. et in eodem gaudio dux Arpad Hubam fecit comitem Nitriensem et aliorum castrorum, et dedit ei terram propriam iuxta fluuium Sytuua, usque ad siluam Tursoc.

(38) *De exercitu Grecorum et Bulgarorum.* Interea dux Salanus, dum intellexisset potenciam et facta Hungarorum,

timuit, ut ne aliquando iracundia ducti eum expellerent de regno suo. tunc inito consilio suorum, misit legatos suos ad imperatorem Grecorum et ducem Bulgarorum, ut sibi auxilium darent, causa pugne contra Arpad ducem Hungarorum. imperator Grecorum et Dux Bulgarorum magnum exercitum Salano duci miserunt, qui cum ad ducem Salanum peruenissent in illo loco, qui dicitur Tetel, factum est gaudium magnum in curia ducis. secundo autem die dux Salanus et sui nobiles, inito consilio, miserunt legatos ad ducem Arpad dicendo: ut terram eorum dimitteret et ad natale solum repatriare inciperet. qui cum ad ducem Arpad peruenissent, et mandata Salani ducis ei dixissent, dux Arpad et sui nobiles egre ferentes, sic per eosdem legatos duci Salano remandauerunt: terram que inter Danubium et Thisciam iacet, et aquam Danubi que a Ratispona in Greciam descendit, pecunia nostra comparauimus tunc tempore, quando noui fuimus, et pro precio ei misimus duodecim albos equos et cetera ut supra, ipse eciam laudans bonitatem terre sue, misit unam sarcinam de herbis sabulorum Olpar, et duas laguncula de aquis Danubii. unde precipimus domino uestro duci Salano, ut dimissa nostra terra, celerrimo cursu terram Bulgarorum eat, unde proauus suus descenderat mortuo Athila rege atauo nostro. si autem hoc non fecerit, sciat nos in proximo tempore contra eum dimicaturos. legati uero hoc audientes, accepta licencia, tristi uultu ad ducem Salanum properauerunt. dux autem Arpad et sui nobiles egressi de fluuio Zogea, cum omni exercitu castra metati sunt iuxta montem Teteuetlen usque ad Thisciam, deinde uenientes per crepidinem Thiscie, usque ad sabulum Olpar peruenerunt.

(39) *De egressu Salani ducis contra Arpadium ducem.* Dux autem Salanus, cum adiutorio Grecorum et Bulgaro-

rum, egressus de Tetel furiata mente, per admonicionem suorum contra ducem Arpad equitare cepit, et dum uterque exercitus ad inuicem prope pernoctassent, neuter eorum dormire per totam noctem ausus fuit, sed equos sellatos in manibus tenendo pernoctauerunt. mane autem facto, ante auroram utraque pars se ad bellum preparauit. dux uero Arpad, cuius adiutor erat dominus omnium, armis indutus, ordinata acie, fusis lacrymis dominum orans, suos confortans milites, dicens: O Scythici! qui per superbiam Bulgarorum a castro Hungu uocati estis Hungarii, nolite obliuisci propter timorem Grecorum gladios uestros, et amittatis uestrum bonum nomen, unde strenue et fortiter pugnemus contra Grecos et Bulgaros, qui assimilantur nostris feminis, et sic timeamus multitudinem Grecorum, sicut multitudinem feminarum. hoc audito, milites sui multum sunt confortati, statimque Lelu filius Tosu tuba cecinit, et Bulsuu filius Bogat eleuato uexillo in prima acie contra Grecos pugnaturi uenire ceperunt, et commixta est utraque acies hostium ad bellum, et ceperunt pugnare acriter inter se, et dum totus exercitus ducis Arpad accessissent pugnaturus contra Grecos, plurimi interficiebantur de Grecis et Bulgaris. Predictus uero dux Salanus dum uidisset suos deficere in bello, fuga lapsus est, et pro salute uite Albam Bulgarie properauit. Greci uero et Bulgari timore Hungarorum percussi uiam quam uenerant obliuioni tradiderunt, fuga lapsi pro salute uite Thisciam pro paruo fluuio reputantes, transnatare uolebant. sed quia talis timor et terror irruerat super eos, ut propter timorem Hungarorum fere omnes in fluuio Thiscie mortui sunt, ita quod aliqui uix remanserunt, qui imperatori eorum mala salutis nunciarent. unde locus ille, ubi Greci mortui fuerunt, a die illo usque nunc Portus Grecorum nuncupatur.

(40) *De uictoria Arpad ducis.* Dux uero Arpad et sui milites adepta uictoria hinc egressi, uenerunt usque ad stagnum, quod dicitur Curtueltou, et manserunt ibi iuxta siluam Gemelsen triginta quatuor diebus. et in illo loco dux et sui nobiles ordinauerunt omnes consuetudinarias leges regni, et omnia iura eius, qualiter seruirent duci et primatibus suis, uel qualiter iudicium facerent, pro quolibet crimine commisso. ibi eciam dux condonauit suis nobilibus secum uenientibus diuersa loca, cum omnibus habitatoribus suis. et locum illum ubi hec omnia fuerunt ordinata Hungari secundum suum idioma nominauerunt Scerii, eo quod ibi ordinatum fuit totum negocium regni. et dux locum illum dedit Cundunec patri Ete, a Thiscia usque ad stagnum Botua, et a Curtueltou usque ad sabulum Olpar. postea uero, transactis quibusdam temporibus, Ete filius Oundu, congregata multitudine Sclauorum, fecit inter castrum Olpar et portum Beuldu edificari castrum fortissimum de terra, quod nominauerunt Sclaui secundum idioma suum Surungrad, id est: Nigrum castrum.

(41) *De egressu Arpad.* Postea uero dux Arpad et sui nobiles hinc egressi uenerunt usque ad Titulum, subiugando sibi populum. deinde egressi uenerunt usque ad portum Zoloncaman, et totum populum infra Thisciam et Danubium habitantem, sub iugum suum constituerunt. hinc uero uenientes ad partes Budrug peruenerunt, et iuxta fluuium Uoyos castra metati sunt, et in partibus illis dux dedit terram magnam cum omnibus habitatoribus suis Tosunec patri Lelu, cum auunculo suo Culpun patre Botond. tunc dux Arpad et sui primates inito consilio constituerunt, quod exercitum mitterent propter Salanum ducem ultra Danubium, contra Albam Bulgarie. super quem exercitum constituti sunt principes et ductores Lelu filius

Tosu, Bulsuu filius Bogat, Botond filius Culpun. qui accepta licencia a duce Arpad equitantes, transnauigauerunt Danubium nullo contradicente, in loco ubi fluuius Zoua descendit in Danubium, et inde egressi, contra Albam Bulgarie ciuitatem equitare ceperunt. tunc dux Bulgarorum, consanguineus Salani ducis, cum magno exercitu contra eos pugnaturus cum adiutorio Grecorum accessit. Altera autem die ordinate sunt utraque acies in campo, iuxta ripam Danubii statim Lelu filius Tosu, eleuato uexillo sui signi, et Bulsuu filius Bogat, tubas bellicas sonando, pugnaturi accesserunt, et commixte sunt per partes manus utriusque hostis, et ceperunt pugnare inter se acriter, et interfecti sunt de Grecis et Bulgariis plurimi, et quidam capti sunt ex eis. Uidens ergo dux Bulgarie suos deficere in bello, fuga lapsus, pro defensione uite Albam ciuitatem ingressus est. tunc Lelu Bulsuu nec non Botond adepta uictoria castra metati sunt iuxta Danubium, parum inferius in campo, et omnes captiuos Bulgarorum et Grecorum ante se duci fecerunt, quos ferro ligatos duci Arpad remiserunt in Hungariam.

(42) *De nuntiis ducis Bulgarie.* Secundo autem die dux Bulgarie misit nuncios suos cum diuersis donis ad Lelu et Bulsuu atque Botond, et deprecans eos ut paci faueant, et insuper mandauit, quod partem Salani ducis auunculi sui non foueret, sed Arpadio duci Hungarie subiugatus fideliter seruiret, et annuale uectigal persolueret. Illi uero paci fauentes, proprium filium ducis in pignus accipientes, cum multis bonis rebus Bulgarie discesserunt, et ducem eorum illesum dimiserunt. deinde egressi usque ad portam Wazil iuerunt, et ex hinc egressi terram Racy subiugauerunt, et ducem eius captum diu ferro ligatum tenuerunt. hinc uero egressi usque ad mare peruenerunt, et omnes illius patrie dominatui Arpad ducis Hungarorum

potenter et pacifice subiugauerunt, et ciuitatem Spaletensem ceperunt, et totam Crouaciam sibi subiugauerunt, et inde egressi filios nobilium in obsides acceperunt, et in Hungariam reuersi sunt ad ducem Arpad. quorum eciam bella et forcia queque facta sua, si scriptis presentis pagine non uultis, credite garulis cantibus ioculatorum et falsis fabulis rusticorum, qui forcia facta et bella Hungarorum, usque in hodiernum diem obliuioni non tradunt, sed quidam dicunt eos iuisse usque ad Constantinopolim, et portam auream Constantinopolis Botondium cum dolabro suo incidisse, sed ego, quia in nullo codice historiographorum inueni, nisi ex falsis fabulis rusticorum audiui, ideo ad presens opus scribere non proposui.

(43) *De castris Zabrag, Posaga et Ulcou.* Bulsuu Lelu et Botond hinc egressi, siluam que dicitur Peturgoz descendentes, iuxta fluuium Culpe castra metati sunt. et transito fluuio illo usque ad fluuium Zoua peruenerunt, et transito Zoua, castrum Zabrag ceperunt. et hinc equitantes castrum Posaga et castrum Ulcou ceperunt. et hinc egressi, Danubium in portu Greci transnauigantes, in curiam ducis Arpad peruenerunt. cumque Lelu Bulsuu et Botond, ceterique milites sani et incolumes cum magna uictoria in secundo anno ad ducem Arpad reuersi fuissent, factum est gaudium magnum per totam curiam ducis, et fecerunt conuiuium magnum, et epulabantur quotidie splendide Hungarii una cum diuersis nacionibus. et uicine naciones audientes facinora facta eorum, confluebant ad ducem Arpad, et pura fide subditi seruiebant ei sub magna cura, et plurimi hospites facti sunt domestici.

(44) *De insula Danubii.* Post hec uero egressus dux Arpad de partibus illis ubi nunc est castrum Budrug, et descendit iuxta Danubium usque ad insulam magnam, et

castra metati sunt iuxta insulam, et dux Arpad suique nobiles intrantes insulam, uisa fertilitate et ubertate illius loci, ac municionem aquarum Danubii, dilexerunt locum ultra quam dici potest, et constituerunt ut ducalis esset insula, et unusquisque nobilium personarum suam ibi haberet curiam et uillam. statim dux Arpad conductis artificibus precepit facere egregias domos ducales, et omnes equos suos longitudine dierum fatigatos ibi introductos pascere precepit, et agazonibus suis magistrum prefecit quendam Cumanum, uirum prudentem nomine Sepel, eo propter Sepel magistrum agazonum inibi morantem, uocata est insula illa nomine Sepel usque in hodiernum diem. dux uero Arpad et sui nobiles permanserunt ibi cum famulis et famulabus suis pacifice et potenter a mense Aprilis usque ad mensem Octobris. et dimissis ibi uxoribus suis, communi consilio ab insula exeuntes, constituerunt ut ultra Danubium irent, et terram Pannonie subiugarent, et contra Carinthinos bellum promouerent, ac in marciam Lombardie se uenire prepararent, et antequam hoc fieret, mitterent exercitum contra Glad ducem, qui dominium habebat a fluuio Morus usque ad castrum Horom, ex cuius eciam progenie longo post tempore descendit Ohtum, quem Sunad interfecit. ad hoc autem missi sunt Zuardu et Cadusa atque Boyta, qui cum accepta licencia equitarent, Thisciam in Kenesna transnauigauerunt, et descensum fecerunt iuxta fluuium Sezturcg, et nemo aduersarius inuentus est eis qui leuaret manus contra eos, quia timor eorum irruerat super omnes homines illius terre. et hinc egressi ad partes Beguey peruenerunt, et ibi per duas hebdomadas permanserunt, donec omnes habitatores illius patrie, a Morisio usque ad fluuium Temes, sibi subiugauerunt, et filios eorum in obsides acceperunt. deinde amoto exercitu uenerunt uersus fluuium Temes, et castra metati sunt iuxta uadum arenarum, et cum uellent transire am-

nem Temes, uenit obuiam eis Glad, a cuius progenie Ohtum descendit, dux illius patrie, cum magno exercitu equitum et peditum, adiutorio Cumanorum et Bulgarorum atque Blacorum. altera autem die dum utraque acies interiacente fluuio Temes ad inuicem nullatenus transire ualuisset, tunc Zuardu iniunxit fratri suo Caduse, ut cum dimidia parte exercitus sui descenderet inferius, et quolibet modo posset transmeare, pugnaret contra hostes. statim cadusa preceptis fratris sui obediens, cum medietate exercitus equitans, descendit inferius celerrimo cursu, et sicut diuina gracia erat eis preuia, leuem habuit transitum. et dum una pars exercitus Hungarorum cum Cadusa ultra esset, et dimidia pars cum Zuardu citra esset, tunc Hungarii tubas bellicas sonuerunt, et fluuium transnatando acriter pugnare ceperunt, et quia Dominus sua gracia antecedebat Hungaros, dedit eis uictoriam magnam, et inimici eorum cadebant ante eos sicut manipuli post messores. et in eodem bello mortui sunt duo duces Cumanorum, et tres Kenezy Bulgarorum, et ipse Glad dux eorum fuga lapsus euasit, sed omnes exercitus eius, liquefacti tanquam cera a facie ignis, in ore gladii consumti sunt. tunc Zuardu et Cadusa atque Boyta, adepta uictoria hinc egressi, uenerunt uersus fines Bulgarorum, et castra metati sunt iuxta fluuium Ponucea. dux uero Glad fuga lapsus, ut supra diximus, propter timorem Hungarorum castrum Keuee ingressus est, et tercio die Zuardu et Cadusa nec non Boyta, a quo genus Brucsa descendit, ordinato exercitu contra castrum Keuee pugnare ceperunt. Hoc cum Glad dux eorum uidisset, missis legatis pacem ab eis petere cepit, et castrum sua sponte cum diuersis donis condonauit. hinc euntes castrum Ursoua ceperunt, Boytam cum tercia parte exercitus, ac filiis incolarum in obsides positis, ad ducem Arpad remiserunt, et insuper legatos suos miserunt, ut eis licenciam daret in Greciam eundi ut totam Macedo-

niam sibi subiugarent, a Danubio usque ad nigrum mare. nam mens Hungarorum tunc tempore nihil aliud optabat nisi occupare sibi terras, et subiugare naciones, et bellico uti labore, quia Hungarii tunc tempore ita gaudebant de effusione humani sanguinis, sicut sanguisuga, et nisi ita fecissent, tot bonas terras posteris suis non dimisissent. quid plura. Boyta et legati eorum ad ducem Arpad peruenerunt, et res gestas sibi narrauerunt, dux uero opus eorum conlaudauit, et Zuardu ac Caduse licenciam concessit liberam in Greciam eundi, et terram preoccupandi sibi, et Boyte pro suo fidelissimo seruicio dedit terram magnam iuxta Thisciam, nomine Torhus. tunc legati Zuardu et fratris sue Caduse, accepta licencia, leti ad dominos suos reuersi sunt.

(45) *De ciuibus Bulgarorum et Macedonum.* Transactis quibusdam diebus, Zuardu et Cadusa cum omni exercitu suo, eleuatis uexillis signiferis aquam Danubii transnauigauerunt, et castrum Borons ceperunt, deinde ad castrum Scereducy iuerunt. audientes hoc ciues Bulgarorum et Macedonum, timuerunt ualde a facie eorum. tunc omnes incole illius terre miserunt nuncios suos cum donariis multis, ut terram sibi subiugarent, et filios suos in obsides traderent. Zuardu et Cadusa paci fauentes, et dona et obsides eorum accipientes, eos quasi suum proprium populum in pace dimiserunt. ipsi uero ceperunt equitare ultra portam Wazil, et castrum Philippi regis ceperunt, deinde totam terram usque ad Cleopatram ciuitatem sibi subiugauerunt, et sub potestate sua habuerunt totam terram a ciuitate Durasu usque ad terram Rachy. et Zuardu in eadem terra duxit sibi uxorem, et populus ille qui nunc dicitur Sobamogera, mortuo duce Zuard in Grecia remansit, et ideo dictus est Soba secundum Grecos, id est stultus, quia mortuo domino suo, uiam non dilexit redire ad patriam suam.

(46) *De portu Moger.* Transactis quibusdam diebus, dux Arpad et omnes sui primates, communi consilio et pari consensu, ac libera uoluntate egredientes de insula, castra metati sunt ultra Surcusar, usque ad fluuium Racus. et dum uidissent quod undique tuti essent, nec aliquis eis obsistere ualeret, transierunt Danubium, et portum ubi transitum fecerunt portum Moger nominauerunt, eo quod septem principales persone, qui Hetumoger dicti sunt, ibi Danubium transnauigauerunt. transito Danubio castra metati sunt iuxta Danubium, usque ad aquas calidas superiores. et hoc audito omnes Romani, per terram Pannonie habitantes, uitam fuga seruauerunt. secundo autem die dux Arpad et omnes sui primates, cum omnibus militibus Hungarie, intrauerunt in ciuitatem Athile regis, et uiderunt omnia palacia regalia, quedam destructa usque ad fundamentum, quedam non, et admirabantur ultra modum omnia illa edificia lapidea, et facti sunt leti ultra quam dici potest, eo quod capere meruerunt sine bello ciuitatem Athile regis, ex cuius progenie dux Arpad descenderat. et epulabantur quotidie cum gaudio magno, in palacio Athile regis, conlateraliter sedendo, et omnes symphonias atque dulces sonos cythararum et fistularum, cum omnibus cantibus ioculatorum, habebant ante se. fercula, pocula portabantur duci et nobilibus in uasis aureis, seruientibus et rusticis in uasis argenteis, quia omnia bona aliorum regnorum circumiacencium dederat deus in manus eorum, et uiuebant large ac splendide, cum omnibus hospitibus ad se uenientibus. et hospitibus secum commorantibus dux Arpad terras et possessiones magnas dabat, et hoc audito multi hospitum confluebant ad eum, et ouantes morabantur cum eo. tunc dux Arpad et sui, propter leticiam permanserunt in ciuitate Athile regis per uiginti dies, et omnes milites Hungarie ante presenciam ducis, fere

quotidie super dextrarios suos sedentes, cum clypeis et lanceis maximum tornamentum faciebant, et alii iuuenes more paganismo, cum arcubus et sagittis ludebant, unde dux Arpad ualde letus factus est, et omnibus militibus suis diuersa donaria, tam in auro quam in argento, cum ceteris possessionibus donauit. et in eodem loco Cundunec patri Curzan dedit terram, a ciuitate Athile regis usque ad centum montes et usque ad Gyog, et filio suo dedit unum castrum ad custodiam populi sui. tunc Curzan castrum illud sub suo proprio nomine iussit appellari, quod nomen usque hodiernum diem non est obliuioni traditum.

(47) *De terra Pannonie.* Dux uero Arpad, uigesimo primo die, inito consilio, egressus est de Ecilburgu, ut subiugaret sibi terram Pannonie usque ad fluuium Droua. et prima die castra metatus est iuxta Danubium, uersus centum montes. tunc ordinatum est, quod dux de exercitu suo unam partem mitteret iuxta Danubium, uersus castrum Borona. cui prefecit principes et ductores duos de principalibus personis, scilicet Ete pater Eudu, et Boyta, a quo genus Brucsa descendit, quibus eciam pro suo fidelissimo obsequio dux Arpad donauit munera non minima, et Eudunec filio Ete dedit terram iuxta Danubium, cum populo non numerato. et in loco illo Eudu, subiugato populo illius partis, edificauit castrum, quod nominauit uulgariter Zecuseu, eo quod ibi sedem et stabilitatem constituit. et Boyte eodem modo dedit terram magnam uersus Saru cum populo non numerato, que usque modo nuncupatur Boyta.

(48) *De ciuitate Bezprem.* In secunda parte exercitus missus est Usubuu pater Zolocu, et Eusee, qui iret uersus ciuitatem Bezgrem, et subiugaret omnes habitatores terre usque ad Castrum ferreum. tunc Usubuu, princeps

et ductor illius exercitus, licenciatus a duce, eleuato uexillo egressus est, et castra metatus est iuxta montem Pacoztu. hinc uero equitantes, in campo Peytu castra metati sunt, et per tres dies ibi permanserunt, quarto autem usque ad castrum Bezprem peruenerunt. tunc Usubuu et Eusee, ordinato exercitu, contra romanos milites, qui castrum Bezprem custodiebant, pugnare acriter ceperunt, et pugnatum est inter eos per hebdomadam, unam, in secunda autem hebdomada, feria quarta, dum utraque pars exercitus labore belli nimis esset fatigata, tunc Usubuu et Eusee plures milites Romanorum in ore gladii consumserunt, et quosdam ictibus sagittarum interfecerunt, reliqui uero Romanorum, uidentes audaciam Hungarorum, dimisso castro Bezprem fuga lapsi sunt, et pro remedio uite in terram Teothonicorum properauerunt, quos Usubuu et Eusee usque ad confinium Theothonicorum persecuti sunt. quadam autem die, dum Hungarii et Romani in confinio essent, Romani fugiendo, latenter fluuium, qui est in confinio Pannonie et Teothonicorum, transnatauerunt, unde fluuius ille ab Hungaris uocatus Loponsu, eo quod Romani, propter metum Hungarorum, latenter transnatauerunt.

(49) *De Castro ferreo.* Et ex hinc Usubuu pater Zoloucu, et Eusee pater Urcun reuersi, Castrum ferreum ceperunt, et filios incolarum in obsides acceperunt, hinc uero equitantes iuxta fluuium Bolotun, usque ad Thyon peruenerunt, et subiugatis sibi gentibus, decimo quarto die castrum Bezprem intrauerunt. tunc Usubuu et Eusee, inito consilio, nuncios suos, cum diuersis muneribus et filiis incolarum in obsides positis, duci Arpad transmiserunt, et qualiter dedit eis deus uictoriam, et quomodo Romani, dimisso castro Bezprem ante eos fuga lapsi, fluuium Loponsu latenter transnatauerunt. Missi uero eorum ducem Arpad in silua Turobag Arpalice ambulantem inue-

nerunt, et eum cum diuersis ex parte Usubuu et Eusee salutauerunt, et filios incolarum in obsides positos duci presentauerunt. Dux uero Arpad audito hoc lecior factus est solito, et iterum in Ecilburgu reuersus, magnum fecit conuiuium, et legatis gaudia nunciantibus munera magna condonauit.

(50) *De deuastacione Pannonie.* Tunc dux Arpad et sui nobiles, cum tercia parte exercitus sui de Ecilburgu egressi, castra metati sunt iuxta campum putei salsi, et inde equitantes, usque ad montem Bodoctu peruenerunt. Dux uero Arpad ab orientali parte dedit Eleudunec patri Zobolsu siluam magnam, que nunc Uertus uocatur, propter clypeos Teothonicorum inibi dimissos. ad radicem huius silue, iuxta stagnum Ferteu, Saac nepos Zobolsu longo post tempore castrum construxit. quid ultra? dux autem Arpad et sui milites sic eundo, iuxta montem sancti Martini castra metati sunt, et de fonte Sabarie tam ipsi quam eorum animalia biberunt, et montem ascendentes, et uisa pulchritudine terre Pannonie, nimis leti facti sunt. et inde egressi, usque ad Rabam et Rabuceam uenerunt, Sclauorum et Pannoniorum gentes et regna uastauerunt, et eorum regiones occupauerunt. sed et Carinthinorum Moroanensium fines crebris incursibus diripuerunt, quorum multa millia hominum in ore gladii occiderunt, presidia subuerterunt, et regiones eorum possederunt, et usque in hodiernum diem, adiuuante domino, potenter et pacifice posteritas eorum detinet. tunc Usubuu et Eusee pater Urcun, cum omni exercitu eorum sani et incolumes, cum magna uictoria reuersi sunt ad ducem Arpad, deus enim, cuius misericordia preuia erat, tradidit duci Arpad et suis militibus inimicos eorum, et per manus suas labores populorum possederunt. ubi cum radicati fuissent, et fere omnia uiciniora regna sibi subiugassent, reuersi sunt iuxta Danu-

bium uersus siluam, causa uenacionis, et dimissis militibus ad sua propria, dux et sui nobiles manserunt in eadem silua per decem dies, et inde uenerunt in ciuitatem Athile regis, et ad insulam Sepel descenderunt, ubi ducissa et alie mulieres nobilium fuerunt. et eodem anno dux Arpad genuit filium nomine Zulta, et factum est gaudium magnum inter Hungaros, et dux et sui nobiles per plurimos dies faciebant conuiuia magna, iuuenesque eorum ludebant ante faciem ducis et suorum nobilium, sicut agni ouium ante arietes. transactis autem quibusdam diebus, dux Arpad et sui nobiles, communi consensu miserunt exercitum contra Menumorout ducem Byhoriensem, cui exercitui principes et ductores facti sunt Usubuu et Uelec, qui egressi sunt de insula, equitantes per sabulum, et fluuium Thiscie in portu Beuldu transnauigauerunt. et inde equitantes, iuxta fluuium Couroug castra metati sunt, et omnes Siculi, qui primo erant populi Athile regis, audita fama Usubuu obuiam pacifici uenerunt, et sua sponte filios suos cum diuersis muneribus in obsides dederunt, et ante exercitum Usubuu in prima acie contra Menumorout pugnare ceperunt. et statim filios Siculorum duci Arpad transmiserunt, et ipsi, precedentibus Siculis, una contra Menumorout equitare ceperunt, fluuium Cris in Ceruino monte transnatauerunt, et inde equitantes iuxta fluuium Tekereu castra metati sunt.

(51) *De duce Menumorout.* Hoc cum audiuisset Menumorout, quod Usubuu et Ueluc, nobilissimi milites ducis Arpad, cum ualida manu, precedentibus Siculis contra eum uenirent, timuit ultra quam debuit, et contra eos ausus uenire non fuit, eo quod audiuerat ducem Arpadium et suos milites ualidiores esse in bello, et Romanos fugatos esse de Pannonia per ipsos, et Carinthinorum Moroanensium fines deuastasse, et multa millia hominum occidisse

in ore gladii eorum, regnumque Pannoniorum occupasse, et inimicos eorum ante faciem fugisse. tunc dux Menumorout dimissa multitudine militum in castro Byhor, ipse cum uxore et filia sua fugiens a facie eorum, in nemoribus Ygfon habitare cepit. Usubuu et Ueluc omnisque exercitus eorum leti contra castrum Byhor equitare ceperunt, et castra metati sunt iuxta fluuium Iouxas. tercio autem die, ordinatis exercitibus, ad castrum Bellarad egressi sunt, sicut e conuerso milites congregati ex diuersis nacionibus, contra Usubuu et suos milites pugnare ceperunt. Sycli et Hungarii ictibus sagittarum multos homines interfecerunt, Usubuu et Ueluc per balistas centum uiginti quinque milites occiderunt, et pugnatum est inter eos duodecim dies, et de militibus Usubuu uiginti Hungarii et quindecim Sycli interfecti sunt. tercio autem die, cum Hungarii et Sycli fossata castri impleuissent, et scalas ad murum ponere uellent, milites ducis Menumorout uidentes audaciam Hungarorum, ceperunt rogare post duos principes exercitus, et aperto castro, nudis pedibus, supplicantes ante faciem Usubuu et Ueluc uenerunt, quibus Usubuu et Ueluc custodiam ponentes, ipsi in castrum Byhor intrauerunt, et multa bona illorum militum inibi inuenerunt. Hoc cum Menumorout per nuncios fuga lapsos audiuisset, irruit in maximum timorem, et misit nuncios suos cum diuersis muneribus ad Usubuu et Ueluc, et rogauit eos, ut ipsi paci fauentes legatos suos ad ducem Arpad eundi dimitterent, qui nunciarent ei: quod Menumorout, qui duci Arpad, primo per legatos proprios, bulgarico corde superbe mandando, terram cum pugillo se daturum negabat, modo per eosdem nuncios uictus et prostratus, totum regnum, et Zulte filio Arpad filiam suam dare non dubitaret. tunc Usubuu et Ueluc consilium eius laudauerunt, et cum legatis suis nuncios miserunt, qui dominum suum ducem Arpadium causa pacis rogarent. qui cum insulam Sepel in-

trauissent, et ducem Arpad salutassent, secunda die legati mandata Menumorout dixerunt. dux uero Arpad, inito consilio suorum nobilium, mandata Menumorout dilexit et laudauit, et dum filiam Menumorout eiusdem etatis ut filius suus Zulta iam esse audiuisset, peticionem Menumorout differre noluit, et filiam suam in uxorem Zulte accepit, cum regno sibi promisso. et missis legatis ad Usubuu et Ueluc mandauit, ut celebratis nupciis, filiam Menumorout filio suo Zulte in uxorem acciperent, et filios incolarum in obsides positos secum ducerent, et duci Menumorout darent Byhor castrum.

(52) *De Usubuu et Ueluc.* Usubuu et Ueluc, nec non omnis exercitus preceptis domini sui fauentes, filiam Menumorout, celebratis nuptiis, acceperunt, et filios incolarum in obsides positos secum duxerunt, et ipsum Menumorout in castro Byhor dimiserunt. tunc Usubuu et Ueluc cum magno honore et gaudio ad ducem Arpad reuersi sunt. dux uero et sui yobagyones obuiam eis processerunt, et filiam Menumorout, sicut decet sponsam tanti ducis, honorifice ad ducalem domum duxerunt. dux uero Arpad, et omnes sui primates, celebrantes nupcias magna fecerunt conuiuia, et fere quotidie comedebant nupcialiter cum diuersis millibus circumiacencium regnorum, et iuuenes eorum ludebant ante faciem ducis et suorum nobilium. Dux Arpad, accepto iuramento primatum et militum Hungarie, filium suum Zultam, ducem cum magno honore eleuari fecit. tunc dux Usubuunec patri Zoloucu, pro suo fidelissimo seruicio dedit castrum Bezprem, cum omnibus appendiciis suis, et Uelucquio dedit comitatum de Zarand, et sic ceteris nobilibus honores et loca condonauit. Menumorout post illam causam in secundo anno sine filio mortuus est, et regnum eius totaliter Zulte genero suo dimisit in pace. post hec anno dominice incarnacionis DCCCVII

dux Arpad migrauit de hoc seculo, qui honorifice sepultus est supra caput unius parui fluminis, qui descendit per alnum lapideum in ciuitatem Athile regis, ubi eciam post conuersionem Hungarorum edificata est ecclesia, que uocatur alba, sub honore beate Marie uirginis.

(53) *De successione Zulte ducis.* Et successit ei filius suus Zulta, similis patri moribus, dissimilis natura. fuit enim dux Zulta parum blesus et candidus, capillo molli et flauo, statura mediocri, dux bellicosus, animo fortis, sed in ciuibus clemens, uoce suaui, sed cupidus imperii, quem omnes primates et milites Hungarie miro modo diligebant. transactis quibusdam temporibus, dux Zulta cum esset tredecim annorum, omnes primates regni sui, communi consilio et pari uoluntate, quosdam rectores regni sub duce prefecerunt, qui moderamine iuris consuetudinis, dissidencium lites contencionesque sopirent. alios autem constituerunt ductores exercitus, cum quibus diuersa regna uastarent, quorum nomina hec fuere: Lelu filius Tosu, Bulsuu, uir sanguinis, filius Bogat, Botond filius Culpun, erant enim isti uiri bellicosi et fortes in animo, quorum cura nulla fuit alia, nisi domino suo subiugare gentes, et deuastare regna aliorum. qui accepta licencia a duce Zulta cum exercitu in Carinthiam ire decreuerunt, et per Forum Iulii in marchiam Lombardie uenerunt, ubi ciuitatem Paduam cedibus et incendiis, et gladio et rapinis magnis crudeliter deuastauerunt. ex hinc intrantes Lombardiam multa mala facere ceperunt, quorum uiolencie ac belluino furori, cum terre incole in unum agmen conglebati resistere conarentur, tunc innumerabilis multitudo Lombardorum per Hungaros ictibus sagittarum periit, quamplurimis episcopis et comitibus trucidatis. tunc Lutuardus, episcopus Uercellensis ecclesie, uir nominatissimus, Caroli minoris quondam imperatoris familiarissimus amicus ac fidelissimus a

secreto, hoc audito, assumtis secum opibus atque incomparabilibus thesauris, quibus ultra quam estimari potest abundabat, cum omnibus uotis effugere laboraret eorum cruentam ferocitatem, tunc inscius super Hungaros incidit, et mox ab eis captus interficitur, et thesaurum estimacionem humanam transcendentem, quem secum ferebat rapuerunt. eodemque tempore Stephanus frater Waldonis comitis, cum in secessu residens super murum castri, in nocturnis aluum purgare uellet, tunc a quodam Hungaro per fenestram cubiculi sui sagitte ictu grauiter uulneratur, de quo uulnere eadem nocte extinguitur.

(54) *De deuastacione Lotoringie, Alemannie et Francie.* Deinde Lotoringiam et Alemanniam deuastauerunt, Francos quoque orientales, in confinio Franconie et Bauarie, ictibus sagittarum in turpem fugam conuerterunt, et omnia bona eorum accipientes ad ducem Zultam in Hungariam reuersi sunt.

(55) *De morte Lelu et Bulsu.* Postea uero anno quinto, regnante Counrado imperatore, Lelu Bulsuu et Botond, incliti quondam et gloriosissimi milites Zulte ducis Hungarorum, missi a domino suo partes Alemannie irruperunt, et multa bona eorum acceperunt. sed tandem Bauarorum et Alemannorum nefandis fraudibus Lelu et Bulsuu capti sunt, et iuxta fluuium Hin in patibulo suspensi occiduntur. Botondu et alii Hungarorum milites, qui ex eis residui fuerant, uidentes se malo dolo inimicorum coarctatos, audacter et uiriliter steterunt, et ab inuicem non sunt alienati, sed alter alteram partem mensuram in periculo precipue sumserunt adiuuare, et uulneratorum more leonum in media arma fremebundi ruentes, hostes suos grauissima cede prostrauerunt, et quamuis erant uicti, tamen uictores suos forcius et uictoriosius uicerunt et grauissima cede prostra-

uerunt. felix igitur Hungarorum embola, multa periculorum experiencia iam securior et exercitacior, de ipsa continua exercitacione preliorum uiribus et potestate prestancior, totam Bauariam et Alemanniam, ac Saxoniam et regnum Lothariense igne et gladio consumserunt, et Erchangerum atque Bertaldum duces eorum decollauerunt. hinc uero egressi Franciam et Galliam expugnauerunt, et dum inde uictores reuerterentur, ex insidiis Saxonum magna strage perierunt, qui autem ex ipsis euaserunt ad propria redierunt. sed de morte Lelu et Bulsuu aliorumque suorum militum Dux Zulta et sui primates non modicum sunt conturbati, et inimici Teothonicorum sunt facti. tunc dux Zulta et sui milites, propter illatam iniuriam inimicorum, contra eos inspirare ceperunt, et quo libet modo possent eis uices reddere, non tacerent. sed diuina gracia adiuuante, dux Zulta anno dominice incarnacionis DCCCCXXXI genuit filium, quem nominauit Tocsun, pulchris oculis et magnis, capilli nigri et molles, comam habebat ut leo, ut in sequentibus audietis.

(56) *De inimicis Athonis regis.* Eodem anno inimici Athonis regis Theothonicorum in necem eius detestabili facinore machinabantur, qui cum per se nihil mali facere ei potuissent, auxilium Hungarorum rogare ceperunt, quia sciebant quod Hungari essent insuperabiles in asuetis bellorum laboribus, et plurimis regnis deus per eos furoris sui flagella propinasset. tunc illi inimici Athonis regis Teothonicorum miserunt nuncios suos ad Zultam ducem, uirum bellicosum, et rogauerunt eum dato auro multo, ut adiutorio hungaro predictum regem Athonem inuaderent. dux uero Zulta, iracundia ductus, tam pro eorum pace et precio, quam eciam pro morte Lelu et Bulsuu, gemebundo pectore misit exercitum magnum contra Athonem regem Theothonicorum, quibus principes et ductores fecit Boton-

dium filium Culpun, et Zobolsum filium Eleud, nec non Ircundium filium Eusee. qui cum egressi essent a duce Zulta, rursum Bauariam, Alemanniam et Saxoniam atque Thuringiam in gladio percusserunt, et exinde egressi in quadragesima, transierunt Renum fluuium, et regnum Lotariense in arcu et sagittis exterminauerunt, uniuersam quoque Galliam atrociter affligentes, ecclesias dei crudeliter intrantes, spoliauerunt. inde per abrupta Senonensium, per populos Aliminos, ferro sibi uiam et gladio aperuerunt, superatis ergo illis bellicosissimis gentibus, et naturali situ locorum tutissimis, montes Senonum transcenderunt, et Segusam ceperunt ciuitatem. deinde egressi, Taurinam ciuitatem opulentissimam expugnauerunt, et postquam planam regionem Lombardie aspexerunt, totam pene Italiam, bonis omnibus affluentem et exuberantem, concitatis cursibus spoliauerunt. deinde uero Botond filius Culpun, et Urcun filius Eusee, superatis omnibus gentibus prememoratis, felici uictoria fruentes ad propria regna reuertuntur. tunc Hoto rex Teothonicorum posuit insidias iuxta Renum fluuium, et cum omni robore regni sui eos inuadens, multos ex eis interfecit. Botond et Urcun, ac reliqui exercitus, magis uolentes mori in bello, quam apropriatam sibi uictoriam amitterent, tunc hostibus pertinaciter insistunt, et in eodem bello quemdam magnum ducem, uirum nominatissimum, interficiunt, et alios uulneratos in fugam conuertunt, quorum spolia diripiunt, et ex inde ad propria redeunt regna cum magna uictoria. et cum Botond et Urcun in terram Pannonie leti reuerterentur, tunc Botond longo labore belli fatigatus, miro modo infirmari cepit, ex luce migrauit, et sepultus est prope fluuium Wereucea. sed istud notum sit omnibus scire uolentibus, quod milites Hungarorum, hec et alia huiusmodi bella, usque ad tempora Tucsun ducis gesserunt.

(57) *De constitucione Regni.* Dux uero Zulta post reuersionem militum suorum fixit metas regni Hungarie, ex parte Grecorum usque ad portam Wazil et usque ad terram Racy, ab occidente usque ad mare, ubi est Spalatina ciuitas, et ex parte Teothonicorum usque ad pontem Guncil, et in eisdem partibus dedit castrum construere Ruthenis, qui cum Almo duce auo suo in Pannoniam uenerant, et in eodem confinio, ultra lutum Musun, collocauit eciam Bissenos non paucos habitare pro defensione regni sui, ut ne aliquando in posterum furibundi Teothonici, propter iniuriam sibi illatam fines Hungarorum inuadere possent. ex parte uero Boemorum fixit metas usque ad fluuium Moroua, sub tali condicione, ut dux eorum annuatim tributa persolueret duci Hungarie, et eodem modo ex parte Polonorum usque ad montem Tatur, sicut primo fecerat regni metam Borsu filius Bunger. et dum dux Zulta et sui milites ita radicati essent undequaque Hungarii, tunc dux Zulta duxit filio Tocsun uxorem de terra Cumanorum, et ipso uiuente accepit iuramenta suorum nobilium, et filium suum Tocsun fecit ducem ac dominatorem super totum regnum Hungarie, et ipse dux Zulta tercio anno regni filii sui de ergastulo corporis uiam uniuerse carnis egressus est. Tocsun uero dux, cum omnibus primatibus Hungarie, potenter et pacifice per omnes dies uite sue obtinuit omnia iura regni sui, et audita pietate sua, multi hospites confluebant ad eum ex diuersis nacionibus. nam de terra Bular uenerunt quidam nobilissimi domini, cum magna multitudine Hismahelitarum, quorum nomina fuerunt: Bila et Bocsu, quibus dux per diuersa loca Hungarorum condonauit terras, et insuper castrum quod dicitur Pest in perpetuum concessit. Bila uero et frater eius Bocsu, a quorum progenie Ethey descendit, inito consilio, de populo secum ducto duas partes ad seruicium predicti castri concesserunt, ter-

ciam uero partem suis posteris dimiserunt. et eodèm tempore de eadem regione uenit quidam nobilissimus miles nomine Heten, cui eciam dux terras et alias possessiones non modicas condonauit. dux uero Tocsun genuit filium nomine Geysam, quintum ducem Hungarie. et in eodem tempore de terra Bissenorum uenit quidam miles de ducali progenie, cuius nomen fuit Thonuzoba pater Urcund, a quo descendit genus Thomoy, cui dux Tocsun dedit terram habitandi in partibus Kemey, usque ad Thisciam, ubi nunc èst portus Obad. sed iste Thonuzoba uixit usque ad tempora sancti regis Stephani nepotis ducis Tocsun, et dum beatus rex Stephanus uerba uite predicaret et Hungaros baptizaret, tunc Thonuzoba in fide uanus noluit esse Christianus, sed cum uxore uiuus ad portum Obad est sepultus, ut ne baptizando ipse et uxor sua uiuerent cum Christo in eternum. sed Urcund filius suus Christianus factus, uiuit cum Christo in perpetuum.

CHRONICON POSONIENSE.

E codice membranaceo sæculi XIII. ecclesiæ collegiatæ ad S. Martinum Posonii.

Anno ab incarnacione domini

DCCCCXCVII.	Adalbertus episcopus martirizatus est.
DCCCCXCVIII.	Geyza princeps ungarorum obiit.
Millesimo.	Stephanus ungarorum rex coronatus est.
MXVIIII.	Dedicatur ecclesia S. Adriani martiris.
MXXIIII.	Benedictus papa obiit.
MXXX.	Gerardus episcopus ordinatur.
MXXXI.	Henricus filius Stephani regis obiit.
MXXXVI.	Maurus episcopus est effectus.
MXXXVIII.	Dedicatum est monasterium S. Benedicti, et Stephanus rex mortuus est, et Petrus in regem eleuatur.
MXLI.	Petrus rex eicitur. et Abba in regem eleuatur.
MXLII.	Bonipertus episcopus obiit.
MXLIIII.	Abba rex interficitur. et Petrus rex in pristinum restituitur.
MXLVII.	Interficiuntur episcopi. Gerardus. et Modestus. et Petrus rex cum dolo obcecatur. et Andreas rex eleuatur.
MLI.	Henricus imperator pannoniam ingreditur.
MLII.	Henricus imperator castrum poson obsedit.
MLIII.	Samson filius Andree regis nascitur.
MLV.	Henricus imperator obiit.
MLVII.	Andreas rex infirmatur et Salamonem filium suum coronauit.

MLX. Inter Andream et fratrem eius bela grauis discordia oritur. et rex Andreas moritur.

MLXVIII. Ciuitas bulgarorum a rege Salamone capitur. rursumque ab isdem bulgaris et grecis dolo recipitur.

MLXXI. Salomon rex cum duce magno geyza Ungarorum exercitum debellatur. atque populi in captiuitatem reducuntur. et bessenorum exercitus percutitur.

MLXXII. Salomon rex bulgarense regnum inuasit.

MLXXIIII. Inter regem Salomonem. et ducem magnum grauis discordia oritur. et Salomon regno priuatur.

MLXXV. Magnus rex coronatur.

MLXXXI. Ladizlaus rex. et Salomon frater eius pacem fecerunt. et crux domini fulgure percussa est.

MLXXXIII. In carcere missus. et dominus rex Stephanus. et Henricus filius eius et Gerardus episcopus reuelantur. et Salomon rex fugit.

MLXXXXVII. Ladislaus rex obiit et frater eius Lambertus dux. quibus Colomannus et frater eius Almus succedunt in regnum.

MLXXXXVIII. Colomannus rex coronatur. et frater eius Almus diadema induitur.

MC. Cupanus episcopus interficitur a chunis. et Laurencius episcopus obiit.

MCVIII. Colomannus rex accepit ciuitatem Zader.

MCXIIII. Laurencius archiepiscopus obiit. Alonus dux cum rege pacificatus est.

MCXVII. Almus dux et bela filius eius obcecantur et colomannus rex mortuus est. et filius eius Stephanus in regem eleuatur et coronatur.

MCXXVII. Stephanus rex accepit ciuitatem nis.

MCXLIII. Regnante gloriosissimo Rege Geyza dedicatum est monasterium ciploc in honore S. Marie a uenerabili episcopo martyrio.

MCXLV. Geyza rex theotonicorum terram intrauit. et expugnauit herzog. et exercitum eius fugauit.

MCLXXII. Geyza rex appositus est ad patres suos et filius eius Stephanus corona insignitur. Ladizlaus et Stephanus fratres Geyze regis de grecia reuertentes Ungariam intrauerunt et supradicto Stephano corona priuato Ladizlaus in regem eleuatur. Qui Stephanus in poson fugit. Mortuo itaque Ladizlao Stephanus frater eius regni gubernacula suscepit. Item Stephanus filius Geyza de poson exiens armata manu expugnauit Stephanum fratrem Ladizlai.

MCLXXXVI. Bela frater eius de grecia eductus in regem eleuatur.

MCLXXXVI. Obiit cumperdinus comes. Eodem anno dux Geyza exiens ungariam cum Laurencio comite et multis aliis intrauit haustriam. et soror eius nupsit in grecia. mater uero eius tenetur captiua in bronz.

MCLXXXVII. Dux Geyza transiuit de haustria in boemiam. unde a rege fratre suo reductus est in ungariam. Wata comes cecatur. Stephanus Colociensis episcopus deponitur. Eodem tempore mater regis in exilium in greciam mittitur.

MCLXXXXV. Desiderius abas depositus est.

MCLXXXXVIIII. Buda sacerdos obiit.

MCXCII. *VIII. Id. ap. Eleuacio S. Ladizlai.*
MCXCVI. *S. bela Rex.*
MCC. Daniel presbiter ordinatur.
MCCIII. Monasterium S. Iohannis comburitur iuxta buloriam situm.

Hec est uita regum ungarorum. Stephanus rex regnauit XL.IIII. annos. Petrus rex VI. Aba rex III. Andreas rex XII. Bela rex III. Salomon rex XI. Geysa rex III. Ladizlaus rex XVI. Colomanus rex XXII. Stephanus rex XII. Bela rex VIIII. Geysa rex sunt an. XXIIII. Stephanus rex XV. usque Bela rex XXV. Henricus rex VIIII. Andreas rex VI.

MCCXXVIII. *XVIII. Kal. Decembris consecrata est h. ecclesia in honore beate Marie uirginis a uenerabili Iacobo Nitrien. epo. in qua continentur hec reliquie de sancta Maria uirgine. de sancto Petro apostolo. de sancto Georgio martire. de sancto Gallo confessore. de sancto Henrico confessore. de sancto Gothardo conf. de sancta Margareta uirgine. In altari uero superiore quod die sequenti in honore beati Georgii martiris consecratum est. he habentur reliquie de ligno S. de sancto Iohanne apostolo et euangelista. de sancto Georgio martire. de sancto Laurencio martire. de sancto Martino episcopo et confessore.*
MCCXLI. *Uxor Iohannis occiditur et uxor Chucar et uxor . . . . a Cumanis captiuatur.*

III. Non. Ian. *S Ypolitus.*
XVI. Kal. Febr. *S Nazua Magister.*
XII. Kal. Febr. *Simon S*

XI.	Kal. Febr.	℣ *Egidius cum matre.*
	Non. Febr.	*Elisabet* ℣.
II.	Idus Febr.	*hic obiit domina pauz.*
XV.	Kal. Mar.	*Buda* ℣.
XI.	Kal. Mar.	℣ Iohannes.
V.	Kal. Mar.	*obiit Simeon Abbas.*
IIII.	Idus Mar.	℣ *obiit Ponctus Prepositus.*
IIII.	Kal. Apr.	*Sukar.*
III.	Kal. Apr.	*Basa filius.*
II.	Kal. Maii.	℣ Ioseph clericus.
XIIII.	Kal. Iul.	hic obiit mater Deine . . . .
VI.	Idus Sept.	℣ *mater Nezda.*
	Idus Sept.	† ℣ miser magister.
II.	Kal. Oct.	*Sumug.*
VIII.	Kal. Nou.	℣ *folc filius Ipoliti.*
VII.	Kal. Dec.	*hic obiit Eustachius predicator.*
V.	Kal. Dec.	℣ *Dániel sacerdos.*
VIII.	Idus Dec.	℣ Pater Nezda c⁹dis.
XVII.	Kal. Ian.	℣ *Domina mater Decani Andree.*

CRONICA HUNGAROROUM.

E codice Warsaviensi sæculi XIII.

INCIPIT CRONICA HUNGAROROUM, IUNCTA ET MIXTA CUM CRONICIS POLONORUM ET UITA SANCTI STEPHANI.

Domino suo Colomano regi excellentissimo, Chartuicius episcopus spirituale ministerium dei benignitate adeptus, post huius uite terminum illud euge precatur sempiternum. Aggredior nunc opus serenissime rex iussu tuo mihi demandatum, a quo hactenus ingenioli mei impericia abhorruit, ob id presertim quod Priscianus grammaticus mihi olim sat bene perspectus et cognitus, procul a me digressus, iam decrepito mihi, tanquam caligine quadam septus faciem exhibet obscurissimam. sed cum alia ex parte dignitatis tue attenderem autoritatem, uicit tandem anxie mentis dubitacionem omnem uirtutum omnium lux et gemma obediencia, cuius forti presidio fretus, tametsi mihi uires cernerem haud quaquam suppetere, operis inchoandi fiduciam suscepi. cum sint autem plerumque inuidie obnoxie, que bona animi fiducia geruntur, supplex oro regiam sublimitatem tuam, uti opusculi huius suscipere ne grauetur patrocinium, nec offendatur parum commoda diccione aut ordinis et rerum gestarum confusione. quod si occurrat quidpiam, quod fedam habeat offensionem, malim codicem ignibus absumi, quam liuoris materiam cuipiam offerri. et quia bona omnia ad nos ex diuina misericordia proficiscuntur, ipsius munere sic libet opusculum presens auspicari.

Prefacio autoris.

Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est descendens a patre luminum. huius patris datum optimum, post passionem et gloriosam resurrectionem et ascensionem domini nostri Iesu Christi, omnes regiones proueniens, qui omnes homines uult saluos fieri, ad orientalem Hungarorum regionem usque defusum est, quos Iesus Christus, qui est deus optimus, non in propria regione, in aliena que Sclauiania nominatur, post multos labores et erumnas ad fidem catholicam mirabili sua prouidencia uocare dignatus est.

(1) *De Aquila rege.* Cum autem rex eorum qui Aquila proprio nomine nuncupabatur, esset locupletatus argento et auro et gemmis, hominorumque animalium uolucrum ac bestiarum siluestrium maxima multitudine, ita ut delicie mundi ex omni parte ei affluerent, exaltatum est et eleuatum est cor eius, et decreuit in animo suo ut omnia regna terrarum et omnes naciones consurgeret et suo imperio subiugaret. exit edictum ab ipso ut omnes naciones super quas timor eius erat ad bellum ualidum parati et armati congregarentur. quod cum conuenissent et innumerabiles campos onerassent, elegit acies de uiris strenuissimis et ad bella promptissimis, a nemine consilium disquirens, ne quis sibi ob pigriciam, uel amore possessionum, uel dolore uxoris aut puerorum suorum dissuaderet, sed cum probitate cordis sui et corporis constancia consilium iniens, contra Lithuam acies mouit, quos statim oppressit et omnem terram uastauit. quibus subiectis Scuciam, ubi sanctus Brandanus requiescit, intrauit, et sue potencie suppeditauit. inde uero Daciam ingrediens cum ipsis conflictum habuit, quibus terga uertentibus multos occidit, reliquos sue dominacioni subdidit. congregatis autem carinis

in Dacia mare ascendit, et ubi fluuius qui Rhenus dicitur mare intrat, per Rhenum exectis remis Theutoniam ingressus est, et ad Coloniam ciuitatem egregiam ueniens tentoria fixit.

(2) *De occisione XI uirginum millium.* Mox illi contra occurrunt XI millia uirginum, uisitatis liminibus sanctorum apostolorum Petri et Pauli de Uerona ueniencium. quas cum uidissent perterriti sunt custodes, et celeriter nunciant regi, quia nondum aliquis perturbauerat, post quam Allemaniam intrauerat. rex et acies subito territi contra uirgines Christi exierunt, et eas cedere ceperunt. cum autem fere omnes cese fuissent, et rex ipse ad uirginem christianam Ursulam appropinquasset, et eam intuitus fuisset, et quod uirgo non uir esset cognouisset, dixit ad eam: o si ad nostram regiam magnificenciam tam tua nobilis uirginitas nuncium direxisset, et nobis tuum gloriosum aduentum significasset, nunquam nostrum militum ferocitas tuas acies occidisset. unde quia hoc per ignoranciam factum est, noli de tuis collegis tristari, sed magis consolari, quia mihi copulaberis et regina omnium regnorum eris. cui respondens beata Ursula dixit: inique canis ferox et audax. ego regi Cesari copulata sum, te autem qui est draco iniquus uorans Christianos ut diabulum despicio. quod cum uituperatum coram exercitu suo se cognouisset, rex iratus uehementer decollari eam percepit cum reliquis uirginibus suis. una autem cui nomen erat Cordula, inter funera uiua latitabat. cum autem media nox esset descendit Iesus Christus cum luce clara et angelis canentibus, et deportauit animam sancte Ursule et animas sanctarum uirginum ad regna celorum. quod cum uidisset sancta Cordula lacrymari cepit amarissime, quod sodales suas dereliquisset. mane autem facto statim surrexit, et per funa deambulare cepit. quod cum uidisset quidam paganus, gladio caput eius amputauit.

(3) *De uictoria Aquile regis.* Mouit autem de Colonia tentoria sua ad Austriam, et ibi pugnauit cum rege Theutonico. quo deuicto Apuliam ingressus est. ibi cum Normandis et Francigenis pugnam habuit, et eos deuincens sue magnitudini subiugauit. post hoc montes pertransiens, Lombardiam planam terram inueniens ciuitatibus multis repletam, muribus ornatam, turribus altissimis decoratam, terram uastauit, mures dissipauit, turres confregit, pro iniquitate autem tali plaga dei appellatus est. totum autem mundum peragrare uolens et Romanum imperium sibi usurpare cupiens, Romam exercitum suum mouit, et armatus feroci animo procedebat. cui in prima stacione nocturni, siué cum in cubiculo dormiret, per uisum angelus sanctus: precepit tibi dominus deus Iesus Christus, ut cum ferocitate tua ciuitatem sanctam Romam, ubi apostolorum meorum corpora requiescunt, ne introeas, sed reuerte et meum electum regem Casimirum, qui in Sclauonie et Chruacie partibus toto cordis ac mentis affectu fideliter seruiuit, et in eis qui ipsum tradendo turpiter occiderunt, ulciscere. quia dixerunt nunquam rex erit super nos, sed nos ipsi regnabimus. generacionem autem tuam post te in humilitate Romam uisitare et coronam perpetuam habere faciam. his dictis discessit angelus. cum autem mane factum esset, rex mouit exercitus suos in ciuitatem que Uenecia uocatur, et inde progrediens uenit supra littus maris, ibidemque ciuitatem nouam edificauit, eamque ad honorem nominis sui et ad memoriam posterorum Aquileiam nominauit, unde ab Aquila rege Hungarorum nomen sumpsit. mouit autem inde se et exercitus suos, et pertransiuit alpes Carinthie, et uenit in terminos Chruacie et Sclauonie inter fluuios Sauam et Drauam. ibique occurrerunt ei principes Chruacie et Sclauonie, et direxerunt acies, et refulsit sol in clypeos aureos, et resplenderunt montes ab eis. et fece-

runt conflictum magnum octo diebus. tradidit autem eos deus in manus Aquile regis propter regem eorum Casimirum, quem tradiderunt et turpiter occiderunt. cesi sunt autem Sclaui et Chruati, alii fugierunt, alii in captiuitatem ducti sunt.

Cum autem post uictoriam fluuium qui Draua dicitur pertransisset, et uidisset terram planam atque frugiferam, et post XXV annorum curriculum ab egressu terre sue orientalis Ungarie computasset, et post tantorum bellorum uictorias se debilitatum presensisset, quid agere deberet cogitare cepit, utrum in terram propriam redire, uel istam occupatam possideret. unde cum multos dies in cogitacione et tristicia duceret rex, hoc ei bonum uisum est consilium, si uxores Sclauas et Chruatas copularet, ita terram in pace et quiete possideret. quod cum retulisset exercitui suo, placuit omnibus consilium. obambulauit autem terram et delectabatur in ea, quia terra promissionis, tanquam terra israelitico populo. missis autem nunciis suis accepit a principe Sclauorum filiam de tribu eadem, et copulauit sibi eam in uxorem, similiter et exercitus eius de eadem tribu uxoribus copulatus est. pertransiens autem Danubium inuenit terram planam et campestrem, herbisque superfluis uirentem, pastoribus et pecudibus seu iumentis et poledris indomitis plenam. nam in terra hac solum pastores et aratores morabantur. rex uero Sclauonie et Chruacie circa mare delectabatur in ciuitate que Sipleth dicitur, quam sanctus Paulus apostolus ad fidem christianam conuertit, et ipsam episcopalem cathedram V annis tenuit, deinde ordinato episcopo Romam peciit.

Post hec autem mouit se, et pertransiens fluuium qui Chisa dicitur, ibique planiciorem et spaciosiorem terram inuenit, in qua magis delectare cepit. tunc aduocato omni exercitu suo, ad laudem et gloriam exercitus sui Ungariam eam appelauit, distribuitque principibus et baronibus ter-

ram, conferens eis magnas possessiones. et decreuit omnium consensu, ut si uxor eius multos pareret filios, primogenitus regnaret super omnibus.

Post hec autem uxor eius peperit filium, cui imposuit nomen Colummen, qui accepit uxorem de Chruacia. cum autem senuisset Aquila famosus uictor terrarum, congregatis cunctis principibus et magnatibus terre, tradidit regnum in manus filii sui Colummani et mortuus est.

Post mortem autem patris sui uxor Colummani genuit filium, qui uocatus fuit Bela. iste autem mortuo patre regressus est in ciuitatem suam Aquileiam, et ibi accepit uxorem grecam de Constantinopolitano imperio. inde autem mouens se uenit in terram suam Sclauoniam, quam adauus suus Ungariam appellauit. ibique uxor sua concepit et peperit filium, quem uocauit Iesse. qui accepit uxorem de regione Polonia, de ciuitate Crácouia, sororem Meschonis ducis nomine Ethlegidam.

Hec autem christiana erat et literis imbuta, documentisque sanctis per spiritum sanctum repleta. hec autem cepit uirum suum ad Christum conuertere, et fidem catholicam tenere, et a cultura idolorum recedere. quem sepissime blandis et melicis alloquens sermonibus, Christum fecit cognoscere, et ipsum unum dominum credere, quoniam scriptum est: quia sanctificabitur uir per mulierem fidelem. appropinquante spiritualis fulgore chrismatis, cunctis Christianis ducatum suum intrare uolentibus hospitalitatis et securitatis graciam uoluit exhibere. clericis et monachis potestatem concessit ante presenciam suam ueniendi et sibi loquendi. quid plura? Adest tempus celitus dispositum. credidit ipse cum familiaribus suis et baptisatus est in nomine Iesu Christi. tu autem domine miserere nobis.

(4) *De primo Christiano Iesse.* Cum nimium esset sollicitus ritibus sacrilegis destruendis et episcopatibus ad profectum ecclesie statuendis, mirabili uisione consolatus est eum dominus. lucescente enim aurora astitit ante eum iuuenis delectabilis aspectu, qui dixit ei: pax tibi Iesse christiane deo dilecte. iubeo te de solicitudine tua fore securiori, ubi tibi concessum est quod meditaris. de te filius nasciturus egredietur, cui hec omnia disponenda diuine prouidencie consilio comendabit dominus. hic est unus e regibus electis a domino, coronam uite secularis commutaturus eterna. ueruntamen uirum spirituali legacione tibi transmittendum honorificabiliter suscipito, uenerabiliter habeto, exhortacionibus eius cordis fidelis assensum prebeto.

Expergefactus princeps uisionis stupidus, post secum, post cum Christi fidelibus suis pertractans, deo gracias humiliter egit. et ecce nunciatur ei beatum Adalbertum pontificem Bohemie aduenturum propter conuersionem ipsius. oritur leticia nouis christianis militibus. dux obuiam tyroni Christi procidit, honorabiliter suscipit. igitur fit ubique congregacio gentis indomite per sanctum episcopum Adalbertum, fiunt exhortaciones continue, conuertuntur et baptizantur alumni patrie, statuuntur multis locis ecclesie.

Propterea uxorem eius Athleidam iam propinquantem partui, tali uisione uoluit diuina gracia consolari. apparuit namque ei beatus prothomartyr Stephanus, leuitico habitu ornatus in uisionibus, qui eam alloqui taliter cepit: confide in domino mulier Athleidis, et certa esto quia filium paries, cui primogenito corona debetur et regnum. meum quoque nomen illi imponas. cui tum admirans mulier respondet: quis es domine et quo nomine nuncuparis? ego sum, inquit, Stephanus prothomartyr, qui primus pro Christi nomine martyrium pertuli. quo dicto disparuit.

Nascitur interea a deo predictus filius principi, quem antequam in utero conciperet, dominus nouit, et cui antequam nasceretur prothomartyr Stephanus nomen suum indidit. hunc deo dignus Adalbertus episcopus chrismati baptismate secundum credulitatis sue uirtutem intinxit, et ei nomen Stephanus imposuit. creuit infans diligenti multum educatu, quem transacta puericia conuocatis pater suis Hungarie primatibus, post se regnaturum populo prefecit.

(5) *De corona postulanda regi Hungarorum.* Post hec Iesse plenus dierum anno dominice incarnacionis nongentesimo nonagesimo VII. seculi nempe erumnas deserens, celesti munitatur gaudio.

Unde habito consilio cum episcopis et principibus terre, quarto post obitum patris anno, diuina commouente gracie clemencia, Astricum presulem ad limina sanctorum apostolorum misit, ut a successore s. Petri principis apostolorum domino apostolico postularet, quod nouelle christianitati exorte in partibus Hungarie largam benedictionem porrigeret, regem eciam ipsum dignaretur diademate coronare.

Eodem fere tempore Meschco Polonorum dux christianam roborare cum suis amplexatus fidem, missis ad Romane sedis antistitem Leonem nomine nunciis, apostolica fulciri benedictione ac regio postulauerat diademate coronari. ad quem accedens presul Lambertus ciuitatis Cracouie, humiliter peticionem porrexit dicens: supplicat sanctitati uestre pater sancte Meschco dux Polonorum, ut eum uestra pia dextra benedicens, regio dignaretur diademate coronare. cuius peticioni annuens papa, coronam egregii operis operari iam fecerat, quam illi cum benedictione et regni gloria mittere decreuerat. sed quia nouit dominus qui sibi sint in futurum dilecti, idcirco prescius sanctum electum suum Stephanum, ac temporali statuerat feliciter insignire corona, postmodum felicius eum

decoraturus eterna, sicut auo eius Aquile per angelum sanctum suum promiserat: quia de semine tuo egredietur qui Romam in humilitate uisitabit.

(6) *Quare et quo corona Polonis non fuit data.* Prefixa itaque die qua corona miro opere preparata Meschconi Polonorum mittenda erat, nocte que precedebat pape per uisum angelus Christi nuncius astitit cui dixit: crastina die hora prima ignote gentis, stirpis orientalis Hungarie nuncios ad te uenturos esse cognouis, qui sue gentilitatis abiecta ferocitate humiliter prostrati suo domino Stephano coronam a te regiam cum benedictionis apostolice munere flagitabunt. coronam ergo ipsam preparare fecisti Meschconi duci Polonorum, Hungarorum duci prout petent nuncii eius cures sine contristacione concertacionis largiri, sibique eam cum regni gloria pro uite sue meritis scito deberi. illi autem cui postulata fuerat non erit data, quia generacio de ipso exibit, quia plus delectabitur in syluis crescendis quam uineis, plus in tribulis crescendis et herbis superfluis, quam frugibus et frumentis speciosis, plus feras syluarum, quam oues et boues camporum, plus canes quam homines, plus iniquitatem quam iusticiam, plus tradiciones quam concordiam, plus tyrannidem quam caritatem, eruntque quasi bellue uorantes homines, et quasi geminicca uiperarum rodentes cor terre sue, obliuiscentes domini creatoris sui, confidentes in stulticia potencie sue, et non credentes dictis propheciarum sanctarum. quia ego dominus deus fortis, ulciscens in terciam et quartam generacionem, et affligentes me affligam, nec transibit apud me malum impunitum et bonum renumeratum. post hanc generacionem eorum sequenti me miserens miserabor, et eam exaltabo et corona regni coronabo. modo uero fac ut dixi. et statim discessit angelus sanctus ab eo.

Iuxta ergo huius uisionis modum, prescripto sequenti die hora prima presul Strigoniensis ecclesie Astrius nomine ad papam peruenit. quia officium iniunctum sibi proderet exsequens, facta ducis Hungarie ordine gesta referens, ab apostolica sede que supra diximus insignia postulauit. quibus auditus ualde gauisus Romane sedis pontifex, coronam prout fuerat postulata, benigne cruce insuper ferendo regi uelut in signum apostolatus misit. benedictionis ergo apostolice litteram, que cum corona et cruce simul priuilegiata erat, et communicacionis modo roborauit.

Mox presul Hungarorum Astrius ut fidelis nuncius apostolica sede accepta benedictione, a cardinalibus et curialibus Romane curie petita licencia, letus et exultans Hungariam ueloci properauit.

Crastina autem die uenit Polonorum presul Lambertus coronam et benedictionem domino suo Meschconi, que eo die dari pollicita fuerat, humiliter se summi pontificis pedibus prouoluens, memorie reduxit. cui respondit papa dicens: uenit nuncius cognati domini tui ducis Hungarie, et subripuit benedictionem auunculi sui. cum autem hec presul audiret, eiulans cum clamore cepit deprecari sanctum papam dicens : numquid solam tamen habes benedictionem pater. domino meo obsecro ut benedices. cui tundens sanctus pater dixit: penitenciam agite de peccatis uestris, quia et dominus Iesus Christus offensus est uobis ad presens, in posterum restituet uos gracie sue pariter cum corona temporali et eterna. his auditis nuncius submisso uultu in terram turbauit se ipsum. quem cum intuisset papa et cum turbatum fuisse coniecisset, ne desperaret sic eum consolatur: non dubitet tua religio de dei misericordia, nec putet a uobis deum omnino recessisse et uestram christianam gentem ob ducis tui.... Stephanum in regem genti Hungarorum, que ferox et indomita est christianiter coronare et diademate honorare per angelum sanc-

tum suum mihi in uisione precepit. nobis autem ad honorem et gloriam fecit dominus, quia per matrem suam, que soror est principis Polonorum, suum ducem Hungarorum Iesse cum exercitu suo, prudentissima allocucione conuertitur, filium suum sub protectionem sanctorum apostolorum Petri et Pauli posuit. ne ergo inter auunculum et nepotem, inter exercitum Polonorum et Hungarorum inuidie et odii fomes oriretur, et dominus deus in causa est, statuimus et confirmamus excommunicacioni et indignacioni sanctorum apostolorum Petri et Pauli subdimus eos, qui primo insurrexerint siue Poloni in Hungaros, siue Hungari in Polonos, donec in deuocione ecclesie et fide pura christiana perstiterint. hoc autem confirmato et roborato priuilegio, nuncius Polonorum ad regem Hungarorum Stephanum peruenire cupiens, inuenit nuncium Hungarorum in Ueneciis ciuitate, que supra mare sita est. ibique miraculose conuenerunt et gratulabantur colloquentes sibi, quia iste coronam et diadematis gloriam, Polonorum uero nuncius pacis et amicicie confirmacionem portarunt.

Cum autem essent ad unum diem prope Albam ciuitatem, nuncium ante se premiserunt, et aduentum suum felicem regi nunciarunt. quibus rex obuiam cum episcopis et clericis populisque multis congregatis obuiam, exiit, eosque gloriose et honorifice suscepit. cum uero ab oracione surrexissent, coram omni populo quod deus miraculose cum eis operatus esset enarrauerunt ad laudem et gloriam nominis sui. Hungarorum autem nuncius diadema regni coronamque auro et lapidibus preciosis fabricatam, crucemque pro sceptro anteferendam in modum apostolatus pariterque cum confirmacione priuilegiorum obtulit. Polonorum uero pacis et amicicie confirmacionem iussu apostolico porrexit, cuius confirmacioni rex coram omnibus consenciens, ad memoriam posterorum eam inscripto redigi percepit. post hec autem sancte dei genitricis semperque uir-

ginis Marie incipit officium: salve sancta parens, enixa puerpera regem. infra missam uero rex oleo sacro inungitur et consecratur. post missam uero osculum pacis omnibus prebet. alii uero manum sacram et annulum sacrum salutant et benedictionem ab ipso recipiunt. quo finito presul cum clero, milites cum populó kirye eleison cum laudibus congruis proclamant, deum omnipotentem, sanctos apostolos Petrum et Paulum benedicunt, quod sanctus et dilectus Stephanus, et unctione sacri chrismatis perunctus diademate regalis dignitatis feliciter coronatus est. post hec autem regiam aulam intrauit, epulis discumbunt, et sic cum gaudio et leticia letum duxerunt diem.

(7) *De congressione regis Hungarie cum Polonie rege.* Post acceptum regalis excellencie signum beatissimus uir Dei Stephanus Hungarorum rex episcopales ecclesias amplians regaliter disposuit, crucibusque et uasis, aliisque supellectilibus ad ministerium dei pertinentibus, secundum quod unicuique opus erat, sufficienter decorauit.

Tribus uero post coronacionis sue mensibus elabsis, accedens ad ipsum Lambertus presul Cracouie licenciam peciit.... de corroboracione pacis et amicicie ad memoriam reduxit, cumque sine mora presulem Strigonie Astricum et principem milicie Albam nomine ad auunculum suum Meschconem ducem Polonie transmisit, rogans ipsum ut cum magnatibus suis in terminis Polonie et Hungarie conueniret.

Quo congregato omni exercitu suo ad regem ante Strigonium uenit, ibique in terminis Polonie et Hungarie tentoria sua fixit. nam termini Polonorum ad littus Danubii ad ciuitatem Strigoniensem terminabantur. Dein Magriensem ciuitatem ibant, in fluuium qui Tisia nominatur cedentes. regirabant iuxta fluuium qui Cepla nuncupatur usque ad

castrum Salis, ibique inter Hungaros, Ruthenos et Polonos finem dabant.

Crastina autem die de orto iam sole conuenerunt simul et osculum pacis acceperunt, simulque complexis manibus ad cathedralem ecclesiam Strigoniensem, que tunc in honorem sancti martyris Adalberti Polonorum et Hungarorum nouo opere fabricabatur, peruenerunt. sanctissimo uero pontifice ad officium misse induto cum ministris sacri altaris aliisque pontificalibus cappis et infulis ornatis, ut stellis in celo nitentibus fulgebant. regeque Stephano ornatu sacro uestito et diademate regio coronato ut sole inter stellas perfulgenti, post sacram processionem gradienti, super omnem populum ab humero et sursum eminenti. effecta autem processione uerbum dei predicant, priuilegia sancte romane curie apperiunt, audienti omni populo distincte legunt, utrique populo pacem et amiciciam corroboratam edicunt. placuit omnibus et iuramento propriis manibus confirmauerunt. post officium sancte trinitatis incipitur: benedicta sit sancta trinitas. hostia uero sancta pro rege et principe et pro cuncto populo per presulem Astricum offertis, pace accepta, missa finita ad sua tentoria redeunt, ibique in gaudio et leticia epulis et potibus, in chordis et organis, in tympanis et choris, in cytharis et pleialis letos VIII duxerunt dies.

His itaque feliciter completis omnis Polonorum exercitus a maiori usque ad minorem muneribus replentur, duci uero dona offeruntur. post hec uero separantur. dux Polonorum in castrum Salis perrexit, rex uero Hungarorum in Albam ciuitatem suam dilectam properauit.

Erat interea rex idem fidelis in omnibus actibus suis, deo perfecte deuotus, per uotum et oblacionem semet ipsum cum regno suo sub tulela perpetue uirginis dei genitricis Marie precibus assiduis offerens, cuius gloria et honor tam celebris inter Hungaros habetur. et ut maiorem

ipsius defensionis misericordiam consequi ualeret, in ipsa regalis sedis ciuitate, que Alba nuncupatur, sub laude et titulo genitricis dei famosam et grandem ecclesiam opere mirifico construere cepit. qua perfecta in confectione ipsius ecclesie ipsamque regalis magnitudinis reseruauit, talique eam liberalitate roborauit, ut nullus archiepiscoporum uel episcoporum in ea cuiusque iurisdictionem haberet. deinde canonicis qui eam ad honorem dei officiarent, prebendas largus statuit. constituit autem in ipso inicio conuersionis sue in ciuitate Ierosolimitana cenobium monarchorum, quod ad uictum quottidianum prediis et uineis locupletauit. aliud quoque monasterium in urbe Romana prope sancti Petri ecclesiam ad honorem sancti prothomartyris Stephani constructus, ibique XII canonicos locauit, et eos prediis et uineis dotauit. domos uero hospitales pro peregrinis recipiendis edificauit et bene murauit.

Merito ergo in toto mundo famosum adeptus est nomen apostolici. quia etsi ipse euangelisandi non assumpsit officium, predicator tamen et magister eximius populis solacium prebens estitit. quedam uero nocte monitu diuino nemine sciente solus ad ecclesiam uenit, seque prosternens oracionem pro regno suo ad dominum fudit. cumque ibi languentem pauperem febre depressum ingemiscere et clamare audisset, ueste qua erat indutus pauperem operuit. mox illi manum imponens ab infirmitate curauit, diuinaque uirtus et gracia in uita sua demonstrari uoluit. quippe quociens alicuius hominis infirmitas auribus suis intimata fuit, missa sibi pro medicina, quam tunc in presenti poterat habere, particulam panis uel pomi, redolenti mandatum, ut sanus pergeret transmisit, et dei propiciacione uerbum ipsius comitante statim sospitatem recepit.

(8) *De uisione quadam regis Hungarie et de uictoria contra imperatorem.* Quadam igitur nocte per reuelacionem

quandam expergefactus, ueredarium quendam intra diem et noctem ad Albam Transyluaniam fecit festinare, et omnes in rure manentes ad iniunctas ciuitates quam citissime posse congregare. predixit enim superuenturos Christianorum hostes, feliciusque tunc Hungaris mittebat, Bysso pro censu possessiones eorum depredaturo. uix nuncius mandata regis compleuit, et ecce paganorum inopinata calamitas incendiis et rapinis tota deuastata est per ulcionem dei. unde meritis beati uiri manifestum est hoc, et omnes qui eum inuadere uellent, deum qui protector eius. est, timerent.

Post hec uero Conradum imperatorem Romanum manu forti terminos Hungarie inuadere nunciant. contra quem rex consilium habens episcoporum et principorum, ad tuendam patriam armatos Hungarie conuenire fecit. prius tamen recolens se nihil sine Christi sufragiis posse, manus et cor leuans ad ethera, domine sue perpetue uirgini Marie suas iniurias commendans, talem prorupit in uocem: si placet tibi domina imperatrix celi et terre tue partem hereditatis ab inimicis deuastari, et nouellam plantacionem christianitatis abolere, comitto disposicioni tue et uoluntati. his dictis quasi consulatus ab ea, fideliter contra hostem ibat ad prelium. recordatus autem uerborum Alexandri regis, qui dixerat: stare pro patria, patriis titulis et honori inuigilare decet, animum confortauit. altera uero die miserante gracia nuncius ab imperatore uenit, qui eius reditum nunciauit.

Regredientibus aduersariis uir dei se per preces beate uirginis liberatum intelligens, Christo sueque matri gloriose flexis genibus, ad celum extensis manibus gracias egit, eamque procuratricem sui regni a domino postulauit, ibique uotum obtulit. imperator uero suorum tam repentina perterritus defectione, sciscitans ab eis qualiter contigisset, quod perterriti omnes fugissent, et quod per pro-

prium nuncium regressionem nunciassent, et per magnum pudorem sue potencie imposuissent, uoluntatem dei et regis sanctitatem esse cognouere.

Idem quoque rex sanctus solicitudine regalium disposicionum occupatus, tempus diernum colloquiis et consiliis transiens, per noctem silencium uigiliis et oracionibus instare, contemplacioni uacare, lacrymas fundere, deum alloqui non cessabat, iustique iudicis moderacionem super quottidianis iudiciorum discussionibus misericorditer descendere flagitabat.

(9) *De uotis et oracionibus regis, et de morte filii eius Henrici.* Nocte igitur quadam cum estatis tempore in campestribus fixis tentoriis starent, ceteris sopori deditis, surgens a lecto deum deprecabatur pro sua et populi ignorancia. quum diucius oracioni insisteret, papillio super eum extensus a terra leuatus tamdiu cepit pendere in aere, donec uir dei a contemplacione spiritum relaxauit et ob oracione. quod cuidam bone uite est manifestatum. quem rex sanctus arcana sui consilii esse sancti per spiritum sanctum edoctus, ad se uocauit, blandis prius sermonibus quid uidisset et sciscitabatur, post ne cui diceret, donec ipse uiueret, imperauit.

In beato quoque rege constat illud impletum: quem per multas tribulaciones oportet nos intrare regnum dei. multis modis correctioni diuine succubuit, tribus annis in infirmitate continua laborauit. permissionem in semet ipso, sicut in beato Iob, iudicis eterni per secreti consilii examinacionem in filiorum suorum obitu sensit imminere uerbera, quos in ipsis infancie sue gradibus teneris quos dedit abstulit. de quorum morte mesticiam abortam genitor propter amorem superstitis bone indolis pueri Henrici solacio compescuit. quem quasi iam unicum caro diligens affectu, precibus Christo commendans, et eius genitrici

uirgini perpetue commendauit. hunc sibi superstitem, hunc regni heredem uotis omnibus desiderauit. quem dominus Iesus Christus non in terrestri regno disposuit laborando imperare, sed deposita magis corruptibilis machina corporis, in celesti regno cum angelis triumphare. mox decidens in quam infirmitatem Henricus nobilis dux Sclauonie VIII diebus languit, nona uero die hora nona emisit spiritum, quem sancti apostoli in suum consorcium susceperunt. uxor uero eius, que inuiolata cum ipso permansit septima die in die dominica migrauit ad Deum. o gloriose uirgines Christi. que uirginitatem suam Christo in tantum dedicauerunt, ut eciam in morte non separarentur.

(10) *De successione Albe in regnum post mortem patris.* Uidens autem beatus Stephanus sine spe posteritatis se derelictum, et unicum filium suum Henricum sepultum, pietatis affectu doluit super filio suo multis diebus, uix unquam ad risum labia mouit, sed semper sic apparens, ac si ante tribunal Christi staret. in oracionibus oculis eius presenciam conspiciens, Christum in oracione, Christum in corde, Christum in cunctis actibus se gestare demonstrauit. tandem per misericordiam Dei dignus centuplicari retribucionis brauio, expectabat consolacionem Iesu Christi, ut paruulum uideret filium nasciturum. mox uxor concepit et peperit quem uocauit Leuantha. post hoc concepit et peperit alium cui imposuit nomen Petrus. tercio uero anno concepit et peperit filium cui nomen Bela. transactis uero post partum filiorum sex mensibus uxor sancti Stephani regina Hungarie mortua est. qui habito consilio principum accepit uxorem de Theutonia, sororem regis Almanie, cum qua intrauit minor frater nomine Henricus.

Post copulacionem uero uxoris IX mense in uisione apparuit Angelus in albis uestibus dicens : ueni dilecte mi rex Stephane ad me, quia tempus est ut post labores se-

culi requiescas in gaudio paradisi. euigilans autem aduocauit episcopum et uisionem edicit. eadem uero die hora IX tactus febre debilitatus est, et cecidit in lectum. et cum sibi transitus diem imminere cognouisset, accersitis episcopis et principibus et comitibus, et primis palacii sui iuuenibus, de Christi uocacione exsultans, indicauit eis dissolucionem sui corporis imminere. post hec tractauit ad eis de alumno filiorum suorum, et commisit eos in manibus eorum et Kaul comitis sub sacrimento. deinde de uxore et regno, qui post ipsum terram regeret et nouellam plantacionem non exsiccaret, sed Christianis placeret. consencientibus omnibus Albam nomine inter se maiorem et rectorem elegerunt. deinde paterne monuit illos catholicam fidem obseruare, quam acceperant amare, iusticiam uinculo superne caritatis diligere et caritati operam dare, humilitatis studio inuigilare, pro omnibus uero nouelle plantacionis Christianitatis custodiam adhibere. his dictis manus et oculos leuans ad celum orabat: regina celi et terre. imperatrix et coadiutrix inclita, tuo patrocinio sanctam ecclesiam cum episcopis et clero, regnum cum principibus et populis sub alis tue protectionis relinquo. quibus dictis oleo infirmorum corpus suum inungi peciit. post unctionem: credo in deum, pater noster cantat, quibus ultimum benedicens, manibus extensis sursum dixit: in manus tuas domine Iesu Christe commendo animam meam.

(11) *De morte et planctu regis Stephani et miraculo.* Instabat autem solemnitas, sancte dei genitricis assumpcio gloriosa, ad quam omnes solito more in Albam ciuitatem confluxerunt, et tentoriis campos operuerunt. planxerunt autem eum omnes populi Hungarie, simul in unum duces et pauperes. episcopi cum clero cantu lamentabili animam eius commendabant, atque fabricato marmore nouo mo-

numento reconditur, in quo nondum quisquam positus fuerat.

Quidam autem episcopus Grecorum sancte conuersacionis, in ipsa transitus sui hora audiuit animam sancti Stephani in celum deferentem per angelorum choros, et laudantes dominum Iesum Christum. quod statim nuncium in Hungariam in Albam transmisit, et ita sicut audiuit et uidit sanctus episcopus.... literis autem de obitu eius a capitulo acceptis ad dominum suum in Greciam remeauit.

Sepe harmonie supra sepulchrum eius audiebantur angelorum, sepe lampades ardentes in aere uidebantur. multorum uero pueri, qui infirmitate sua eius liminibus deuouebantur, mox ut perueniebant curabantur, auxiliante domino nostro Iesu Christo.

Sex mensibus uero post obitum sancti uiri expletis, Alba regnum Hungarie regere cepit.

(12) *De fraude regine contra Albam.* Elapso autem regiminis sui anno, regina inuidie et odii fomitem contra principem Albam, quod ipse regimine dignior esset quam dux Henricus germanus regine, contraxit. que ut uipera repleta ueneno malicie, dolere cepit quod nullum puerum parere potuit. cogitare cepit et secum uoluere quomodo fratri suo duci Henrico regnum Hungarie perpetuo possidendum traderet, et sue potencie usurparet, filios regis Stephani, quos Kaul princeps fouebat in flumine proiiceret, et uitam eorum morti daret, et memoriam eorum deleret. aduocato autem fratre suo edixit ei in secreto cogitacionem, et disposicionem utrum consentiret interrogauit. quo annuente consiluit ei, ut Almaniam intraret, et cum exercitu ualido rediret, et ualida manu Hungariam intraret et suo imperio subiugaret. quod permittente diuina uoluntate, intrauit dux Henricus manu forti Hungariam. et ob-

uiauit ei Alba rex ex ista parte ciuitatis Strigoniensis, et bellum magnum ortum est, et ceciderunt uulnerati multi, et uictoriam obtinuit dux Henricus. et rex Alba et Kaul terga uerterunt, et acceptis filiis regis tribus, Leuanta, Bela et Petro, fugierunt in Poloniam ad auiam suam ducissam magnam totius Polonie, nomine Dambroucam. nam ipsa eciam tunc in uiduitate permanendo, filium suum Boleslaum fouebat, qui XVIII annorum erat adolescens robustissimus, atque ad pugnandum fortissimus et promptissimus. qui orphanos nobiles et teneros caro diligens affectu, et eorum alumnos nobiles Albam et Kaul deliciose seruabat. morati sunt autem filii regis Hungarie in hospitalitate in Polonia XVIII annis. Henricus uero regnabat, alia calumniose auferebat, rodebatque terram cum perfidis Hungaris, qui eius collaterales erant. nobilem uero genealogiam Hungarorum depredabatur et ad nihilum redigebat, episcopos cum clero despectui habebat.

(13) *Quomodo reuersi sunt ueri heredes Hungariam, scilicet fratres supradicti.* Hac tyranide percepta Alba et Kaul alumni puerorum, qui iam adolescentes erant, habito consilio et dei inspirante gracia, pariter cum pueris, ubi ducissa cum filio suo Boleslauo, baronibusque Seczecho cum fratribus colloquentibus et de ipsorum pupillitate tractantibus sedebant, ad ipsos introeunt, et genu flexo ante ducem et matrem eius ceperunt deprecare ut potencia sua et auxilio eos ad terram suam Hungariam reduceret et in suo regno locaret, ut per hoc factum meritum apud deum inueniret, et famosum nomen uictorie apud iacentes terras acquireret. quorum peticioni consenciens dux ingemuit, commota sunt quippe omnia uiscera eius super cognatis suis, motusque pietate dixit : accingemini et estote uiri fortes, constantes et robusti, quia melius est nobis mori in

bello iusto, quam uidere exhereditatos cognatos nostros. et consenserunt omnes huic sermoni. filii regis uero cum alumnis inclinato capite ad staciones suas perrexerunt, dux autem cum palatino suo Setecho nomine, aduocatis ministerialibus suis bellum ingens indixit.

Cum autem fuisset congregatus exercitus ingens et fortis, tacite procedebant pedites, et sagittarii in ante. filii uero regis cum duce Boleslao, accepta ab auia sua licencia, cúm magno eiulatu, osculo pacis tradito, post exercitum procedunt. cum autem essent prope ciuitatis que dicitur Peesth, ibi occurrit eis dux Henricus, et congressi sunt, et ceciderunt uulnerati multi. et Alba interfectus est iuxta paludem, qui est in medio camporum, prope Pesth, unde usque in hodiernum diem appellatus palus Albe regis. crastina autem die Henricus rex Hungarorum mouit exercitus suos contra Boleslaum et filios regis, et terga uertit, et persecuti sunt eum, et inuestigatus est inter montes prope ciuitatem Strigoniensem et interfectus est. regina uero audita morte fratris pre nimia tristicia subitanea morte mortua est.

Post conflictum uero congregatis dux Boleslaus episcopis et magnatibus Hungarie, descendit in ciuitatem regiam Albam, et coronauit filium regis Stephani Leuantam regio diademate, Petrum uero et Belam duces constituit. his itaque peractis secessit in terminos suos in castrum Salis, et ibi delectabatur in uenacionibus.

Post sex menses nunciauit sibi Leuantam iam mortuum. his auditis cessit lacrimas amarissimas, et uelóci cursu ciuitatem Albam peruenit. et congregatis episcopis et magnatibus terre noluit coronare Belam maiorem fratrem, sed ipse contra omnium uoluntatem elegit Petrum iuniorem fratrem in regem, quia miro eum diligebat afectu.

Quo coronato dux recessit in Carinthiam et ibi metas posuit. erat enim timor eius super omnia montana Carinthie et Alemanie et Austrie, quia per Austriam cum uictoria Poloniam reuersus est in ciuitatem Cracouiam.

Post duos autem annos nunciatur ei mors Petri regis Hungarie. qui ueloci cursu uenit Strigonium. et accepto Bela in Albam ciuitatem peruenerunt. et ei regium diadema imposuit. orantes dominum cum lacrymis ut eum faciat regnare in annos plurimos, ut ornet in filiis et filiabus. qui accepit uxorem de Rómano imperio. post nupcias uero dux per Russiam Poloniam ingressus est.

Post discessum uero principis Polonie de Hungaria uxor regis Bele peperit filium, cui imposuit nomen Albertus. alium quoque uocauit nomine Iesse. tercium uero peperit et uocauit eum Coloman. quartum uero peperit et imposuit ei nomen Salomon. quintum uero peperit et uocauit eum Ladislaum.

Hunc autem dux Russie Mscislaus in ciuitate Halicz in adoptiuum filium accepit, et ei cum filia sua, eo quod unicam haberet et filio careret, Galicie regnum perpetuo possidendi tradidit, et iuramento roborauit.

His ita sicut deus disposuit peractis nupciis Ladislai, pater rex Bela decidit in lectum et mortuus est. post hec eligitur Albertus senior filius in regno et coronatur. quo regnante duo fratres Coloman et Iesse mortui sunt. ipse uero V anno sine liberis mortuus est.

Remansit autem dux Ladislaus in Galicia. Salomon uero frater eius Sclauoniam regnabat. habito uero consilio episcopi cum principibus, dei disponente clemencia Russie ciuitatem Galiciam properauerunt, et beatum principem Ladislaum in regem Hungarie acceperunt, Salomone fratre eius eum consentiente. diuinum officium sonantibus organis decorauerunt, et sic in dei laudem totam diem deduxerunt.

Quem sanctus rex per uisum uisitauit, in sua uestigia eum sequi percepit. erat enim rex piisimus, in consilio prouidus, in comisso sibi grege prouidus et fidelis, et in interuentu strenuus. in uniuersa morum honestate preclarus. hunc milites ac si patrem uenerabantur. hunc carissime diligebant. Amen dicant omnes.

M. SIMONIS DE KEZA

GESTA

HUNNORUM ET HUNGARORUM.

E codice chartaceo saeculi XV. bibliothecae palatinae Vindobonensis.

Inuictissimo et potentissimo domino Ladislao tertio gloriosissimo regi Hungarie, Magister Simon de Keza fidelis clericus eius, ad illum aspirare cuius pulchritudinem mirantur sol et luna.

Cum uestro cordi affectuose adiaceret Hungarorum gesta cognoscere, et id mihi ueraciter constitisset, nacionis eiusdem historias que diuersis scartabellis per Italiam, Franciam ac Germaniam sparse sunt et diffuse in uolumen unum redigi procurauí, non imitatus *Orosium*, qui fauore Ottonis Cesaris, cui Hungari in diuersis suis preliis confusiones plures intulerant, multa in libellis suis apochripha confingens, ex demonibus incubis Hungaros asseruit generatos. scripsit enim, quod Filimer magni Aldarici regis Gotthorum filius, dum fines Scicie armis impeteret, mulieres quedam nomine Baltrame nominantur, plures secum in exercitu suo dicitur deduxisse, que dum essent militibus infestissime, retrahentes plurimos per blandicies a negocio militari, consilium regis ipsas fertur de consorcio exercitus eapropter expulisse. que quidem peruagantes per deserta littora paludis Meotidis tandem descenderunt, ibique diucius dum mansissent priuate solacio maritali, incubi

demones ad ipsas uenientes, concubuisse cum ipsis iuxta dictum *Orosium* referentur. ex qua quidem coniunctione dixit Hungaros oriundos. sed ut eius assercio palam fiat falsissima, primo per textum comprobatur euangelicum: quod spiritus carnem et ossa non habent, et quod est de carne caro est, quod autem de spiritu spiritus est. contrarium quoque naturis rerum dixisse indicatur, et penitus aduersatur ueritati, ut spiritus generare possint, quibus non sunt concessa naturalia instrumenta, que uirtutem ac officium dare possint generandi, ualentes perficere ueram formam embrionis. quocirca patet, sicut mundi naciones alias de uiro et femina Hungaros originem assumsisse. in eo eciam idem satis est transgressus ueritatem, ubi solos sinistros preliorum euentus uidetur meminisse, ipsorum Hungarorum felices preteriisse silencio perhibetur, quod odii manifesti materiam portendit euidenter. uolens itaque ueritatem imitari, sic inprosperos ut felices interseram: scripturus quoque ortum prefate nacionis, ubi et habitauerint, quot eciam regna occupauerint et quotiens immutauerint sua loca. illius tamen adiutorio et gracia ministrante, qui rerum omnium, que sub lunari circulo esse habent et ultra uita quoque fruuntur. creacione habita est deus opifex, creator idem ac redemtor, cui sit honor et gloria in secula sempiterna.

EXPLICIT PROLOGUS.

INCIPIUNT HUNORUM GESTA.

(1) Multifarie multisque modis olim in ueteri testamento, et nunc sub etate sexta seculi diuersas historias diuersi descripserunt: prout *Iosephus, Isidorus, Orosius,* et *Gotfridus,* aliique quam plures, quorum nomina exprimere non est opus. ego autem in illo tempore illius mundi, illud opus inchoaui: quando charitas refriguerat, iniquitas abundauerat, et omnis caro ad malum, quam ad bonum pronior erat. porro cum per cladem diluuii, preter Noe et tres filios eius deleta esset omnis caro, tandem ex Sem, Kam et Iapheth LXX due tribus post diluuium sunt progresse. de Sem XXII, ex Kam XXXIII, a Iafeth uero X et septem. dum autem tribus iste, sicut refert Iosephus, lingua ebraica uterentur, dicto primo anno post diluuium Menrot gygans filius Thana ex semine Iafet oriundus, turrem construere cepit cum omni cognacione sua, attendentes periculum preteritum, ut si contingeret diluuium iterari, possent euitare ulcionis iudicium turris interfugio. diuini uero mysterii arbitrata sentencia, cui non sufficit resistere humanus intellectus, sic illorum mutauit loquelam ac confudit, ut dum proximus a proximo non posset intelligi, tandem in diuersas sunt dispersi regiones. fecerant enim in turri memorata, sicut dicit *Iosephus,* deorum templa ex auro purissimo, palacia lapidibus preciosis fabricata, columpnas aureas, et plateas diuersimode petris coloratis, ductibusque abstractas. et erat turris ipsa in quadrum subleuata ab uno angulo ad alium habens passuum longitudinis millia XV. et latitudinis totidem. altitudinis uero quantitas

nondum finita erat, sed usque lunarem circulum, quem diluuii unda non adtigerat, illorum cogitatu debebat subleuari. trecentorum autem passuum grossitudo fuerat fundamenti, subleuata siquidem paullatim artabatur, quod grossities interior pondus prominens sustineret. sita etenim erat inter Nubiam et Egyptum, cuius antiqualia cernuntur usque hodie euntibus de Memphis Alexandriam.

Dimissis ergo incidenciis, que cepte materie dant colorem, redeundum est ad Menroth qui gygans post linguarum inceptam confusionem terram Euilath introiuit, que regio Perside isto tempore appellatur, et ibi duos filios Hunor scilicet et Mogor ex Eneth sua coniuge generauit, ex quibus Huni siue Hungari sunt exorti. sed quia gygans Menroth uxores alias sine Eneth perhibetur habuisse, ex quibus absque Hunor et Mogor plures filios et filias generauit, hi sui filii et eorum posteritas Perside inhabitant regionem statura et colore Hunis similes, tantummodo parum differunt in loquela, sicut Saxones et Thuringi. cum autem Hunor et Mogor Menroth essent primogeniti, a patre ipsorum tabernaculis separati incedebant.

Accidit autem dierum una, uenandi caussa ipsos perrexisse, quibus in deserto cerua occurrisset, in paludes Meotidas illam insequentes, fugiit ante eos. cumque ibi ab oculis illorum prorsus uanuisset, diucius requisitam inuenire ullo modo potuerunt. peragratis tandem paludibus memoratis pro armentis nutriendis ipsam conspexerunt opportunam. ad patrem deinde redeuntes, ab ipso licencia impetrata cum rebus omnibus paludes Meotidas intrauerunt moraturi. regio quidem Meotida, Perside patrie est uicina, quam undique pontus preter uadum unum paruissimum giro uallat, fluminibus penitus carens, erbis, lignis, uolatilibus, piscibus et bestiis copiatur. aditus illuc difficilis et exitus. paludes autem Meotidas adeuntes annis V. immobiliter ibidem permanserunt.

Anno ergo VI. exeuntes in deserto loco sine maribus in tabernaculis permanentes, uxores ac pueros filiorum Belar casu repererunt, quos cum rebus eorum in paludes Meotidas cursu celeri deduxerunt. accidit autem principis Dulde Alanorum duas filias inter illos pueros comprehendi, quorum unam Hunor, et aliam Mogor sibi sumpsit in uxorem. ex quibus mulieribus omnes Huni siue Hungari originem assumpsere.

Factum est autem, cum diucius in ipsis paludibus permansissent, in gentem ualidissimam succrescere inceperunt, nec capere eos potuit ipsa regio et nutrire. exploratoribus igitur in Sciciam abinde destinatis, Scicie regno explorato cum pueris et armentis ipsam patriam intrauere permansuri. regnum itaque ipsum dum adiissent, Alpzuros et Prutenos in eo inuenerunt habitantes, quibus deletis et expulsis aut occisis, usque hodie illud regnum inuitis uicinis pacifice dinoscuntur possidere.

Scitica enim regio in Europa situm habet. extenditur enim uersus orientem, ab uno uero latere ponto aquilonali, ab alio montibus Rifeis includitur, a zona torrida distans. de oriente quidem Asie iungitur. Oriuntur eciam in eodem duo magna flumina, uni nomen Etul, et alterius Togora. gentes siquidem in eo regno procreate ocia amplectuntur, uanitatibus dedite, nature dedignantis artibus uenereis intendentes rapinas cupiunt, generaliter plus nigre colore, quam albe. Scitico quoque regno de oriente iungitur regnum Iorianorum, et post hec Tarsia, et tandem Mangalia, ubi Europa terminatur. ex plaga uero estiuali subsolana, gens iacet Corosmina, Ethiopia eciam, que India minor dicitur, ac post hoc inter meridiem et cursum Don fluuii desertum existit immeabile. fluuius siquidem Don in Scicia oritur, qui ab Hungaris Etul nominatur sed ut montes Rifeos transit diffluendo, Don est appellatus, qui tandem in planum effluens, currit terram Alanorum,

postea uero cadit in rotundum mare ternis ramusculis. Togora autem fluuius discurrit de Scicia exiendo per desertas siluas, paludes ac montes niueos, ubi nunquam sol lucet propter nebulas, tandem intrat in Yrcaniam uergens in mare aquilonis. Longitudo siquidem Scitice regionis stadiis CCC. et LX extendi perhibetur, latitudo uero CXC. situm enim naturalem habet tam munitum, ut in solo locello paruissimo ibi aditus reperitur. propter quod nec Romani Cesares, nec magnus Alexander, quamuis attemptassent, potuerunt in eam introire. Scicia enim solo leta est, nemoribus, siluis, herbis uenustata, et bestiis diuersi generis mirabiliter diues ac referta. habet eciam de occidente uicinos Bessos et Comanos albos, sed circa mare aquilonis, quod eidem uicinatur, usque regnum Susdalie, est desertum siluestre, humano generi immeabile, quod ad magnum spacium extendi perhibetur, ubi nubium densitas per nouem menses iacet, ibi nec sol cernitur, nisi tantummodo in Iunio, Iulio ac Augusto, et id in tanta diei hora, quantum a sexta est usque nonam. in montibus etenim deserti memorati cristallus inuenitur, et Grifo nidum parat, auesque legerfalc, que Hungarice kerechet appellantur, procreare pullos dinoscuntur. Sciticum enim regnum comprehensione una cingitur, sed in regna tria diuiditur, principando scilicet in Barsaciam, Denciam et Mogoriam. Habet eciam prouincias C et octo, propter C et octo progenies, que dudum per filios Hunor et Mogor, quando Sciciam inuaserunt, sunt diuise. centum enim et octo generaciones pura tenet Hungaria et non plures, alie autem sique ipsis sunt coniuncte aduene sunt, uel ex captiuis oriundi: quoniam ex Hunor et Mogor in palude Meotida centum et octo progenies, absque tamen missitalia fuere generate. quorum ergo aduenarum generacio in fine huius libri apponetur seriatim.

(2) Igitur in etate sexta seculi multiplicati Huni in Scicia habitando ut arena. anno Domini septingentesimo in unum congregati capitaneos inter se seu duces uel principes prefecerunt, quorum unus Wela fuit Thele filie filius ex genere Zemein oriundus, cuius fratres Cuwe et Caducha ambo capitanei. quarti uero ducis nomen Ethela fuit Bendacuz filius, cuius fratres Reuwa et Buda uterque duces exstitere de genere Erd oriundi, ut simul uno corde occidentales occuparent regiones. constituerunt quoque inter se retorem unum nomine Kadar de genere Turda oriundum, qui communem exercitum iudicaret, dissidencium lites sopiret, castigaret malefactores, fures ac latrones, ita quidem, ut si rector idem immoderatam sentenciam definiret, communitas in irritum reuocaret, errantem capitaneum et Rectorem deponeret, quando uellet. consuetudo enim ista legitima inter Hunos siue Hungaros usque ad tempora ducis Geiche filii Tocsum inuiolabiliter exstitit obseruata. antequam ergo baptizati fuissent Hungari et effecti Christiani, sub tali uoce precones in castris ad exercitum Hungaros adunabant: uox Dei et populi Hungarici, quod die tali unusquisque armatus in tali loco precise debeat comparere, communitatis consilium, preceptumque auditurus. quicumque ergo edictum contemsisset, pretendere non ualens racionem, lex Scitica per medium cultro huiusmodi detruncabat, uel exponi in caussas desperatas, aut detrudi in communium seruitutem. uicia itaque et excessus huiusmodi unum Hungarum ab alio separauit, alias cum unus pater et una mater omnes Hungaros procreauerit, quomodo unus nobilis alter ignobilis diceretur, nisi uictus per tales casus communis haberetur.

Tunc de tribubus centum et octo elegerunt uiros fortes ad bellandum, assumentes de quolibet genere decem millia armatorum, aliis in Scicia derelictis, qui eorum regnum

ab hostibus custodirent, eleuatisque baneriis egredientes Bessorum et Comanorum alborum terras transirent. deinde Sosdaliam, Rutheniam, et nigrorum Comanorum terras ingressi, tandem usque Tize flumen saluis rebus, inuitis gentibus prefatis peruenerunt. qua quidem regione circumspecta, omni cetui complacuit non incedere ulterius cum armentis et familia. cum uxoribus etenim tabernaculis et bigis descenderant de eorum terra, cumque eo tempore Pannoniam, Pamphiliam, Phrygiam, Macedoniam, Dalmaciamque tetrarcha Macrinus nacione Longobardus, urbe Sabaria oriundus gubernaret, armis bellicis informatus, audito quod Huni super Tizam resedissent, et de die in diem lacerarent regnum eius, cum alumpnis regni sui ipsos aggredi reformidans, ad Romanos suos nuncios destinauit contra Hunos petiturus gentem et auxilium commodari. ex parte etenim Romanorum in predictis patriis imperabat. Tunc Romani Ditricum Ueronensem Alamannum nacione illo in tempore super se Regem prefecerant uoluntarie, quem petentes, ut Macrino subsidium importaret. Ditrico ergo animo gratanti annuente egressus cum exercitu Italico, Germanico ac ceteris mixtis gentibus occidentis peruenit in Zazholm, ubi ipsi Longobardi conuenerant ad Potencianam ciuitatem pertractans cum Macrino consilium: utrum Hunos in eorum descensu Danubium transiendo, uel in alio loco congruente inuadere oporteret. in istis itaque consiliis et tractatibus Ditrico Macrinoque residentibus noctis silencio super utres Huni Danubium in Sicambria transiuerunt, exercitum Macrini et Ditrici, quem capere Potenciana non potuit, in tentoriis, campis commorantem crudeliter trucidarunt. pro qua enim inuasione Ditricus acerbatus in campum Tawarnucweg exiuit, cum Hunis committens prelium cum suorum et Macrini maximo interitu ac periculo. fertur tamen Hunos in hoc loco potenter deuicisse. Hunorum autem residuum in sua est reuersum,

arrepta fuga, tabernacula. in eo enim prelio ex Hunis uirorum C. millia, et XXV. millia corruerunt, Cuwe eciam capitaneo ibidem interfecto. de milicia uero Ditrici et Macrini exceptis illis, qui in suis tentoriis ante urbem memoratam fuerant trucidati CC millia et X. millia perierunt.

Uidens ergo Ditricus tantam cedem suorum accidisse, die altera post congressum prelii perrexit uersus Tulnam ciuitatem cum Macrino, que tunc erat ciuitas Latinorum inter urbes Pannonie computata. Tunc Huni intellecto, quod Macrinus et Ditricus de loco certaminis remouissent sua castra, reuersi ad locum certaminis, sociorum cadauera que poterant inuenire, Cuwemque capitaneum prope stratam, ubi statua est erecta lapidea more Scitico solempniter terre commendarunt, partesque illius territorii Cuweazoa propter hoc uocauerunt.

Cognita itaque armorum et animi occidentis nacionis qualitate et quantitate, Huni animum resumendo, exercitu resarcito aduersus Ditricum et Macrinum uersus Tulnam pugnaturi perrexerunt. quorum aduentum Ditricus ut cognouit in Cesunmaur eos conuenit, et a mane usque nonam prelium est commissum tam uehemens ac hostile, ut Wela, Rewa et Caducha Hunorum illustres capitanei cum aliis XL millibus in ipso certamine interirent. quorum eciam cadauera abinde remouentes apud statuam memoratam cum ceteris sociis subterrarunt. occubuit quoque Macrinus ex Romano exercitu ipso die, et quamplures principes Germanorum, Ditrico per iaculum in fronte letaliter uulnerato et quasi toto exercitu occidentis intercepto ac fugato.

Postquam uero exercitus se dispersit Romano more, Huni super se Ethelam Regem preficiunt, ipseque Budam fratrem suum de flumine Tize usque Don super diuersas exteras naciones principem constituit ac rectorem. Ipse autem seipsum Hunorum regem, metum orbis, flagellum dei a subiectis suis fecit apellari. erat enim rex Ethela ce-

lore teter, oculis nigris et furiosis, pectore lato, elatus incessu, statura breuis, barbam prolixam cum Hunis deferebat. audacie quidem temperantis erat, in preliis astutus et sollicitus, suo corpore competentis fortitudinis habebatur. in uoluntate siquidem magnanimus, politis armis, mundis tabernaculis cultuque utebatur. erat enim uenereus ultra modum. in arca sua es tenere contempnebat. propter quod ab extera nacione amabatur, eo quod liberalis esset ac communis. ex nimia uero seueritate, quam habebat, a suis Hunis mirabiliter timebatur. naciones ideoque regnorum diuersorum ad ipsum de finibus orbis terre confluebant, quibus pro posse liberaliter affluebat. decem enim millia currum falcatorum in suo exercitu deferri faciebat cum diuersis generibus machinarum, quibus urbes et castra destrui faciebat. tabernacula eciam uariis modis regnorum diuersorum habere consueuerat operata. unum habebat sic celebre et solempne, ut ex laminis aureis mirifice coniunctim solidatum, modo solui et nunc reconiungi ad tendencium staret uoluntatem. columpne cuius ex auro laborate habentes iunctiones, opera ductilia, in medio tamen uacue, in iuncturis suis preciosis lapidibus iungebantur mirabiliter fabricate. sed eciam sua maristalla, dum pergeret in exercitum, equis diuersarum patriarum replebatur, quos, quamuis uisus esset habuisse, largiter egentibus tribuebat ita quidem, ut uix duos haberet aliquando pro usu equitandi. iste ergo maristalle ex purpura et bisso habebant paraturam, selle uero regales ex auro et lapidibus preciosis fuerant laborate. mensa autem eius erat tota aurea, uasa eciam coquinarum. thalamus quidem eius ex auro purissimo, laboratu mirifico in exercitu secum ferebatur. Expedicio autem eius preter exteras naciones decies centenis armatorum milibus replebatur, ita quidem, ut si unum Sciticum decedere contigisset, alter pro ipso confestim ponebatur. sed arma gentis eius ex corio maxime et eciam

metallis uariis diuersimode fuerant laborata, ferens arcus, cultros et lanceas. banerium quoque regis Ethele, quod in proprio scuto gestare consueuerat, similitudinem auis habebat, que hungarice Turul dicitur, in capite cum corona. istud enim banerium Huni usque tempora ducis Geiche, dum se regerent pro communi, in exercitu semper secum gestauere. in istis itaque et aliis populis huiusmodi Ethela rex Hunorum pre ceteris regibus sui temporis gloriosior erat in hoc mundo. ciuitatum, castrorum et urbium dominus fieri cupiebat, et super illas dominari. habitare uero in ipsa contempnebat. cum gente enim sua in campis cum tabernaculis et bigis incedebat. extera nacio, que eum sequebatur, in ciuitatibus et in uillis. indumentorum uero modus, et forma, sibi et gente modum Medorum continebat.

(3) Postquam uero in prelio Cesummaur Romani corruissent, et fuissent dispersi usque quaque, rex Ethela est conuersus in castra gentis sue, et ibi in descensu ultra Tizam paucis diebus habitauit, tandem in Scewem curiam solempnem celebrare procurauit. ad quam Ditricus de Uerona cum principibus Germanie accedens omne homagium Ethele et Hunis fecisse perhibetur. suggessit regi ut inuadere debeat regna occidentis. cuius quidem consilium amplectendo exercitum statim proclamari iussit. egressus de Sicambria primo Illyricos subiiciens, deinde Rhenum Constancie pertransiuit. Abinde uero Rhenum inferius descendendo rex Sigismundus apud Basileam cum ingenti exercitu suo conuenit, quem deuincens cum impetu, suo fecit imperio obedire. a loco autem illo egressus obsedit Argentinam ciuitatem, quam primitus Romanorum Cesarum nullus potuit expugnare, metus orbis expugnauit diruendo murum eius, ut cunctis adeuntibus uia libera haberetur, edictum faciens, ne uiuente eo mutaretur. propter quod

eadem ciuitas postmodum Strosburc non Argentina usque hodie est uocata.

Amoto autem de loco illo suo exercitu Luxouium, Bizanciam, Chalon, Masticoniam, Lingonensem, et Lugdunum Burgundie destruxit ciuitates. descendens tandem iuxta Rhodanum aduersus Cathalaunos, ubi eciam diuiso suo exercitu terciam partem sue gentis contra Miramammonam Soldanum scilicet Marroquie cum electis capitaneis destinauit. quo audito Mirama de urbe Sibilie fugiit ante Hunos in Maroquiam brachio Sibilie transpassato. Tunc interea regem Ethelam Romanorum patricius dictus Ecius cum X regibus occidentis inuasit ex abrupto. et dum subitum insultum niterentur facere super Ethelam, per nuncios preliandi inducias ab ipsis postulauit, ut copia sue gentis, que absens fuerat, iungeretur. sed illis renuentibus, inter utrosque exercitus a mane usque noctem in campo Beluider prelium est commissum. Erat enim inter utrosque exercitus fluuius discurrens tam paruissimus, ut, si capellum in ipso quis iactasset fluuii plano, cursu uix poterat inferius remoueri. prelio autem confecto animalium sanguine et humano talis torrens efficitur, ut aurigam cum curru introtraheret et armatos, fieretque mortalitas per torrentem in exercitu ualde magna. istud ergo prelium, quod commissum extitit inter Hunos ac reges occidentis in loco memorato, omnibus preliis huius mundi, que commissa sunt uno loco et una die, per ueteres maius esse perhibetur. In quo quidem conflictu Gothorum rex Aldaricus miserabiliter intercipitur. cuius quidem obitum alii reges ut cognoscunt, in fugam conuertuntur. ab illo itaque die eleuatum est cor Hunorum et regis Ethele, timorque percussit orbem terre et plura regna hoc audito, censu ac tributo eis seruiuerunt.

Tercia uero exercitus societas, que fuerat contra Miramammonam destinata, propter moram interesse non ma-

lens in prelio, remansit usque uitam Katalaunis, habitatores tandem Katalaunie sunt effecti. erant enim soli Huni preter exteras naciones CCC millia XXX millia et XXXII Huni. ex his eciam Hunis plures fuerant in exercitu capitanei constituti, qui Hunorum lingua Spani uocabantur. ex quorum nominibus tota Ispania postmodum est uocata, cum primo uocati essent Katalauni.

Dimorantibus siquidem Ethela, et Hunis in Beluider aliquamdiu, tandem regressi cum uictoria, intrauerunt Tolosanam ciuitatem, ubi a ciuibus cum laude summa sunt suscepti. indeque recedentes Rhemensem ciuitatem Gallicorum, que Ethele in eundo restiterat, igne concremarunt, milicia et ciuibus, quod se ita recluserat, omnibus trucidatis. taliterque Francia et Flandria demolita Rhenum Colonie pertransiuit, ubi sanctam Ursulam Britanorum regis filiam cum XI millibus uirginum Hunorum feritas crudeliter ingulauit. abinde Thuringiam introgressus in Isnaco curia celebrata, super Dacos, Noruagios, Frisones, Lituanos, et Prutenos exercitum magnum destinauit, quibus deuictis et humiliatis sibi fecit subiugari.

Ab isnaco ante curia celebrata egrediens, Sicambriam introiuit, ubi Budam fratrem suum manibus propriis interfecit, prohici faciens corpus eius in Danubium, eo quod ipso Ethela in partibus occiduis preliante inter eum et fratres eius metas stabilitas transgressus fuerat dominando. fecerat enim Sicambriam suo nomine appellari. et quamuis Hunis et ceteris suis gentibus interdictum rex Ethela posuisset, ut urbs Ethele uocaretur, Teutonici interdictum formidantes, eam Echulburc uocauerunt. Huni uero curam paruam illud reputantes interdictum usque hodie eandem uocant Oubudam, sicut prius. his itaque sic peractis, V annis continue in Sicambria requieuit, speculatoribus suis in mundi quatuor partes distributis. speculatorum siquidem prima societas, ordinatim de Sicambria, in quantum unius

clamor ad alium audiri potuisset, Colonie Germanie ciuitate die ac nocte stare consueuerat, altera usque Lituam, tercia in Don fluuii littore, quarta uero Iadre ciuitate Dalmacie staciones faciebat, quorum uoce et clamore, quid Ethela ageret, seu quali exercitacioni deditus esset, mundi partes quatuor potuissent experiri.

(4) Incidencia. Pannonie, Pamfilie, Macedonie, Dalmacie et Frigie ciuitates, que crebris spoliis et obsidionibus per Hunos erant fatigate, natali solo derelicto in Apuliam per mare Adriaticum de Ethela licencia impetrata, transierunt, Blackis, qui ipsorum fuere pastores et coloni, remanentibus sponte in Pannonia. repausato autem rege Ethela Sicambrie V annis defectum tercie partis sui exercitus, que remanserat Katalaunis, resarcire procurauit, curiaque solempni celebrata egressus est de Pannonia, per Stiriam, Carinciam et Dalmaciam pertransiens, apud urbem Salonam mari Adriatico, et Spaletum se coniunxit, ubi ambas urbes dirui fecit et cremari. egressus tandem circa mare Traguram, Sebenicum, Scardonam, Iadram, Nonam, Senam, Polam, Parenciam, Capostiriam, Triestinam ciuitatem ac cetera multa oppida occupans, in montanis peruenit tandem Aquilegiam, cuius magnitudine circumspecta stupefactus, se confusum reputabat, si dictam ciuitatem inexpugnatam reliquisset, pro eo maxime, quia quamplures Longobardi de Pannonia, qui Hunorum dominium et Ethele contemserunt, confugisse in ipsam ferebantur. quos quidem a ciuibus per nuncios repetens, et dum tradere recusarent, expugnare cepit ciuitatem machinarum diuersis instrumentis. quam dum capere nullatenus potuisset, obsedit eam anno uno et dimidio.

Accidit ergo die uno, ut eamdem circuiret ciuitatem, multis fitonicis eius lateri adherentibus, in quibus iuxta sue opinionem fidei spem maximam apponebat. et uidens

ciconiam de mari euolantem, et in pinnaculo unius palacii, in quo habebat nidum suum, resedisse, acceptoque in rostro pullo suo, in maris arundines uisibiliter deportauit. reuersa tandem et alios pullos suos simul cum nido transtulisse perhibetur. quo uiso rex Ethela suis militibus ad se conuocatis ait: cernite ergo socii, quod ciconia ista futurorum fatorum sentit indicia, urbemque per nos diruendam, ad fugam, ne cum ciuibus pereat, se communit. estote ergo die crastina in prelio forciores, uidebitis ciuitatem ruituram. tunc edicto proclamato, machinarum omnium genere adhibito, cum non potuisset machinis expugnare, ingenio Sciticorum tandem usus, ex decies centenis millibus sellam unam de quolibet postulauit, et facta congerie ex sellis, iuxta murum iussit incendi sellas ipsas, quarum flamma ac ardore murus se dissoluens corruisse in terram cum turribus perhibetur. quo uiso omnes ciues urbe derelicta in insulam maris fugerunt. eamdem etenim insulam intrauerant eterno permansuri, sed in ipsa paucis annis dimorantibus tandem propter metum regis Ethele in paludes Realt, ubi nunc morantur, intrauerunt. unde eciam eamdem insulam usque hodie Venetica lingua, Vecca Venesia nominatur. Veneti siquidem sunt Troiani, ut canit Cronica ueterorum : Veneti siquidem sunt Troiani etc. post excidium enim Troie Aquilegie permanserunt, quam et fundasse referuntur. quidam autem Venetos de Sabaria fuisse opinantur. Sabaria uero habitata fuerat Longobardis, in qua erat generalis schola orbis terre nacioni, poëtarum, musis et dogmatibus philosophicis elucenter illustrata, idolorumque erroribus diuersis mancipata. quam quidem Gothorum nomine Archelaus rex primitus deuastauit. sed postea per Hunos de Pannonia expelluntur, nuncque littora fluuii Tycini habitare dinoscuntur, qui et dicuntur Papienses.

Postquam autem rex Ethela Aquilegiam expugnauit, inde uenit in forum Iulii, ubi ciuitate Concordia occupata in marchiam intrauit Lombardie, in qua Taruisium, Brixiam, Paduam, Cremonam, Veronam, Mantuam, Pergamum, Mediolanum, Alexandriam, Ferrariam, aliasque plures urbes Italie suo dominio subiugauit. post hec Rauennam appropians, Arianorum archi-presul, qui in dicta ciuitate contra sedem apostolicam fecerat eleuari XII cardinales suam sectam imitantes, thesaurum habens copiosum, ciuibus ignorantibus Hunos in urbem occulte intromisit, catholicos, qui erant in ea pociores per ipsos fecit trucidari, permittens Ethele, quod si sue secte adheserit, fueritque Christianos persecutus absque fatiga sue gentis, et expensis Romanam urbem, totam Italiam et Affricam eius imperio subiugaret. Cumque Ethela annuisset plus amore dominii quam secte memorate, cognito Romani periculo, quod exinde poterat Christicolis suscitari, Leonem Romanum antistitem ad Ethelam transmiserunt petentes, ut exiret de finibus Lombardorum, propter quod ei et censum persoluerent et gentem darent, quam uellet. apostolico itaque ad Ethelam, cum comitibus, et clero Romano pro parte conuenerunt in campo ante Rauennam locuturi. dumque in equis uterque mutuo loquerentur, graueque uideretur regi admittere quod Romani postulabant, inter colloquia contigit Ethelam sursum aspicere, superque caput suum in aëre hominem pendere, gladium tenentem uersatilem, qui caput eius auferre minabatur. unde quidem corde perterritus uniuersas peticiones annuit Romanorum, et sic apostolicus cum gaudio Romam rediit, et rex Rauennam est ingressus. In qua quidem archi-presulum Arianum cum omnibus sequacibus et complicibus captiuari faciens extorsit ab eo sexaginta marcarum millia auri, quos postea fecit omnes iugulari. in his eciam diebus, dum Ethela Rauenne moraretur, Zoard capitaneus princeps milicie regis

cum Hunorum exercitu intrat in Apuliam et Calabriam, ubi Reginam ciuitatem et Cathonam, in qua Catho natus habitauit, demolitur, et demum Terra laboris demolita usque montem Cassinum exercitus uastat, inde tandem cum uictoria Rauennam est reuersus.

His itaque sic peractis de Italia rex Ethela rediit in Pannoniam. dum ergo per occidentem, orientem, aquilonem ac meridiem longe lateque imperando extendisset suum posse, uertebat in animo transfretare, ut Egyptios, Assyrios et Africam subiugaret. tunc interea Bractanorum regis filiam Micolt nomine sibi adducunt ad amandum suam formam humanam pulcriorem, quam quidem adamasse in tantum perhibetur, quod excessit modum in habendo. eadem enim nocte, cum ipsam carnaliter cognouisset, plus excesserat more solito in potando et usu coitus pro uelle consumato, ex eius naribus supine dormienti sanguis est egressus, qui locum liberum non habens exeundi, in meatum gutturis introiuit, ubi coagulando prepediens anhelitum, metum orbis suffocauit. Micolt uero de somno excitata dum suum Dominum crebris motibus excitasset, nec se mouere potuisset, corpus cernens frigidatum et priuatum calore naturali, eiulando cubicularios regios ad se euocans, suum dominum exclamauit introisse uniuerse uiam carnis. qui quidem terribiliter exclamantes ad palacii hostia uniuersos uigiles fecerunt cursitare. sepelierunt eum in loco superius memorato cum Wela, Kaducha et aliis capitaneis.

Diuulgato ergo eius obitu obstupuit orbis terre, et utrum plangerent inimici eius, uel gauderent hesitabant, multitudinem filiorum formidantes, qui quasi populus uix poterat numerari. unum etenim ex filiis post ipsum credebant regnaturum. sed Ditrici astucia Veronensis ac principum Allamannie, quibus rex Ethela in collo residebat imperando, in partitas diuersas Hunorum communitas est

diuisa, ita quidem, ut quidam Chabam regis Ethele filium ex Grecorum imperatoris filia seu Honorii genitum, alii uero Aladarium ex Cremildi Germanie principissa procreatum preficere in regem post Ethelam nitebantur. quia uero pars sanior Chabe adherebat, extera autem nacio Aladario, eapropter utrique inceperunt imperare. tunc Ditrici astucia, qui fauebat Aladario, prelium inter ambos suscitatur. in primo ergo prelio Aladarius superatur, in secundo autem, quod Sicambrie per XV dies continuo committitur, exercitus Chabe sic deuincitur et prostratur, quod perpauci filii Ethele Hunique remanerent. istud enim est prelium, quod Huni prelium Crumhelt usque adhuc nominantes uocauerunt. in quo quidem prelio tantus sanguis germanicus est effusus, quod si Teutonici ob dedecus non celarent, et uellent pure reserare, per plures dies in Danubio aqua bibi non poterat, nec per homines, nec per pecus, quam de Sicambria usque urbem Potencie sanguine inundauit.

Fugiit ergo Chaba cum XV millibus Hunorum in Greciam ad Honorium, et quamuis retinere uoluisset, et Grecie incolam efficere, non permansit, rediens in Scithiam ad patris naciones ac cognatos. qui dum Scithiam introisset, mox incepit suadere, quod penitus redirent in Pannoniam ulcionem de Germanicis accepturi. remanserant quoque de Hunis uirorum tria millia ex prelio Crimildino erepti per fuge interfugium, qui timentes occidentis naciones in campo Chigle usque Arpad permanserunt, qui se ibi non Hunos, sed Zaculos uocauerunt. isti enim Zaculi Hunorum sunt residui, qui dum Hungaros in Pannoniam iterato cognouerunt remeasse, redeuntibus in Ruthenie finibus occurrerunt, insimulque Pannonia conquestata, partem in ea sunt adepti, non tamen in plano Pannonie, sed cum Blackis in montibus confinii sortem habuerunt. unde Blackis commixti litteris ipsorum uti perhibentur. isti quippe Za-

culi in Grecia periisse Chabam putauerunt. unde uulgus adhuc loquitur in communi: tunc redire debeas, dicunt recedenti, quando Chaba de Grecia reuertetur.

Iste igitur Chaba filius Ethele est legitimus, ex filia Honorii Imperatoris Grecorum genitus, cui Edemen et Ed filii sui sunt uocati. Edemen autem, cum Hungari in Pannoniam secundario sunt reuersi, cum maxima familia patris sui et matris introiuit. nam Mater eius de Corosminis orta erat. Ed uero in Scitia remansit apud patrem. ex isto enim Chaba generacio Abe est egressa. cum igitur Chaba adiens in Scitiam nobilitate genitricis in communi se iactaret, Hunorum nobilitas ipsum contempnebat, asserentes eum non uerum esse alumpnum regni Scithie, sed quasi missitalium extere nacionis. propter quod e Scitia uxorem non accepit, sed traduxit de gente Corosmina.

Postquam autem filii Ethele in prelio Crumhelt cum gente Scitica fere quasi deperissent, Pannonia exstitit X annis sine rege, Sclauis tantummodo, Grecis, Teutonicis, Messianis et Ulahis aduenis remanentibus in eadem, qui uiuente Ethela populari seruicio sibi seruiebant. surrexit tandem Zuataplug filius Morot princeps quidem in Polonia, qui Bracta subiugando, Bulgaris Messianisque imperabat, incipiens similiter in Pannonia post Hunorum exterminium dominari. hunc quidem Hungari de fluuio Hung uariis muneribus allectum, et nunciis explorantes, considerata illius milicia immunita, ipsum Zuataplug irruptione subita prope fluuium Racus iuxta Banhida, in quodam oppido cuius interrupta adhuc eminent, cum tota milicia peremerunt et sic Pannonie populis, qui superius sunt notati, inceperunt dominari. tradunt quidam, quod Hungari Morot non Zuataplug in secundo eorum reditu in Pannonia reperissent principantem. hoc idcirco esse habet, quia Morot pater eius nomine maior erat, sed confectus senio re-

pausabat in castro, quod Bezprem nominatur. audito infortunio, quod filio acciderat, morte subita ob dolorem finiuit uitam suam, filius uero in dominando nouus erat.

EXPLICIT LIBER PRIMUS DE INTROITU.

INCIPIT SECUNDUS LIBER DE REDITU.

---

(1) Digestis ergo Hunorum natalibus, preliis felicibus et sinistris, quociensque sua loca immutauerunt, nunc uidendum est quo tempore redierint in Pannoniam iterato, et qui fuerint redeuncium capitanei, quantusque numerus armatorum presenti opusculo apponere dignum duxi. imperante ergo Ottone Sueuo in Germania et Italia, in Francia Ludouico rege Lotharii filio, et Greciam Antonio duro, filio Theodori gubernante DCCCLXXII anno ab incarnacione Iesu Christi, Huni siue Hungari denuo ingressi in Pannoniam, transierant per regna Bessorum, Alborum Comanorum, et ciuitatem Kyo, et deinde in fluuio Hung uocato, ubi castrum fundauere, resederunt. a quo quidem fluuio Hungari a gentibus occidentis sunt uocati. cumque et alia VI castra post hunc fundauissent, aliquamdiu in illis partibus permansere, tandemque Zuataplug interemto, quemadmodum superius est narratum, in VII exercitus sunt diuisi, ita quidem ut unus exercitus sine centurionibus decurionibusque unum haberet capitaneum, cui tamquam duci deberent unanimiter intendere ac parere. habebat enim unus exercitus XXX millia uirorum armatorum exceptis decurionibus ac prefectis. egressi ergo uexillis erectis cum uxoribus, liberis et armentis, Danubium in Pest et in portu Zub transierunt, ubi castrum quoddam circa Danu-

bium, in quo erant milites Zuataplug recollecti, qui fuere erepti per fugam, quando dominus ipsorum interierat, expugnarunt. in quo quidem affinem Morot nimis uetulum cum aliis perimentes, usque hodie fabulose Morot ipsum fuisse asseuerant.

Ex istis ergo capitaneis Arpad filius Almi, filii Elad, filii Uger, de genere Turul, rebus dicior erat et potencior gente. hic igitur Arpad cum gente sua Ruthenorum alpes prior perforauit, et in fluuio Ung primus fixit sua castra, eo quod eius prosapia ista pre ceteris Scitie tribubus prerogatiua inuestitur dignitate, ut exercitum precedit eundo, retrograditur redeuntem. et cum transmeato Danubio Pannoniam introisset ipse Arpad, in loco illo fixit tabernacula, ubi modo Alben ciuitas est fundata. illeque locus primus existit Arpad ducis.

Alterius uero exercitus capitaneus Zobole uocabatur, qui in eo loco fixit sua castra, ubi modo Chakwara iacet desolata. ab isto Zobole generacio Chak esse habet. tercii quidem exercitus Iula fuit capitaneus, hic cum aliis in Pannoniam introisset, in partibus Erteuelu tandem habitauit. sed quarti capitaneus, Urs est nominatus. ipse circa flumen Soio sua tabernacula fixisse perhibetur. quinti uero exercitus Cund est dictus capitaneus. hic circa Nyr habitauit. huius filii Cusid et Cupian sunt uocati. Lel ergo exercitus sexti ductor fuerat. iste circa Golgocha primitus habitans, exinde Messianis et Boemis exstirpatis, tandem in partibus Nitrie sepius fertur habitasse. ex isto Zuard oritur tribus et cognacio. septimi quidem exercitus Werbulchu dux est dictus. hic in Zala circa lacum Bolotum descendisse perhibetur. pro eo enim Werbulchu est uocatus, quia Cun auus eius in prelio Crimildino per Teutonicos fuisset interfectus, et id ei pro certo constitisset, uolens recipere uindictam super eos, plures Germanicos assari fecit super ueru, et

tanta crudelitate in eos dicitur exarsisse, quod quorumdam quoque sanguinem bibit sicut uinum.

Isti quidem capitanei loca descensumque, ut superius est dictum, sibi elegerunt. Similiter et generaciones alie, ubi eis placuit eligentes. cum autem resedissent Pannonia occupata, tandem Morauiam et Boemiam bonis omnibus spoliarunt Waratislao eorum duce in prelio interfecto. post hoc uero Carinthiam hostiliter adeuntes, ultra castrum Leopah Meranie dux Gotfridus nomine, duxque Eberhardus cum Aquilegiensi patriarcha ipsis occurrentes atrociter insimul pugnauerunt. et quamuis ex Hungaris plures corruissent in prelio memorato, utrique duces occiduntur, patriarcha per fugam liberato. abinde spoliata Carintia, Stiria et Carniolia cum maxima preda in Pannoniam reuertuntur.

Conradus uero imperator, ut audiuit latrocinacionem gentis sue, exiens de Italia intrauit Augustam Sueuie ciuitatem, ut exinde in Hungariam introiret, Hungaros inuasurus. sed interea Rome bellum generatur intestinum, et Cesar Romam redit. tunc Hungari exeuntes intrant in Bulgariam, ex qua armenta et captiuos extrahunt infinitos, redeuntes tandem cum uictoria in Pannoniam. tempore item alio per Forum Iulii intrant Lombardiam, ubi Luitardum Wercellane ciuitatis episcopum, imperatoris Caruli consiliarium fidissimum occidentes, ex ipsius ecclesia thesaurum maximum rapuerunt, totaque pene Lombardia demolita cum maxima preda in Pannoniam reuertuntur. post hec Saxoniam, Thuringiam, Sueuiam Rheno circa Magunciam transpassato, orientalem Franciam et Burgundiam demoliti, ecclesias eciam plures destruxerunt. et cum Rhenum in Constancia in reditu pertransissent, et cum maximo honore uenissent in Bauariam, circa castrum Abah Alamannicus exercitus ipsos inuadit ex abrupto, quibus uiriliter resistentibus, prelio confecto Teutonici sagittis deuincun-

tur. ubi capitur Hertindus de Suarchumburc imperatoris mariscalcus, id est milicie sue princeps, et alii quamplures nobiles cum eodem, et licet inestimabilem pecuniam pro redempcione eorum tradidissent, ante Ratisponam in signum positi, sagittis crudelissime ciuibus in muro stantibus et admirantibus perforantur. et sic tandem cum uictoria et preda maxima ad propria reuertuntur.

Transactis igitur paucis diebus Lel et Bulchu per communitatem Hungarorum in Teutoniam destinantur, et cum Augustam peruenissent ultra fluuium Lyh in prato fixere sua castra, ciuitatem diuturnis et nocturnis bellis molestantes. cumque subitis saltibus capere non ualerent, obstinati nolentes recedere de suburbio, Urricus Episcopus cum ciuibus ad Cesarem missis nunciis animant eum, ut succurrat ciuitati, quia Hungari obsidentes eos, licet sint plurimi, non se custodiunt, qui facillime poterunt debellari. egressus itaque imperator de Ulmensi curia, ueniens celeriter et absconse explorato processu et exercitu Hungarorum, in hora tercia cum plueret, irruit super eos, et unum exercitum uiciniorem ciuitati festinanter debellauit. quo uiso Lel et Bulchu fuge remedium queritantes in nauem se colligunt, submittentes se per Danubium, ut fugiant in Hungariam. qui quidem in transitu Ratispone captiuati Cesari transmittuntur, quos Cesar iudicio suspendii condemnando, Ratispone fecit occidi in patibulo. quidam uero ipsos aliter dampnatos fabulose asseuerant, quod Cesari presentati unus illorum cum tuba in caput ipsum Cesarem occidisset feriendo. que sane fabula uerosimili aduersatur, et credens huiusmodi leuitate mentis denotatur. nam persone criminose ligatis manibus conspectui principum presentantur. Uerum quidem est, et libri continent Chronicarum, ut blasphemati audacter Cesari inuriose sunt locuti, asserentes, quod si ipsos occidi fecerit, de gente sua de cetero nullus captus uiuere poterit, sed uel in perpetuam

tradetur seruitutem, aut nullo iudicio precedente occidetur. quod et factum est. quia ut Hungari audierunt, ut Cesar sic ipsos occidisset, omnes captiuos Teutonicos, tam mulieres quam paruulos usque ad XX millia iugularunt.

Alius uero exercitus, qui distabat ab Augusta, impetum Cesaris ut persensit super socios, in unam siluam se collegit, et ut eius exercitum dispersum recognouit, persecutus est maiorem aciem gentis sue, que tendebat uersus Renum, quam in campo coniungens cursitando, se insimul adunauit sicut apes, quam sagittis uulnerando, nec descendere, nec recedere permiserunt, qui se tandem uelut mortuos in manus dederunt Hungarorum. quos quidem ut ceperunt, omnibus caput detruncarunt pro exequiis sociorum. fuerant autem numero milites et scutiferi quasi VIII millia, quorum capita sunt truncata. abinde egressi postmodum Danubii fluuium in Ulma transierunt, et ad Wiltense cenobium cum uenissent, thesaurum magnum exinde rapuerunt, et post hoc tota Sueuia Renum Wormacie transierunt, ibique duos duces, scilicet Lotharingie et Sueuie cum maximo exercitu contra eos uenientes inuenerunt. quibus deuictis et fugatis tandem Franciam intrauerunt, ubi christianis et cenobitis persecucio ualida facta est per eosdem. exinde autem egressi, usque fluuium Rodanum uenientes, duas ciuitates, scilicet Segusam et Taurinam spoliarunt. per alpes Italie sibi uiam preparando, et cum planum uidissent Lombardie, concitatis cursibus spolia multa rapuerunt, et sic tandem ad propria reuertuntur.

Postquam uero Lel et Bulchu ut superius est narratum, interissent, exercitus siluit non intrans ulterius in Germaniam. nam Francia et Germania unanimiter concordantes simul in unum adunati uenientibus Hungaris deberent resistere usque uitam. propterea Hungari in Alamanniam usque tempora regis Stephani semper ire dubitabant,

ne gens occidentis eos inuaderet simul adunata. postquam autem Italie prouincias aliquas spoliassent, V annis fuere sine motu. tandem in Bulgariam adeuntes usque Ydropolim peruenerunt, dumque exercitum super se uenientem non uident, usque Constantinopolim uenientes descenderunt prope murum. tunc Grecus unus, magnus sicut gygans, emittitur, qui duos Hungaros cum eo luctari postulabat, uociferans in hunc modum: ut si ambos Hungaros in terram non prostraret, extum Grecia censualis Hungaris subiaceret. cumque idem Grecus exercitui esset plurimum infestissimus, quidam Hungarus Botond dictus, Greco opponitur ad luctandum, areaque preparata, arrepto dolabro, quem ferre consueuerat, super portam Urbis, que erea erat, precucurrit, tantamque fissuram in ea secisse dicitur cum dolabro uno ictu, ut Greci propter monstrum ipsam portam resarcire noluerunt. quo quidem facto ad aream luctandus inermis aggreditur, et ad spectaculum Hungari in equis, Greci ad muri propugnacula conuenerunt. cumque Grecus exisset de urbe iturus ad aream, uidit Botond solum stantem paratum ad luctandum, exclamauit: quare alium Hungarum non adiungeret sibi in auxilium. tunc Botond aggresso ipso sic eum comprehendisse perhibetur, ut preteriit parua hora in luctando, quod Grecus prostratur, non ualens resurgere ullo modo. quo uiso Grecorum imperator et alii Grecorum proceres; imperatrix eciam cum suis dispotinis de muro egredientes ad sua palacia perrexerunt pre summa uerecundia, quod acciderat, reputantes. et licet Grecus sic allisus superuiueret cum fracto brachio, occasio tamen sibi fuit, ipsa lucta mortis sue. obtento itaque Hungari certaminis brauio pro censu postulando ad Grecos nuncios destinant, quibus imperator subridendo nullum uerbum dicitur respondisse. tunc Hungari cum Tocsun eorum duce consilio inito, egressi de loco illo totam Greciam et Bulgariam spoliantes, ex ipsis aurum,

gemmas, lapides preciosos, captiuos sine numero et armenta infinita rapiunt, redeuntes tandem cum gaudio in Pannoniam. istud enim existit ultimum spolium, quod fecere Hungari sub ritu paganismo constituti. communitas itaque Hungarorum cum suis capitaneis seu ducibus, quos pro tempore preficere usa erat, usque tempora ducis Geiche hinc inde huic mundo spolia et pericula dinoscitur intulisse.

(2) Anno uero dominice incarnacionis DCCCCLXVII Geicha dux diuino premonitus oraculo genuit sanct. regem Stephanum, Mihal uero frater Geiche genuit Wasul et Zar Ladislaum. at rex Stephanus plures quidem filios genuit, sed super omnes unum genuit Emricum nomine deo et hominibus honorabilem. sanctus namque rex Stephanus coronatus, et tandem duce Cuppan interfecto, Iula auunculo suo cum uxore et duobus filiis de septem castris in Hungariam adducto, et adiuncto septem castra Pannonie, post hoc cum Kean Bulgarorum duce et Sclauorum preliatus est. quo deuicto de ipsius thesauro beate Uirginis ecclesiam de Alba ditare non omisit, quam fundasse perhibetur. postquam autem magnificauit dominus misericordiam suam cum b. rege Stephano, subiecitque eius dominio multarum gencium naciones, statuit pompis huius seculi deposito regni diademate renunciare, deique solius seruicio exterioribus curis expeditus, deditus esse: coronam uero regni Emrico duci suo filio se daturum disposuit. erat enim b. rex Stephanus litteratus, naturali quoque ingenio celitus eruditus, similiter et Emricus. cum itaque sanctissimus pater curam ministracionis gubernandi filio sanctissimo committere intenderet, dux ipse morte est preuentus. fleuit ergo eum pater eius insolabiliter, totaque Hungaria, et pre nimio dolore ac tristicia incurrit egritudinem, pedum enim dolore urgebatur. nam maxime eapropter, ut

de suo sanguine dignus nullus esset regni corona sublimari, et qui ipso mortuo gentem tam nouellam in fide catholica posset conseruare. interea uero uiribus corporis cepit repente destitui, et grauatum languore se senciens, misit nuncios festinanter, qui Wazul filium sui patruelis de carcere Nitrie educeret, quem ipse post eum regem faceret super Hungaros. quo audito Kysla regina habito consilio infidelium misit Comitem Sebus, qui regis nuncium preueniens, Wazul occulos effoderet, auresque eius plumbi infusione obturaret, fugeretque abinde in Bohemiam. quem cum tandem regis nuncius ad regem adduxisset, amare fleuit super casu qui acciderat. conuocatis igitur ad se Andrea, Bela et Lewenta filiis Zarladislai, consuluit eis ut in Bohemiam fugerent festinanter. beatus autem rex Stephanus XLVI anno sui regiminis in die assumcionis beate Uirginis migrauit ad dominum. sepultus est Albe in ecclesia beate Uirginis gloriose. confestim igitur Hungarorum cythara in luctum est conuersa, et omnis populus regni planxit tam sanctissimum regem ululatu magno. iuuenes eorum ac uirgines scalidis induti uestibus per triennium choreas non duxerunt.

Regina uero Kysla consilio iniquorum Petrum Uenetum filium sororis sue, cuius pater dux fuerat Uenetorum, regem fecit super Hungaros, ut pro libito posset motus sue uoluntatis perficere, regnumque Hungarie amissa libertate Teutonicis subderetur. postquam autem Petrus regnare incepisset, omnem mansuetudinem regie abiecit maiestatis, et furore Teutonico deseuiens, regni nobiles contempnebat, cum Alamannis et Latinis bona terre superbo oculo et insaciabili corde deuorando. municiones autem, castra et omnes regni dignitates ab Hungaris auferens tradebat Teutonicis et Latinis. erat quoque idem lasciuus ultra modum, cuius satellites turpitudinem intemperate libidinis operantes, uxores filiasque Hungarorum, ubicumque Petrus rex

ambulabat, uiolenter opprimebant. nullus eciam eo tempore de uxoris filieque castitate certus erat propter insultus aulicorum Petri regis. uidentes igitur principes et nobiles regni mala gentis sue, que fiebant contra legem, communicato consilio rogauerunt regem, ut suis iniungeret a tam detestabili opere desistere sine mora. rex uero elacionis fastu inflatus ac furore, maliciam quam in corde gerebat occultando, cum toto ueneno effudit in publicum ita dicens: si aliquamdiu sanus ero, omnes iudices, spectabiles, centuriones, principes et potestates statuam Teutonicos et Latinos, terramque Hungarie regni hospitibus adimplens in dominium tradam Teutonicis. hoc itaque fuit discordie seminarium inter Petrum regem et Hungaros.

Anno ergo regni Petri tercio principes et nobiles regni Hungarie episcoporum consilio in unum conuenerunt contra Petrum querentes sollicite, si aliquem de regali genere possent reperire, qui esset idoneus regnum gubernare, eosque a Petri tyrannide potenter liberare. cumque in regno talem inuenire potuissent ullo modo, ex semetipsis quemdam comitem nomine Aba, sororium sancti regis Stephani super se regem prefecerunt. Aba uero rex congregato exercitu Hungarorum processit contra Petrum pugnaturus. cernens autem Petrus Hungarorum adiutorio se priuatum, fugiit ad Henricum Cesarem in Bauariam, petiturus auxilium sibi dari. Petro itaque de regno effugato illi Tyranni, quorum consilio afflicti erant Hungari, sunt detecti, ex quibus unum in frusta conciderunt, oculos duorum filiorum eiusdem eruentes, alios uero in manganis ferreis confregerunt, quosdam lapidibus obruentes. Sebus uero qui Wazul oculos eruerat, pedibus confractis ac manibus in rota peremerunt. Aba uero in regem consecrato, ea que Petrus statuerat in irritum reuocans, Hungarorum scita iussit obseruare.

Tercio autem anno Aba regis, descendit Petrus rex cum Henrico Cesare ducens maximum exercitum contra Abam, quod Aba dum sciuisset, nuncios mittens ad Cesarem probauit, si cum eo pacem posset ordinare, uel minime. cui Cesar in respondendo se ostendit inimicum, intellectoque ut intenderet restituere Petrum Hungaris, iratus inuasit Austriam, et usque in fluuium Trense spoliauit, et post hoc est reuersus. tandem quoque misso exercitu in Carinthiam pro spolio faciendo, cum inde redirent honerosi, Gotfridus Austrie marchio circa Petouiam insultum faciens super eos, eorum spolia fertur abstulisse. Tunc enim Austria non duces, sed habebat marchiones. Cumque eo tempore Colonie degeret imperator, audito quod Hungari lacerassent Teutonicos sine caussa, cum principibus Alamannie consilium iniit, qualiter ab Hungaris illatam sibi iniuriam, iniuria simili propulsaret. mouit itaque expedicionem in gentem et consilio ducis Ratislai Bohemorum, ex aquilonali parte Danubii uenit ad Hungarie confinia. legati uero Abe regis et Hungarorum promittebant Cesari, ut in omnibus satisfacerent, nisi quia Petrum in regem non susciperent, quod Cesar summopere perficere affectabat. obligatus enim erat ei iuramento, ut ipsum in regnum Hungarie iterato collocaret. cum autem Hungari Petrum non admitterent, missis muneribus, dataque fide, quod captiuos Teutonicorum libere permitterent remeare, Cesar consilio inductus ducis Loteringie, et plus allectus muneribus rediit Bizanciam Burgundie ciuitatem.

Exhinc ergo rex Aba securitate accepta cepit esse insolens, et seuiebat superbe in Hungaros, nobiles contemnens, sed et iusiurandum pro nichilo reputabat uiolare. Hungari uero nolentes id ei sustinere, conspirarunt ut eum morti traderent et occiderent. sed quidam prodidit consilium, ex quibus, quos capere potuit, sine iudicii examine interfecit, quod ei extitit in summum maxime

detrimentum. nam uiros quinquaginta consiliandi causa in unam domum euocauit, quibus in eadem inclusis, crimen non confessos, nec conuictos legibus, caput fecit detruncari. unde beatus Gerardus Chenadiensis episcopus canonica seueritate regem corripiens predixit sibi periculum imminere. tunc quidam ex Hungaris fugientes ad Cesarem locuti sunt contra Abam dicentes, quod pro nichilo iuramentum reputaret uiolare, nobilesque qui eum regem fecerant, contempnebat. quibus dixit imperator: oportet ergo, ut captiuos reddat, dampna emendando. Cesar igitur Hungarorum animatus consilio, cum exercitu Norico et Bohemico Austriam introiuit, dissimulans se in Hungariam intraturum, sed simulans cum Aba concordare. tunc nuncii Aba regis repetebant incessanter a Cesare Hungaros, qui ad Cesarem fugerant, conquerentes ac dicentes, predones et latrones ipsos esse, guerreque inter Cesarem et Hungaros precipuos incentores, ideoque huiusmodi iniquitatis artifices in manus Abe regis tradi oportere. quod facturum se Cesar promisit ullo modo. concitato igitur cursu inuasit fines Hungarie intrans per Suprunium, et cum uellet in Bohut pertransire, non poterat propter aquas. Hungari ergo, qui erant cum Cesare et Petro rege, duxerunt Cesaris exercitum sursum iuxta flumen Rebche, et utraque flumina tota nocte equitando, orto sole facili uado transierunt. occurrit autem ei rex Aba in Menfeu cum multitudine armatorum, nimis presumens de uictoria, quia Bauari quidam nunciauerant ei Cesarem cum paucis introisse. et ut dicitur, Aba rex uictoriam habuisset, nisi quia Hungari quidam amiciciam Petro reseruantes, super terram sua uexilla proiecissent et fugissent. commisso igitur prelio diu et acriter, tandem Cesar diuino fretus adminiculo uictoriam est adeptus, Aba uero rex fugiit uersus Tizam et in uilla quadam in scrobe ueteri ab Hungaris quibus regnans nocuerat iugulatur, et iuxta quamdam eccle-

siam sepelitur. post aliquot autem annos, cum esset effossum corpus eius de sepulcro, sudarium ac ipsius uestimenta inuenerunt incorrupta, et loca uulnerum resanata, sepelieruntque tandem corpus eius in proprio monasterio. ex Teutonicis etenim in illo prelio sine numero ceciderunt. unde idem locus ubi prelium est commissum eorum lingua usque hodie florum paiur est uocatus, et weznemut nostra lingua.

(3) Cesar uero obtenta uictoria descendit Albam ciuitatem, ubi Petro restituit regnum, et sic tandem reuersus est Ratisponam. rege ergo Petro et Hungaris, qui eum in regnum reduxerant, uires et potenciam resumentibus, ceperunt esse insolentes. qua de caussa omnes Hungari sollicite intendebant, qualiter amoto Petro filios Zarladislai reducere potuissent. dum autem ista ita fierent, Andreas, Bela et Lewenta de Boemia in Poloniam transeuntes, a Misca Polonorum duce amicabiliter sunt recepti, ubi Bela Pomeranie ducem duello deuincens, filia Miske sibi datur in uxorem. quod Andreas et Lewenta egre ferentes, ne ipsius nomine uiuerent in Polonia, in Rutheniam transierunt. et dum ibi a duce Lodomerie propter Petrum regem suscepti non fuissent, ad terram uadunt deinde Comanorum. qui cum eos perimere cogitarent, credentes ipsos exploratores regni sui, tandem per captiuum Hungarorum recogniti, optime deinceps pertractantur. interea uero Petrus rex Hungaros priori grauamine cepit molestare. tunc in Chenad omnes in unum conuenerunt, consilioque habito communiter pro filiis Zarladislai transmittunt, unde ad regnum remearent. qui cum in Pest aduenissent absconse sicut poterant, statim in curia Petri regis una nocte in equis uelocibus per nuncios trium fratrum proclamatur: quod omnes Teutonici et Latini ubicumque inuenti perimantur, et resumatur ritus paganismus. mane ergo facto

sciscitatus Petrus facti caussam pro certo recognouit ipsos esse in Hungaria. et licet immenso dolore tactus esset, se letum demonstrabat. tunc clam mittens suos nuncios, ut Albam occuparent, reuelato consilio Hungari per omnia loca incipiunt rebellare, occidentes uno tempore Teutonicos et Latinos, mulieribus quoque, infantibus et sacerdotibus, qui per Petrum fuerant prepositi plebani et abbates, non parcentes. et cum in Albam nequisset introire, arrepta fuga iuit uersus Musun, ubi exercitus uenisse contra eum perhibetur, indeque declinans equitauit festinanter uersus Albam. ciues etenim demandauerant, quod rediret, et ciuitatem sibi darent. cum uero in quamdam uillam circa Albam peruenisset, subito exercitus ipsum circumdedit, ubi captiuatus oculi eruuntur, licetque superuiueret, in merore animi finiens uitam suam, Quinqueecclesiis subterratur, quam fundasse perhibetur.

Tunc tres fratres Albensem ingressi ciuitatem, ab omnibus episcopis, nobilibus, omnique populo cum summa laude sunt suscepti. et Andreas euo pocior in regni solium sublimatur. quidam autem istos fratres ex duce Wazul progenitos asseuerant ex quadam uirgine de genere Tatun, non de uero thoro oriundos, et pro tali missitalia illos de Tatun nobilitatem inuenisse. friuolum pro certo est et pessime enarratum. absque hoc namque nobiles sunt et de Scitia oriundi, quia isti sunt filii Zarladislai. Gerardus ergo episcopus de Chanad in istis casibus in Pest per Hungaros de monte submissus in biga, martyrio coronatur, qui monachus prius fuerat de Rosacensi abbacia, que est de territorio Aquilegie. deinde Pannoniam ingressus in Beel fuit diucius heremita. cum igitur Andreas diadema regni suscepisset, cum Noricis Boemis et Polonis guerram dicitur tenuisse, quos superans debellando, tribus annis fecisse dicitur censuales. propter quod Henricus imperator descendens usque Bodoot V. mensibus Albam obsedit ciuitatem,

ubi tandem sic uiribus et potencia dicitur defecisse, ut ipsius Teutonici et Latini in suis tentoriis noctis tempore se uiuos sepelirent. nam Hungari in obscuris in eorum castra descendentes, eos crudeliter sagittis enecabant. tandem uero Cesar ille ductus penitencia a rege Andrea et Hungaris ueniam cepit postulare, quod omnia dimitteret in Hungaria preter equos, faceretque iusiurandum, ut deinceps nec ipse nec ipsius successores contra regnum Hungarie hostili manu in Hungariam introirent, nec eciam de Bodoct moueret interea suos pedes, donec Sophiam suam filiam Salomoni Regi de Alamannia ductam traderet in uxorem, quam primitus filio Regis Francie cum maximo federat sacramento. rex uero habito consilio misericorditer eidem dicitur indulsisse. qui amoto suo castro primum descensum in monte Barsunus secisse comprobatur. quia uero fame ac siti defecerant in eodem loco, ex parte regis potus et cibus in maxima copia fuit ministratus, indeque crapulati quamplurimi, cum Cesaris uigiles incautis obtutibus Hungaros uidissent hinc inde equitantes in pactis fraudem interesse crediderunt, quod exercitui declarantes dixerunt ut ad persequendum eos aduenisset. et quamuis plures in feretis habentes purpurea lectisternia egritudine fatigati ducerentur, dimissis feretis et lectis purpureis equos ascenderunt, orto sole uillam Urs coniungentes. et cum castellanus, qui in porta erat, cognouisset, quod gens armata per asperas et immeabiles indagines dimissa uia regia pertransiret, cum suis se armauit. dumque transeuntem turmam a longe aspiciens tueretur, egroti, qui dimissis feretis et lectisterniis in monte Basunus in equis equitauerant, allocatis curribus per indagines transiebant. quorum scutiferi ut retro uiderunt aciem castellani, derelictis curribus et dominis super currus, sicut melius potuerunt abfugerunt. tunc rustici uenientes currus auferendo, dominos in curru deciderunt, cadauera in aquis abiectantes. in quibus qui-

dem egrotis, quidam milites, aliqui comites, nonnulli fuere et marchiones. unde usque hodie in transitu ipso equorum ferramenta, gladii et plura his similia, aquis exsiccatis solent inueniri. mons uero Barsunus propter lectisternia sic relicta, que fuere purpurea, de terricolis extitit nominatus.

Post mortem itaque sancti regis Stephani transacti sunt anni XI. menses IV. usque ad annum primum imperii Andree regis. Interea uero Petrus rex primo et secundo regnauit annis quinque et dimidio, Aba uero regnauit annis tribus. Andreas autem confectus senio anno imperii sui XII. filium suum Salomonem adhuc puerulum cum consensu fratris sui Bele et filiorum eiusdem, scilicet Geiche et Ladislai regem constituit. ipse autem obiit anno regni sui XV et in Tyon monasterio proprio cum Dauid suo filio sepelitur.

(4) Post hunc regnauit Benyn Bela. quo regnante Hungari fidem derelinquunt et baptismum, anno in fide oberrantes, ut nec pagani nec Catholici uideruntur. postea tamen motu proprio fidei adheserunt. iste enim omnia fora die sabbati esse uoluit pro uendendo et emendo, byzantioque currere fecit per districtum regni sui, qui denariis argenteis multum paruis, scilicet XL cambi debuit. Unde usque hodie denarii XL numero aurum appellantur, non quod sint aurei, sed quia denarii XL argentei ualebant byzancium unum. regnauit autem duobus annis et in tercio migrauit ex hoc seculo, in suoque monasterio dicto Steugzard sepelitur. hic enim caluus erat, et colore brunus, propter quod suum monasterium diminutiue, sicut erat ipse corpore dispositus, sic uocari iussit.

Tandem uero inter Salomonem, Ladislaum et Geicham grauis discordia suscitatur, alumpni patrie inter se diuiduntur. quidam enim Salomoni, aliqui Ladislao et

Geiche adheserunt. rex autem Salomon Cesarem, suum socerum contra Ladislaum et Geicham per Nitriam cum exercitu maximo introducit. qui Uaciam perueniens, Ladislai exercitu speculato, finxit se infirmum, per Posonium in Austriam est reuersus, dimisso de Boemis et Noricis sufficienti auxilio Salomoni. tunc Cesare retrogresso prelium in Munorod inter ipsos est commissum. et quid ultra. Salomon deuincitur, prostrantur Teutonici et Boemi. et dum se suosque deuictos cognouisset, fugam iniit. Danubium in Scigetfeu pertransiens, inde in Musunium se collegit. in prelio autem Munorodino non solum Teutonici aut Boëmi ceciderunt, sed eciam maior pars de milicia regni periit. Salomon ergo metuens fratres suos, cum tota familia in Stiriam introiuit, ubi in Agmund monasterio, familia sua derelicta, in Musunium est reuersus, uolens colligere exercitum iterato. sed cum de die in diem deficeret, illorumque processus reciperet felicia incrementa, confusus rediit ad Cesarem adiutorium petiturus. et licet pro milicia solidanda affluentem pecuniam tradidisset, Teutonici ob timorem Hungarorum recipere noluerunt. unde spe omni destitutus rediit in Agmund ad reginam cum qua dies aliquos cohabitans in ueste monachali deinde Albam uenit. et cum Ladislaus frater eius in porticu ecclesie beate Uirginis manibus propriis pauperibus eleemosinam erogaret, ipse ibi inter eos dicitur accepisse. quem mox cognouit Ladislaus ut inspexit. reuersus autem Ladislaus a distribucione eleemosine inquiri fecit diligenter, non quod ei nocuisset, sed ille malum presumens ab eodem, secessit inde uersus mare Adriaticum, ubi in ciuitate uocata Pola, usque mortem in summa paupertate, in penitencia finiens uitam suam, in qua et iacet tumulatus, nunquam rediens ad uxorem usque mortem. regina uero Sophia uxor eius in maxima castitate perseuerans nunciis frequentibus maritum uisitabat, mittens ei expensam, ut habere

poterat, inuitando nichilominus, quod eam uidere dignaretur usque mortem. qui quamuis in corde habuisset, ob nimiam egestatem tactus uerecundia, ire recusauit. quem cum de medio sublatum cognouisset, licet multi principes de Germania sibi copulari matrimonialiter uoluissent, spretis omnibus, que habebat secularia faciens uenumdari, egenis est largita. ipsa uero monialis effecta, arctissimam uitam deducendo migrauit ad dominum, et in prefato monasterio tumulata, sicut sancta ueneratur.

Post Salomonem uero regnauit Geicha annis tribus et mortuus est, Uacie quam fundasse dicitur tumulatur. post Geicham uero regnauit Ladislaus XXX annis et tribus mensibus in Warod requiescit. istius igitur temporibus in septem castris in monte, qui Kyrioleis dicitur, Bessi Hungaris infestíssimi, spoliata Hungaria fugientes coniunguntur, et per eundem Ladislaum regem ac Hungaros taliter superantur, ut nec unus ex ipsis fertur remansisse.

Ladislao autem migrato regnauit post eum filius Geiche regis Kalomannus annis X et octo, cuius corpus iacet Albe. hic quidem presul erat, et exinde translatus in regem coronatur. Qunwes enim Kalman est uocatus, cum libros habebat, in quibus ut episcopus legebat suas horas, iste quoque in Regnum Dalmacie misso exercitu occidi fecit regem Petrum, qui Hungaris in montibus, qui Gozd dicuntur occurrens, est deuictus in montibus memoratis, et occisus. unde iidem montes usque hodie in hungarico Patur Gozdia nominantur. sedes enim huius Regis et solium in Teneu erat ciuitate. hoc ergo facto, et regno Dalmacie conquistato, galeas, naues et teritas cum Uenetis solidauit, mittens cum eis exercitum Hungarorum in Apuliam, ubi Monopolim et Brundusium ciuitates occuparunt, ciuibus quibusdam fidem Uenetis obseruantibus. cumque easdem ciuitates ad tenendum Uenetis reliquissent, concitatis cursibus planum Apulie, in quibusdam locis deuastantes tri-

bus mensibus in ea permansere. tandemque ad naues redeuntes per mare in Dalmaciam reuertuntur, capitaneo Hungaro, et regis Hungarie banerio ibidem cum Uenetis derelictis. quas quidem ciuitates Guillelmus Iunior rex Sicilie per auxilium Pisanorum cum magnis sumptibus postmodum uix rehabuit.

Post Kalomannum uero regnauit Bela annis IX duobus mensibus, Albe tumulatur. post Belam autem regnauit Geicha XX annis, tandem moritur et Albe sepelitur. post istum Stephanus frater suus coronam usurpat mensibus V. et diebus V. tandemque deuincitur, in quo prelio plures regni nobiles occiduntur. idem uero de regno expulsus, demum uenit in Zemin, ubi et finiuit uitam suam. Albe requiescit. sed post hunc regnauit Bela Grecus, quem Becha et Gregor apud imperatorem Grecorum diucius tenuerunt. hic quidem fures et latrones persecutus est, peticionibusque loqui traxit originem, ut romana habet curia et imperii. Albe iacet tumulatus.

Post Belam uero regnauit Emiricus filius eius. sed post hunc regnauit Andreas rex potens et illustris. iste eciam terram sanctam uisitauit, ubi per omnes principes Christianorum capitaneus ordinatur, et exercitum Soldani Babilonie cum Hungaris et Zaculis effugauit, et honore multiplici cum gente sua per Assyrios et alias naciones preuenitur. indeque cum summa gloria reuertitur in Hungariam. post hunc autem regnauit Bela filius eius, apud fratres Minores Strigonii tumulatur. istius quidem in diebus Mong Lisiue Tartari de tribus partibus regni in Hungariam adeunt, cum quinquies centenis millibus armatorum habentes adhuc centuriones et decuriones ad millia XL. quibus in Soio rex prefatus conueniens a Mongalis deuincitur Anno Domini MCCXLI. ubi fere tota regni milicia est deleta, ipso Bela coram eis ad mare fugiente. Quo quidem de mari reuertente per ducem Fridericum de Austria bello

impetitur, quem ante ciuitatem nouam Hungari cum lancea in maxilla transfixum peremerunt.

Postea uero regnauit Stephanus rex filius eius, qui Boemie regem nomine Otacarum ante fluuium Rebeha contra eum uenientem, cum Boemis uidelicet, Australibus, Stiriensibus, Brandeburgensibus et ceteris mixtis gentibus expulit uirtuose. iste eciam ciuitatem Budum suo dominio subiugauit, dominumque Bulgarorum eo uiuente sibi compulit obedire, migrans tandem ex hoc seculo et in insula uocata beate Uirginis in cenobio monialium requiescit tumulatus.

(5) Post hunc regnat Ladislaus tercius filius eius. hic enim puerulus in regni solium domino disponente coronatur. istius ergo diebus rex Otacarus Boemorum, qui de iure imperii plura sibi usurpauerat de facto et iniuste, unde uiros resumserat ac potenciam inauditam, in confiniis Hungarie lacerauerat in diuersis locis maximam porcionem, pro qua ex ipso eius Genitor nondum receperat dignam uindicte ulcionem, eo quod preuentus esset morte insperata. sed cum inter ista Alamannie principes Rudolphum comitem de Habusburc in curia Francuurtensi in regem sibi prefecissent, ut imperii iura, que erant occupata, deberet reuocare, ipse tamquam pheudorum imperialium redintegrator in Austriam, que fuerat per Otacarum inuasa et possessa, primitus introiuit. quo quidem Uienne diucius residente, ac iura sua de Boemis requirente, rex Boemicus contra eum tam immensum commouit exercitum ac perualidum, quod propriis uiribus Alamannie princeps ei resistere dubitaret. propter quod ergo Hungarie regem magnificum tamquam filium sancte ecclesie catholice sibi postulauit humiliter in auxilium, perpetua amicicia seipsum eapropter eidem obligando. adiiciens insuper, ut in eo quoque sancte ecclesie romane summum

seruicium exhibere uideretur. ipse uero auxilio simili quocumque a rege Hungarie foret requisitus, deberet subuenire. quia uero Ladislaus Hungarorum rex in corde et animo occultabat Otacari presumptionem temerariam contra patrem et ipsum attemptatam, eo quod tener esset uiribus corporis et etate peticioni principis Alamannie satisfacturum se disposuit.

Egressus ergo de Albensi ciuitate uelut Martis filius, cuius quidem constellacio conceptioni natiuitatique eius die in audacia, et ceteris uirtutibus naturalibus uim et incrementum subministrat, in uirtute altissimi et proauorum suorum, scilicet S. Stephani, Emerici atque Ladislai regum ac sanctorum uotiuis presumens confidensque suffragiis, erecto banerio regie maiestatis Rudolphum in Marhec coniunxit cum exercitu, qui ipsius aduentum et auxilium sicut dei exoptabat. sed quoniam gens Rudolphi in motu grauis erat propter arma grauiora, nimisque timorata ad resistendum tam ualide multitudini, ut Otacarus conducere ferebatur, pro eo contraire et moueri dubitabat. hoc autem Ladislao rege uiso et percepto Otacaro ad prelium properanti, ac parato circa castrum Stilfrid prope fluuium Morowe adpropinquat, Boemicum exercitum conuallando circumquaque. quorum quidem equos, et eciam semetipsos sagittis Hungari et Comani regis sic infestant uulnerando, quod Milot militie sue princeps, in quo copia exercitus presertim confidebat, sustinere non ualens Hungarorum impetum ac sagittas, cum suis fugam dedit, et post ipsum Poloni conducticii, dissoluto exercitu fugerent cum Boemis, Comanis uero inter ista prelia, honera et arnesia Boemorum regis, suique exercitus sustollentibus dissipando. in isto igitur prelio rex Otacarus dispersa mente et confusa uagando in exercitu captus occiditur. Filius uero eius Dux Nicolaus in Hungariam deducitur captiuatus, cum aliis captiuis baronibus, comitibus, et militibus sine numero.

Mortuorum autem numerum in prefato prelio potuisset estimare sola diuina sapiencia. Rudolphus ergo Teutonie rex atque Romanorum cum suis stabat, inspiciendo que fiebant. facta igitur hac uictoria rex Germanicus Ladislao regi egit grates, quod per eum Austria et Stiria sibi fuit restituta illo die. Et sic Ladislaus rex Hungarie rediit cum uictoria rege Alamannico in Austria remanente.

Hec est enim Ladislai regis uictoria primicia, quam diuina clemencia ei tribuit in etate adolescencie constituto in quo quidem exercitu ipso die comes Renoldus filius Renoldi banerium regis tenuit uiriliter et potenter, de genere Bastech oriundus. adstantes domino regi fratres eiusdem Andreas, Salomon, Ladislaus, et alii regni Hungarie nobiles, sicut stelle celi absque numero. ut ergo in memoriam redeat regis Ladislai tam gloriosa triumphalisque uictoria, in opprobrium sempiternumque dedecus Boemorum, Polonorum, Morauorumque, scuta et uexilla in Albensi ecclesia, sede regni ac solio in pariete suspensa in eternum perseuerant.

Aliud quoque miraculosum prelium Ladislaus rex adolescens habuit cum Comanis, quod prelio precedenti comparatur. igitur cum Comani per regem Belam pie memorie auum regis in Hungariam primo introducti, ut arena postmodum succreuissent, et ipsi regi Bele ipsos dispergere in animo peruenisset per prouincias, et nunquam id facere presumpsisset, in regno emergere lesionem sperans per eosdem. hoc ipsum dicitur rex Stephanus pater eius bone memorie de ipsis cogitasse, et propter cautelam memoratam retraxisse suum uelle. Ladislaus uero rex illustris, animosus ac magniuolus perfidiam contra eum cognoscens inter eos fabricari, taliter processit contra ipsos bellaturus, ut in prelio ipso acriter debellati, plurimi intercepti, quidam uero ex ipsis relictis uxoribus, pueris et rebus omnibus ad populos barbaros fugierunt. nonnulli eciam qui

sunt residui, regiis preceptis in tantum sunt subiecti, quod corde tremulo uix uidere audent uultum regis. In hoc ergo prelio occiditur Oliuernus filius Pata per Comanos de genere Aba, Andreas frater Laurentii filius Comitis Nicolai de Wigman, Ladislaus filius Comitis Ponyth de Miscouch, et Demetrius filius parui Michaelis de genere Kusd perimuntur.

DE NOBILIBUS ADUENIS.

(1) Cum pura Hungaria plures tribus uel progenies non habeat, quam generaciones centum et octo, uidendum est, unde esse habent illorum progenies, qui de terra Latina uel de Alamannia, uel de aliis regionibus descenderunt.

(2) Dux namque Geicha de genere Turul, cui pre ceteris Hungaris oraculum profluisse de superius dicitur, ut reciperet fidem catholicam, et baptismum. quia manus gestabat sanguine humano madatas, nec erat idoneus ad fidem conuertere tantam gentem, licet ipse domusque eius per sanctum Adalbertum baptismi graciam recepisset, tamen ei de celesti throno uerbum uenit, quod a tali resileret cogitatu, quod hec omnia facienda sancto Stephano ex ipso nascituro altissimi clemencia ordinarat. Unde hoc audito, id quod potuit et debuit circa conuersacionem sue gentis secundum ordinacionem S. Adalberti Pragensis scilicet episcopi facere non omisit. misit itaque suos nuncios in christianam regionem suum desiderium omnibus diuulgando. quapropter hoc audito, multi comites, milites et nobiles ex terris Christianorum ad eum accesserunt. quidam enim ex eis amore Dei, ut ipsum ducem contra paganos, qui fidem non acciperent, adiuuarent, et alii, quod de ipsis paganis, et persecutoribus ipsorum essent liberati.

nam gens ipsa sub paganismo constituta crudelis persecucio fuerat Christianis.

(3) Tunc eo tempore ad ducem Geicham uenit comes Tiboldus de Fanberg, qui Graun Tibold est uocatus, unde de eadem progenie Graun quidam usque hodie simpliciter nominantur. ex isto illi de Bobocha orti deriuantur. isti etenim sunt de Deuchunlant.

(4) Post hec uenit Hunt et Pazman duo fratres carnales, milites coridati, orti de Sueuia. hi enim passagium per Hungariam cum suis militibus facientes ultra mare ire intendebant, qui detenti per ducem Geicham, tandem sanctum regem Stephanum in flumine Goron teutonico more gladio militari accinxerunt.

(5) Postmodum intrat de Wastuburc comes Wecelinus. hic Kupan ducem in Simigio interfecit. istius generacio de Iaki dicti sunt.

(6) Postea Wolfer cum Hedrico fratre suo introiuit de Uiltonia cum XL militibus phaleratis. huic datur mons Kyscen per descensum, in quo castrum fieri facit ligneum, tandem et cenobium monachorum, in quo post mortem sepelitur. ex isto namque Hedrici origo esse habet.

(7) Post hunc introiuit Pot de Lebyn, qui nomine alio Ernistus est uocatus. hic cum multis nobilibus adiit in Hungariam. de isto Comitis Conradi de Altunburg origo esse habet.

(8) Sed postea tempore Petri regis Kelad et Guth intrant tres fratres ex gente Sueuorum de castello Stof sunt natiui.

(9) Post illos Altmann intrat de Fridburc miles coridatus, ex patria Turingorum. de isto illi de Bolugi oriuntur.

(10) Post hos intrant Oliuerius et Ratoldus tempore regis Kalomanni de regno Apulorum de Caserta ortum habent.

(11) Illi uero de Sambuk de Comitibus Campanie et Francia oriuntur.

(12) Betse uero et Gregory similiter de Francia generacio oritur, ex cognacione Guilielmi dicti Cornes.

(13) Buzad autem generacio de Mesn originem trahit, nobiles de districtu Wurburg.

(14) Hermanni siquidem generacio ex Nuremberc oritur, satis sunt nobiles, cum regina Kisla intrauerunt.

Sed illi qui Rodoan et Bagath nominantur, eorum generacio de Boemia ortum habet, similiter et illorum, qui de Lodan sunt uocati.

(15) Comitum uero Simonis et Fratris eius Michaelis generacio, qui Mertinsdorfarii nominantur, diebus regis Emirici filii Bele tertii cum regina Constancia filia regis Aragonie, que uxor fuerat regis Emirici honestis secum militibus, et familia decentissima introductis in Hungariam pomposissime introiuit. quia cum eorum generacio cum quodam Magno comite pro iustis et certis caussis continuo dimicaret, tandem contra ipsum comitem exercitum congregans fertur dimicasse, ubi prefatus Magnus comes per Simonem, patrem scilicet comitis Simonis, et comitis Michaelis ac Bertramum patruelem ipsorum captiuatus iugulatur. Simon uero et Bertramus inimiciciam perinde contrahentes cum regina memorata primi adeunt in Pannoniam. quorum quidem ingenuitatem experiens rex Emiricus letanter excepit, latisque et amplis pheudis in diuersis Hungarie partibus noscitur inuestisse. quia uero generacio sepe dicta in regno Ispanie plura castra possidet, unum tamen ex illis existit capitale, quod Boiot nominatur. unde prefati comites et eorum precessores primum descensum circa Nergedsceg, Boiot uocauerunt. generacio quoque eorumdem in scuto aquilam ferre solet, quam alii milites comites in Ispania deferre non presumunt. eapropter quidem quod exercitum Soldani de Tunisio, qui Maioricam et

Minoricam insulas per naues intrando et classes occupauerant, ceteris militibus regis Arragonie deficientibus, eorum generacio fertur expulisse. unde regis et communitatis milicie decreto est statutum, quod priori signo, quod fuerat totum rubeum sine aliqua expressa figura, in aquilam mutaretur.

Adduxerat eciam regina Constancia cum ea sororem Comitis Simonis et Bertrammi nomine Totam, tam formosam et pulcerrimam, quod eo tempore uix in mundo sibi similis haberetur. cui quidem uirgini Benedictus dux Conradi filius cum uilla Meretinsdorf pro dotibus ex parte Emirici regis et regine Constancie est coniunctus.

(16) Temporibus insuper Stephani regis tercii introiuit in Hungariam quidam miles Gotfridus nominatus de Mesnensi regione, a quo egreditur generacio Philippi, Ladislai et Gregorii filiorum Kelad. hic namque Gotfridus cum esset ingenuus filius, scilicet Comitis Hersfeldensis, in curia Francuurtensi ubi Cesar eligi debuit, sedicione commota Lantgrauium de Turingia dicitur occidisse, et inde per fugam euadens ad regem Stephanum peruenit fugitans, a quo eciam repetitur per suos inimicos. cumque rex Stephanus inimicis suis ipsum non traderet, in Alamannia contra eum proscripcionis sentencia promulgatur, et sic remanet inuitus in Hungaria. quem quidem postmodum aduersus ducem de Bozna cum exercitu rex transmittit, quo deuicto ad regem reuersus, cum fauore de cetero pertractatur.

(17) Myurk eciam de Chakan, cum Wenceslao et Iacobo fratribus suis, de ducibus Morauie habentes originem, regni Hungarie noui sunt incole; affinitate Bele regi quarto coniunguntur.

(18) Intrauerunt quoque temporibus tam ducis Geiche, quam aliorum regum Boemi, Poloni, Greci, Bessi, Armeni, et fere ex omni extera nacione, que sub celo est,

qui seruientes regibus, uel ceteris regni dominis ex ipsis pheuda aquirendo, nobilitatem processu temporis sunt adepti, quorum nomina comprehendere estimaui in presenti libro honerosa.

DE UDWORNICIS.

Sed quoniam quosdam mouet, quid sint Udwornici castrenses, alii condicionarii libertini, et mancipia, quibus fere Hungaria est repleta, et unde esse habeant, presenti opusculo apponere dignum duxi.

Factum est, quod cum Hungari possessa Pannnonia Christianos et Paganos more gencium quosdam captiuos occiderent resistentes, aliquos ex captiuis uirtuosos ad prelium deducentes secum, aliquam ipsis porcionem de spoliis erogarent, quosdam uero diuersis seruiciis mancipando in proprietatem circa sua tabernacula solerent conseruare, iidem captiui ex fructu animalium et preda sola habebant uitam suam ut Comani. mox uero ut fidem receperunt et baptismum romana ecclesia Christo cognito duci Geiche et sancto regi Stephano dedisse dicitur firmiter in mandatis, ut spolia non committerent, captiuos Christianos deinceps relinquerent pristine libertati, cum multi nobiles inter captiuos habeantur. quia uero regnum erat amplissimum et gentibus uacuatum, nec eciam communitas tota in hoc apostolico assensum tribuebat, dispensatum est postmodum per papam in hunc modum, quod captiui terras colerent, et ex terre fructibus uiuerent, prout alii Christiani. ideoque captiui terras non habentes propria uoluntate censum dare susceperunt, qualem domini tribuerunt. processu autem temporis fide roborata pociores regni uiuere uolentes ociose, habentesque captiuos sine numero, non

dimiserunt eos abire liberos, ut uolebat apostolicus, sed curie sue famulantes ordinarunt ex eisdem, quos patrio nomine Udwornicos uocauerunt. hoc enim obsequium licet eo tempore de suis captiuis plures regni nobiles habuissent, Kalomanni diebus, filii regis Geiche extitit reprobatum. uoluit tantummodo huiusmodi seruicia de captiuis suis ipse solus obtinere, et prelatos, quibus largitus erat de captiuis suis. et ne communitas nobilium reprobacionem huiusmodi graue ferret, palatino regni, qui pro utilitate nobilium preficitur, rex suos Udwornicos uti dedit. sed quia Hungari noui Christiani graue habebant huius fidei, eo quod disuescere de spoliis eos oportebat, graues labores et honera suis captiuis imponebant, quod displicens prelatis, apostolico super his sunt locuti. audiens uero apostolicus clamorem prelatorum, scrutata uita laudabili sancti regis Stephani de nunciis qui adherant, in talem uocem fertur prorupisse: ego, inquit sum apostolicus, ille autem uerus apostolicus. unde et ecclesias regni sui eius comitto arbitrio ordinare, captiuos per eundum redemptos ei tantummodo possidere. propter quod omnes redemit, quos potuit ab Hungaris inuenire, preter illos quos regni nobiles ecclesiis dimiserant possidere. ex quibus quidem ordinauit seruire suis castris obsequio leuiori.

Iobagiones uero castri sunt pauperes nobiles, qui ad regem uenientes, terram eis tribuit de castri terris, ut pheuda castri et castrum guerre tempore custodirent. alii uero condicionarii ex eisdem captiuis disponuntur, quos tandem Kalomannus rex ad tantas maneries uariauit. statutum eciam extitit per sanctum regem Stephanum, quod condicionarius, si se uellet redimere, centum byzanciis redimeret se et domum. si uero esset sine coniuge et familia personam suam XXIV byzanciis uel seruicio tantundem compensante. inuiti enim Hungari captiuos suos regi redi-

mere permiserunt. compulsi quidem sunt per sanctum regem Stephanum ac prelatos. ex illis captiuis hic scribitur et tractatur solummodo, qui ex gente Christiana fuere captiuati, de illis autem, qui de populo erant barbaro papa nichil dicit. uult namque sedes apostolica, ut pagani Christianis sint subiecti. unde illi captiui Uheg nominantur. hos enim unicuique Hungaro dimisit ecclesia possidere et tenere.

PILGRINUS LAUREACENSIS

DE

CONVERSIONE HUNGARORUM

AD BENEDICTUM VII. PP.

CMLXXIV.

(Ludwig Script. rer. Germ. II. 365 — 369.)

Ordinis et nominis carismatis prerogato sancte Romane sedis uniuersalis Benedicto pontifici, Pilgrinus sancte Laureacensis ecclesie humilis seruitor, fidelitatem precum deuotumque seruicium.

Notum fieri dignetur uobis summe sacerdotum presul, quod super omne animi mei desiderium nunc delectarer, et apostolorum uisitare limina, uestraque optabili perfrui licencia, et ea a facie ad faciem, que litteris et internunciorum comitto indiciis, sanctissime paternitati uestre coram raciocinari, nisi quod a neophyta Ungarorum gente huc ire prohibeor, apud quam federe pacto sub occasione pacis, fiduciam sumsimus operam exercere predicacionis. cuius enim terror gentis ex longo tempore eciam aliarum prouinciarum predicatoribus mee diecesis hactenus aditum clausit, ad quas nihilominus presentis oportunitas temporis ire me uocauit. quibus deus omnipotens, quoniam solita sua pietate semper dispersa congregat, aperire dignatus est ianuam cordis sui diu clausam, ut discisso uelamine

duricie sue, depositaque ferina crudelitate, leni iugo domini colla submittant. a qua ergo prefata Ungarorum gente multis precibus ipse inuitabar uenire, aut missos meos in opus euangelii illuc dirigere. ad quos dum transmitterem satis idoneos uiros ex monachis, canonicosque presbiteros, atque de singulis ecclesiasticis gradibus clericos, et uita omnique conuersacione sic ordinata, quemadmodum in gestis Anglorum didici, tantum diuina gracia fructum statim ministrauit, ut ex eisdem nobilioribus Ungaris utriusque sexus catholica fide imbutos, atque sacro lauacro ablutos, circiter quinque millia Christo lucrarentur. Christiani autem, quorum maior pars populi est, qui ex omni parte mundi illuc tracti sunt captiui, quibus nunquam soboles suas licuit nisi furtiue domino consecrare, modo certatim nullo obstante timore offerunt eos baptizare. gratulantur omnes tanquam de peregrinacione sua in patriam reducti, quod christiano more oratoria audent construere, et licencia percepta, linguam ligatam in laudem saluatoris presumunt soluere. ipsi enim barbari mira omnipotentis dei operante clemencia, quorum licet adhuc gentilitate sint quidam detenti, nullum tamen ex illorum subditis uetant baptizari, nec sacerdotibus inhibent quocunque proficisci. sed ita concordes sunt pagani cum Christianis, tantamque ad inuicem habent familiaritatem, ut illic uideatur Isaie prophecia impleri: lupus et agnus pascuntur simul, leo et bos comedent paleas. factum est ergo, ut pene cuncta Ungarorum nacio sit prona ad percipiendum fidem sanctam. sed et alie Schlauorum prouincie ad credendum promte. et est ibi messis quidem multa, operarii autem pauci. inde quoque uisum est iam necessarium esse, quatenus sanctitas uestra illic iubeat aliquos ordinari episcopos, quia et quondam Romanorum Gepidarumque tempore proprios VII antistites eadem orientalis Pannonia habuit et Mesia, mee sancte Laureacensi, cui ego indignus ministro,

ecclesie subiectos. quorum eciam quatuor, usque dum Ungari regnum Bauuariorum inuaserunt, sicut presenti cognitum est etati, in Marauia manserunt. quod nimirum graue ac ualde onerosum est mihi, ut tot mei pontificii parochias solus predicando circumeam, quibus necessitate et adiutorii inopia cogor nonnunquam meam subtrahere presenciam. ecce dominorum amantissime huius modi ecclesiasticis mancipatus officiis detineor, et ne fecissem moram sepe dicte gentis conuersioni, ire et prosterni ad uestra sanctissima uestigia distuli. legatos autem meos, presencium scilicet portitores, ad uestram destinaui serenitatem, quos audire queso dignetur clemencia uestra, et eorum meisque mixtim precibus prebere assensum, quatenus pallium et infulam pontificalem, quod speciale munus honoris ab hac sede tantum dirigitur metropolitanis, quod eciam mei predecessores a gloriosis huius principalis cathedre primatibus accipere soliti erant, mihi uero hoc ipsum benigno animo per illos dirigere dignetur, pariterque eciam priuilegia apostolice auctoritatis mee ecclesie per eosdem missos meos uestris presentata sacris obtutibus, more predecessorum uestrorum roborari, et benedictione munitus, mihi commissi populi gubernacionem canonice exsequi ualeam, et uestris in die iudicii racionibus imputetur, quod in illis finibus ex paganis noua ecclesia domino lucratur. quoniam uarie ac peruerse hereticorum secte timende sunt, quod sepe contigit deprehendi alios quibus presunt errore suo corrumpere, quos agnicione orthodoxe ueritatis debuerant illustrare. ut hec tam pestifera de me amputetur suspicio, solenne symbolum catholice fidei, quam ipse teneo et doceo, uestro apostolatui profitendum salubre censui.

MAURI EPISCOPI QUINQUEECCLESIENSIS

VITA

SS. ZOERARDI s. ANDREÆ CONFESSORIS

ET BENEDICTI MARTYRIS, EREMITARUM.

E Surio ad diem 1. Maii.

---

(1) Tempore illo quo sub christianissimi Stephani regis nutu, nomen et religio deitatis in Pannonia rudis adhuc pullulabat, audita fama boni rectoris, multi ex terris aliis canonici et monachi ad ipsum, quasi ad patrem confluebant, non quidem alicuius causa necessitatis coacti, sed ut nouum sancte conuersacionis gaudium ex eorum conuentu adimpleretur. inter quos quidam sancti spiritus instinctu tactus, ex rusticitate quasi rosa ex spinis ortus, nomine Zoerardus hanc in patriam de terra Polonorum aduenit, et a Philippo abbate, cuius monasterium Zobor nominatum in Nitriensi territorio ad honorem s. Hippolyti martyris situm erat, habitu accepto et Andreas nominatus, eremiticam uitam agere studuit. ibi uero quanta contricione cordis et corporis maceracione afflixerit sese, ex relacione discipuli eius beati Benedicti, cum eo conuersantis, que audiui, paucis literis mandare decreui. ego quidem Maurus, deo miserante nunc episcopus, tunc autem puer scholasticus, uirum bonum uidi. sed que esset eius conuersacio non uisu sed auditu percepi. ad nostrum ergo monasterium in honorem beati pontificis Martini consecra-

tum, cum iam dictus monachus Benedictus sepe uenisset, mihi hec que sequuntur de uita eius uenerabili narrauit.

(2) Postquam idem uenerabilis uir Andreas eremi solitudinem peciit, magna quidem corporis defatigacione, spiritualis autem uite corroboracione ieiunium semper obseruauit. tribus diebus ab omni re que mandi potest abstinuit pro dilectione gracie ipsius, qui propter homines homo factus, quadraginta diebus ieiunauit. cum autem quadragesimale tempus adueniret, exemplo uite regularis, sub qua Zozimas abbas degebat, ubi quadraginta quinque dactylis quisque quadragesimam deduxit, ipse a patre Philippo, a quo habitum religionis perceperat, quadraginta nuces accepit, et eo existens uictu contentus, diem sancte resurrectionis cum gaudio exspectauit. iisdem uero et aliis diebus, licet esus ad corpus refocillandum non solum non sufficeret, uerum eciam spiritum ipsum ad defectum perduceret, ipse tamen excepto tempore oracionis numquam a labore cessauit, sed accepta securi, quemdam laboraturus silue locum solitarium intrauit. ubi cum pre nimio labore et ieiunii districtione corpore et spiritu deficiente, quadam die premortuus iaceret, quidam iuuenis pulcherrimus aspectu et uisionis angelice aduenit, et impositum uehiculo ad cellam eius adduxit. at extasi in qua erat decedente, postquam ad se reuersus, quid erga ipsum misericordia dei egisset agnouit, supra dicto discipulo suo Benedicto, qui mihi hec narrauit, confessus est, constringens cum iuramento, ne ante diem obitus sui notum cuiquam faceret.

(3) Post laborem autem diurnum corpori quietem nocturnam talem adhibuit, que magis tormenti et afflictionis, quam requiei nomen mereatur. planatum equidem truncum quercinum sepe circumdedit, et per ipsam sepem arundi-

nes acutas ex omni parte infixit. ipse uero in trunco sedens, tali sessorio usus est artuum reiteracione, ut si forte corpus sopore grauatum, qualemcunque in partem se flecteret, arundinum acie sauciatum grauiter euigilaret. insuper et ex ligno coronam factam capiti suo circumponebat, ad quam in partibus quatuor totidem lapides suspendebat, ut si caput sopitum quocumque inclinaret, lapide percuteretur. o beati uiri Andree merces, quam beata et eterna uita, corona cencies ornata, que in celo recompensat, quod in terra grauiter emptum fuerat. o inauditum genus confessionis, quod preciosius facit regnum promissionis. non cibus, non requies auferre potuit dulcedine uana uitam eternitatis, et nequam spiritus aditum inuenire nequiuit decepcionis. hec que iam dicta sunt, discipulo eius Benedicto referente cognoui. qui et ipse patre suo defuncto locum eundem inhabitare decreuit. cumque per tres annos exemplo magistri districte uitam ageret, latrones superuenientes, et multam apud ipsum pecuniam esse sperantes, ductum ad ripam fluminis Uuag iugulauerunt, et in ipsam aquam demerserunt. diu uero corpore eius quesito et non inuento, per integrum annum uisa est aquila in ripa fluminis Uuag, quasi quedam obseruatura sedere. per quam de corpore certi effecti, quemdam in aquas immergi fecerunt, et sic integrum, quasi nuper obiisset inuenerunt. conditus est autem Benedictus in basilica beati Emmerammi martyris, in eodem sepulcro in quo asseruabantur ossa beati Andree eius sancti patris. iam que sequuntur Philippus abbas mihi abbati constituto narrare consueuit.

(4) Cum igitur tempus resolucionis sui corporis imminneret, indicans eis hoc qui aderant, ne ab ullo uestimentorum suorum exueretur operimento precepit, donec abbas Philippus, quem miserat accersitum, adueniret. qui pater adueniens, ubi corpus uenerabile iam mortuum iacebat la-

uandum, catenam eream uiscera iam attingentem inuenit. o mira res et inaudita. catena carnes intus putrefaciens, eute foris est obducta. sed nesciri hoc genus martyrii posset, nisi ad umbilicum ligati nodus appareret metalli. soluta uero catena dum ex corpore trahitur, sonus costarum elisarum grauiter auditur. cuius catene partem mediam ab eodem patre impetraui, et nunc usque custoditam, peticioni ducis christianissimi Geise, cum desiderio mihi pro ea instanti negare nequiui.

(5) Sepulto quoque beati uiri corpore, que per reuelacionem abbatis Philippi cognoui, et cognitu digna esse uidebantur memoria, notaui. tempore quodam latrones, quorum collegia maxima ex parte solitudinem inhabitant, in silua congressi sunt, quibus confligentibus, unus ex eis multum sauciatus est. conflictu diremto cum hunc socii uulneratum nequaquam in silua dimittere uellent, consilio inito, ad cellam superius dicti uiri Andree, cuius fama iam ad omnes circumquaque diffundebatur, eum deferre statuerunt. sed cum adhuc locus longe abesset, latro in uia defunctus est. corpore uero eius ad cellam deportato et in ea posito, media iam nocte cum ossa commendare uellent humo, subito spiritu reuerso, mortuus consurgere cepit. illis autem qui aderant ualde perterritis et pre pauore fugientibus, resuscitatus ille reuocabat eos, dicens: nolite fratres formidare neque fugere, sanctus enim Zoërardus me a morte suscitauit ad uitam. illis autem pre gaudio plorantibus, et ut discederet cum eis rogantibus dixit, se nunquam ab ea cella discessurum, sed ibi in perpetuum deo et sancto Zoërardo seruiturum. fecit itaque quod promisit, et usque ad obitum suum ibi permansit.

(6) Aliud quoque eius miraculum nequaquam reticere uolui, quod eodem Philippo abbate narrante cognoui. in

ciuitate Nitria quidam reus damnatus suspensus est. qui post solutus dei misericordia ad abbatem uenit Philippum, et qualiter per merita beati uiri Andree liberatus esset, indicauit. dixit enim, quod cum damnatus esset, semper nomen ipsius implorasset, et cum subleuaretur in patibulum, statim manibus suis beatus uir Andreas eum sustentauerit. at illi, cum eum omnes mortuum putantes domum reuerterentur, ipse eum manu sua solutum abire permisit. o quanti meriti uir ante deum, qui uisibilis apparens homines soluit, cum inuisibilis inter angelorum choros locum possideat.

SANCTI STEPHANI REGIS HUNGARIÆ

LEGENDA MAIOR.

E codice membranaceo sæculi XII. monasterii St. Crucis in Austria.

VITA S. STEPHANI REGIS HUNGARIE.

---

(1) Omne datum optimum et omne donum perfectum de sursum est, descendens a patre luminum. neque quippiam boni potest in rebus esse uel fieri absque beneficio uenientis miseracionis dei. oculis quidem diuine prouidencie, quibus sibi famulatum celestium uirtutum et statum inconcussum secundum placitum suum intuetur, hiisdem eciam hominis perditi restauracionem dignatus est misericorditer contemplari et operari. ut quem imaginis sue dignitate creando decorauerat, paterni regni coheredem fieri, per incarnacionis sue sacramentum mirabiliter efficeret. perfectis igitur in redemtore nostro patriarcharum ac prophetarum oraculis per uirginem ineffabiliter nascendo, per crucis passionem ac mortis assumptionem tercia die resurgendo, cum discipulis suis quadraginta diebus conuersando, postquam ipsis cernentibus celorum alta penetrans, patris dextere naturaliter et potencialiter est associatus, et spiritum sanctum paraclitum a patre et a se procedentem in filios adopcionis mirabili sonitus uehementis aduentu transfudit. qui linguis in igneis apparens, eos omnium linguarum sciencia diuites effecit, et miraculorum insigni potencia uirtute deifica mirificauit. cuius ardore

caritatis inflammati, secundum quod eis saluator noster ante preceperat, euangelice predicacionis functi legacione, totum mundum diuini semina uerbi spargendo perlustrauerunt. quidam eorum regna cum regibus, quidam principatus cum principibus, quidam partes et diuisiones regnorum et prouinciarum cum prefectis et prepositis ad christiane religionis cultum perduxerunt. et in tantum feruore sancti spiritus exardescente per orbem uniuersalis ecclesie sunt stabilita fundamenta, quod et ipsa mundi totius metropolis Roma, et monarchia dignitatis imperatorie Christi fidei colla submittens, uanitatum erroribus renunciauit. non remansit patria neque nacio, ubi quorundam miseracionis Christi non fuisset assumpcio. unde contigit diuine pietatis intuitu in filios perdicionis et ignorancie populum rudem et uagum, culturam dei nescientem, Ungaros uidelibet et Pannonie patriam inhabitantes, clementi uisu de celo prospicere, ut quos ad ulciscendas preuaricaciones Christianorum de sedibus naturalibus in occiduas partes occulto perpetuitatis consilio prius exciuerat, hos tempore sue predestinacionis iam instanti, de uia iniquitatis ad iusticie semitam deleta nebula ad spem in eternum permanentis perduceret retribucionis.

(2) Erat tunc princeps (qu)intus ab illo qui ingressionis Ungarorum in Pannonia dux primus fuit, nomine Geiza. seuerius quidem et crudelius olim potencialiter agens in suos, misericors autem et liberalis in alienos et precipue in Christianos, paganismi licet adhuc ritibus obuolutus, tamen appropinquante spiritualis fulgore karismatis, cum omnibus dei circumquaque positarum prouinciarum uicinis de pace, cuius numquam ante fuerat amator, cepit attente tractare, ut iam in illo posset agnosci, cuius filius desideraret fieri, secundum dictum saluatoris nostri dicentis in euangelio: beati pacifici, quoniam filii dei uocabuntur.

statuit insuper preceptum ceteris christianis regnum suum intrare uolentibus hospitalitatis et securitatis graciam exhibere, clericis ac monachis potestatem concessit presenciam sui adeundi, quibus uoluntarium libenter auditum prebens, orthodoxe fidei semen pectoris in orto satum delectabatur germen emittere.

(3) Quid plura? adest tempus celitus dispositum, credidit ipse cum familiaribus suis et baptizatus est, omnes dicioni sue subditos se pollicens christiano nomine mancipaturum. cumque nimium esset sollicitus de rebellibus domandis et ritibus sacrilegis destruendis, et episcopatibus secundum estimacionem suam ad profectum sancte ecclesie statuendis, mirabili uisione noctu consolatus eum dominus, fecit astare sibi iuuenem delectabilem aspectu, qui dixit ei: pax tibi Christi electe, iubeo te de sollicitudine tua fore securum, non tibi concessum est perficere quod meditaris, quia manus pollutas humano sanguine gestas. de te filius nasciturus egredietur, cui hec omnia disponenda diuine prouidencie consilio dominus commendabit. hic unus erit de regibus electis a domino, coronam uite secularis commutaturus eterna. uerumtamen uirum spirituali legacione tibi transmittendum honorabiliter suscipito, susceptum honesto timore perdicionis ultime perterritus, et amore raptus iugiter manentis spei, que non confundit, exhortacionibus eius non fictum cordis fidelis assensum prebeto.

(4) Expergefactus princeps uisionem stuporis prius secum, post cum Christi fidelibus et suis pertractans, deo gracias pauimento manibus expansis adherens humiliter egit, se principatumque cum filio nascituro custodie illius, qui non dormit neque dormitat, lacrimis fusis commendauit. dum miratur ergo diuinitus de uiro predicto, nunciatur

ei Adalbertus boemiensis ecclesie pontifex ad se uenturus propter conuersionem ipsius et fidei non ficte profectum, domino deo hostiam laudis oblaturus. oritur leticia nouis Christi militibus inenarabilis, dux obuiam tyroni Christi cum fidelibus quibusque procedit, honorabiliter suscepit, et ut per uisum monitus est, propter timorem et amorem dei modis omnibus obediencie filium ei se fore demonstrauit. igitur iubente principe fit ubique congregacio gentis indomite, per sanctum episcopum fiunt exhortaciones continue, conuertuntur et baptizantur alumni patrie, statuuntur multis in locis ecclesie. lux quippe que illuminat omnem hominem, tenebris expulsis cepit in Ungaria enitescere, et impleta sunt uerba prophecie dicentis: gencium populus qui ambulabat in tenebris uidit lucem magnam. lux lucis inuisibilis Christus est, quem tunc gentes uidere meruerunt, quando reuocati de tenebris ipsum uerum lumen, deum et hominem uerum esse perfecti crediderunt.

(5) Nascitur interea predictus a domino principis filius, quem secundum prophetam antequam in utero conciperetur dominus nouit. hunc deo dilectus Adalbertus episcopus crismali baptismate secundum credulitatis sue ueritatem intinxit, et susceptor eius fuit. nomen sibi impositum est Stephanus, quod alienum a consilio dei non credimus. Stephanus quippe grece, coronatus sonat latine. ipsum quippe in hoc seculo deus uoluit ad regni potenciam, et in futuro corona beatitudinis semper permanentis redimere decreuit ad percipiendum uite iugis indeficientem gloriam. creuit infans regali nutritus educatu, qui transuadata puericia, postquam primum adolescencie gradum transcendit, conuocatis pater suus Hungarie primatibus, cum ordine sequenti per communis consilium colloquii filium Stephanum suum post se regnaturum populo prefecit, et ad hoc corroborandum a singulis sacramentum ex-

egit. post hec plenus dierum anno dominice incarnacionis DCCCCXCVII seculi nequam erumpnas celesti mutauit gaudio, et eodem anno beatus Adalbertus episcopus causa predicandi uerbum dei Ruziam ingressus est, et ibidem cum palma martyrii coronatus est.

(6) Regno denique pannonico beati iuuenis nutu adtendente, pacem cum exterarum populis fideliter statutam corroborauit, ut in eo securius quod in mente tractabat in nouella plantacione Christianitatis explere sufficeret. sed aduersarius tocius bonitatis, inuidie plenus et malicie diabolus, ut sanctum Christi tyronis propositum disturbaret, intestina contra eum bella commouit, quum eius instinctu plebs gentilis christiane fidei iugo colla submittere renuens, cum principibus suis a dominio ipsius se subtrahere moliebatur. quos omnes eum protegente gloriosissime crucis signaculo, patrocinantibus dei genetricis ac perpetue uirginis Marie meritis, sub uexillo domino dilecti pontificis Martini sanctique martyris Georgii, ducibus eorum interfectis, in breui suo seruicio subegit, et baptismatis unda lotos, unum deum colere, monita salutis per fideles sacerdotes eis distribuendo, compulit.

(7) Deuictis ergo hostibus Christi miles gaudio spirituali repletus, tocius ingenii consilium euangelici seminis decreuit fore receptaculum. elemosinis et oracionibus uacans, frequenter pauimento adherens domus sancte, lacrimis fusis perfectionem propositi sui dei commisit uoluntati. ut qui sine ipso nichil agere ualeret, opitulanti disposicionis ipsius explecione, bonum quod cogitauerat cum incepcione uirtutum ad finem perducere posset. ad hoc igitur incipiendum et consummandum, quoniam fidelium Christi consultum habebat necessarium, nunciis et litteris in omnes partes suum diffamauit desiderium. inde multi presbi-

teri et clerici instinctu spiritus paracliti compuncti, relictis sedibus propriis elegerunt peregrinari. abbates et monachi nichil proprium habere cupientes, sed sub tam religiosissimi principis patrocinio regulariter uiuere desiderauerunt. inter quos uite religiosus Asericus pater cum suis discipulis aduenit, quorum unus Bonifacius nomine, in loco patris abbas deinde constitutus, dum a beato rege causa predicacionis in inferiores Ungarie partes esset missus, in ceruice gladio percussus, licet postea uiueret, non est priuatus martirio. uenerunt et alii duo de terra Poliensi, heremiticam uitam causa contemplacionis eligentes, quorum unus Andreas nomine per confessionis meritum angelicis choris est associatus, testibus miraculorum signis, per ipsum a domino factis, alter Benedictus, pro Christo sanguine fuso mirabiliter laureatus. Asericus abbas cum suis honorifice susceptus, ad radicem Montis ferrei cenobium sub titulo sancti patris Benedicti construxit, ubi usque hodie congregacio monasterialis disciplina regulari pollens, temporalium sustentacione copiarum superhabundans, non est alicuius egens, nisi ut suos et aliorum pedes secundum euangelium lauet.

(8) Cum his dei seruus princeps christianissimus aliquando communiter cum omnibus, aliquando singillatim cum uno quoque eorum colloquium habens, prouincias in X partitus est episcopatus, Strigoniensem eam metropolim et magistram, per consensum et subscripcionem romane sedis apostolici ceterarum fore constituens. cui iam dictum uenerabilem Asericum abbatem pontificalis dignitatis infula decoratum, electione canonica prefecit. cuius consilio ceteras sedes patrum curis et prouisionibus commisit. iaciuntur ubique sacrarum fundamenta domorum, surgunt claustra canonicorum, florescunt claustra cenobia regulariter conuersancium canonicorum congregacionum. undique fit

cursus deo famulancium, quorum desiderium tam liberalis principis excitauit benigne suscepcionis solacium. et quoniam Pannonia beati pontificis Martyni natiuitate gloriatur, cuius eciam patrocinantibus meritis rex Christo fidelis ut iam dictum est de hostibus uictoriam reportauerat, inito cum theophylo consilio, iuxta fundum sancti presulis, in loco qui sacer mons dicitur, sub titulo ipsius monasterium construens, possessionibus et reditibus, cunctisque sufficienciis ditauit, et suffragio domitorum decimacionibus simile fecit episcopiis.

(9) Quinto post patris obitum anno, diuina sic uolente clemencia, benedictionis apostolice litteris allatis, presulibus cum clero, comitibus cum populo laudes congruas acclamantibus, dilectus deo Stephanus rex appellatur, et unctione crismali perunctus, diademate regalis dignitatis feliciter coronatur. post acceptum autem imperialis excellencie signum, qualis uite uir et discrecionis fuerit, cum episcopis et primatibus Hungarie statutum a se decretum manifestum facit, in quo scilicet unius cuius contrarium dictauit antidotum. et ut pacis per quam Christus mundum coadunauit se fore probaret filium, quod nullus alium hostiliter inuaderet, nemo inimicum sine iudicum examinacione lederet, uiduas et orphanos nullus opprimeret, subscripcione federis non pereuntis posteris suis reliquit stabilitum.

(10) Ad consorcium uero regni precipue causa sobolis propagande sororem romane dignitatis augusti, uidelicet Heinrici, qui ob mansuetudinem morum pius est appellatus, Gillam nomine sibi in matrimonio sociauit, quam unctione crismali perunctam, gestamine corone sociam esse notificauit. que qualis erga dei cultum ordinandum extiterit, quam frequens et benefica circa deo seruiencium

congregaciones apparuerit, multarum ecclesiarum cruces et uasa, uel preparamenta opere mirifico facta uel contexta usque hodie testantur. pre cunctis tamen domus episcopatus Besprimiensis, quam ipsa a fundamento ceptam, omnibus sufficienciis dei ad seruicium in auro uel argento, uestimentisque multiplicibus nobiliter adornauit. ipse uero rex episcopia nuper incepta, simul cum abbaciis, prediis et curiis, famulis et reditibus regaliter disposuit, crucibus et uasis aliisque supellectilibus ad ministerium dei pertinentibus, secundum quod unicuique opus fuit, sufficienter decorauit. monachorum uitam et conuersacionem nunc per alios nunc per semetipsum explorando diligenter examinabat, torpentes arguens, uigiles sub dilectione constituens, canonicorum ministerium episcoporum prouidencie sub testimonio Christi et ecclesie commendabat, secundum apostolum omnibus omnia factus, ut omnes lucrifaceret.

(11) Erat uir iste fidelis in omnibus actibus suis, deo perfecte deditus, per uotum et oblacionem semet cum regno suo sub tutela perpetue uirginis dei genitricis Marie precibus assiduis conferens, cuius honor et gloria tam celebris inter Ungaros habetur, quod eciam festiuitas assumpcionis eiusdem uirginis sine additamento proprii nominis ipsorum lingue regine uocitetur. et ut maiorem ipsius defensionis materiam consequi ualeret, in ipsa regalis sedis ciuitate que dicitur Alba, sub laude et titulo uirginis eiusdem perpetue, famosam et grandem basilicam opere mirifico et celaturis in chori pariete distinctis, pauimento tabulis marmoreis strato construere cepit, quamque uidentibus testimonium ueritatis uerborum nostrorum perhibent, innumerabilia palliorum, paramentorum et aliorum ornamentorum ibi esse genera, circa altaria tabulas plures auro purissimo fabricatas, lapidum species preciosissimorum in se continentes, ciborium arte mirabili supra Christi men-

iam erectum, cameram omni genere uasorum christallinorum, onichinorum, aureorum, argenteorum pleniter refertam. decreuit iam filius dei, qui tunc habebat et adquirere poterat omnia Christo, que ipsius dono unxerat conferre, ut qui cum gloria et honore mundi presentis dignum fecerat, celestis patrie ciuibus clementer associare dignetur. legimus in prophecia de apostolis scriptum quod in omnem terram exiuit sonus eorum et cetera. hoc non solum de duodecim, sed de omnibus a deo missis ad euangelizandum dictum probatur, quorum fide et uerbis et moribus incrementum parauit ecclesia, de quibus iste christianissimus non minimus fuisse computatur, bone uoluntatis et operis fama, quam in edificandis ecclesiis in amplitudinem proprii iuris exercuit, longe positas terras et famosissimas disperserat. construxit enim in ipsa conuersacionis Christi secundum humanitatem Jerusalem, monachorum cenobium prediis ditauit et uineis, ad uictum cottidianum copiam ministrantibus. in capite mundi Roma sub titulo protomartyris Stephani XII canonicorum congregaciones cunctis pertinenciis habundantes statuit, et materiam in circuitu lapide muratam cum domibus et hominibus et hospiciis Ungarorum, oracionis causa beati principis apostolorum Petri limina querencium. ipsam quoque regiam urbem Constantinopolim beneficiorum munere non priuauit, quam ecclesia mirifici operis cum omnibus necessariis suis donauit. merito igitur infra terminos sue dominacionis nomen adeptus est apostoli, quoniam etsi ipse euangelizandi non assumpsit officium, predicatorum tamen dux et magister eius tutaminis et sustentacionis instituit solacium.

(12) Inter omnia superne miseracionis beneficia beato regi diuinitus concessa, pre omnibus sunt illa dinumeranda scriptisque commendanda, que locum obtinent ad eterne uite gaudia promerenda. In omnibus enim factis suis

felicibus illud intendebat esse principium, quod ex euangelio fideli pectoris contemplatus est uisu, per ueritatis ipsius testimonium dicentis: beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. et in alio loco : date et dabitur uobis. tantis igitur misericordie et pietatis brachiis Christi pauperes, immo Christum in ipsis amplexabatur, quod nullus umquam hospes et peregrinus ab eo sine benignitatis alicuius solamine tristis abcessit. ad recreacionem egenorum cottidianas expensas indesinenter fieri constituit, nocturnas uigilias in lauandis Christi fidelium pedibus, in abscondendis in sinum pauperum elemosinis, agiliter et hilariter transigere solebat, egenum Christum in membris suis consolari deliberans temporaliter, ut et ipse uite celestis cameram cunctis delectamentis refertam inueniens iocundari meruit eternaliter.

(13) Quadam uero nocte spirituali monitu tactus, nemine sciente solus plenum dono dei gerens sacculum, Christi pusillum gregem solito more perexit uisitare, statimque pauperes distribuentem celestis thesauri pecuniam distrahentes initium, uiri dei meritis euulsionem barbe prebuerunt testimonium. ob hoc gaudio perfusus miles Christi maximum confugium fecit ad beatissimam creatoris omnium genitricem, prostratusque terre gracias agens sic exclamauit: regina celestis et mea, quem tu regem statuisti, milites tui sic honorauerunt. si ab aliquo aduersario mihi hoc illatum fuisset, meas iniurias per tuum ulciscerer adminiculum. sciens ergo domina per hoc eterna me signatum felicitate, nimis exulto, gracias agens saluatoris nostri nomini et consolacioni, quibus discipulos suos consolatus est dicens: capillus de capite uestro non peribit. his dictis se uir dei celesti gracia percipiens uisitatum et spirituali carismate perfusum, cordis ianuas opem querentibus nunquam claudere decreuit, et per se deinceps et per alios,

sed precipue per Christi seruos et familiares, clericos scilicet et monachos, celitus sibi datas facultates in eternis thesauris permanentes, per manus pauperum fecit collocari. huius rei testimonium perhibet in eternum cum ipso celestis uite particeps monachus ex seculari nobilitate et heremita beatus Gutherius quod liberalitate caritatiui principis illectus solebat eum sepius de terra Boemorum uisitare. quociens enim curiam ipsius aduentus sui fulgore perlustrauit, camera regis sub manu sua posita, peregrinis egenis et indigenis uiduis et orphanis, cenobiis et ecclesiis distributare quantum continebat, in breui fuit exinanita. ad nutum eciam ipsius serui dei rex deo deuotus monasterium quod Beli nuncupatur incipiens, omnibus bonis ditauit. ubi modo Gerardus de Venecia ueniens, uitam contemplatiuam agere cepit. qui constitucione fraterna pontifex electus, post obitum sancti regis, instante disturbacione christianitatis lapidatus est, et per donum gracie spiritualis dignus effectus est consorcio martyrii.

(14) Nec hoc pretereundum estimo, quod in uiro dei, quanti meriti post obitum foret, diuina uirtus in uita sua demonstrare uoluit. quippe quociens alicuius hominis infirmitas auribus suis intimata fuit, missa sibi pro medicina quam tunc in presenti poterat habere particula panis, pomi uel herbe aromatice, per mandatum ut sanus surgeret transmisit, et dei propiciacione uerbum ipsius comitante, statim sospitatem recepit post gloriosam ad celos ascensionem et mirabilem patris consessionem saluator noster paucis corporaliter apparuisse perhibetur, per uisionem uero multos consolatus, futurorum eos prescios esse docuit, quod et huic beato contigit. quadam igitur nocte repente per reuelacionem quandam expergefactus, ueredarium quendam infra diem et noctem ad Albam transsyluanam precepit festinare, et omnes in rure manentes ad municionem

ciuitatis quam citissime posset, congregaret. predixit enim superuenturos Christianorum hostes, uidelicet qui tunc Ungaris imminebant Bissenos, et possessiones eorum depredaturos. uix nuncius mandata regis compleuit, et ecce Bessorum inopinata calamitas incendiis et rapinis cuncta deuastauit, per reuelacionem dei meritis beati uiri concessam, animabus hominum saluatis, per receptacula municionum condidit. post hec defuncto beati regis per sociam cognato romane dignitatis augusto Heinrico pio, contigit Chunradum imperatorum potestatis coronam per Germanorum electionem assumere. qui destructa pacis tranquillitate, tocius Teutonie manu coadunata, Pannonie terminos hostiliter conatus est inuadere. contra quem rex consultum habens episcoporum et principum, ad tuendam patriam armatos tocius Ungarie contraxit. prius tamen recolens se nihil posse sine suffragio Christi, manus et cor leuans ad ethera, domine sue perpetue uirgini dei genitrici Marie iniurias commendans, talem erupit in uocem: si placet tibi domina tue hereditatis opusculum ab inimicis deuastari, et nouellam plantacionem Christianitatis abolere, non mee imputetur desidie, sed pocius disposicioni uoluntatis tue. si pastoris culpa quod meretur ipse luat in ouibus, parce precor ouibus. his dictis quasi consolatus ab ea, fiducialiter aduersus hostem iter arripuit. altera mox die nuncius ad unumquemque ducem Germanorum in castra ceu missus ab imperatore uenit, qui ei redeundi mandatum intulit. regredientibus aduersariis, ubi sanctus respectu miseracionis dei se uisitatum intelligens, Christo sueque genitrici terre prostratus gracias egit, cuius se cum regni prouisione tutamini precibus assiduis commendauit. imperator uero suorum tam repentina perterritus defectione, sciscitans qualiter res facta fuerit, cum nuncium reuersionis eorum non solus fuisse ueraciter sciret, per consilium diuinitatis ad corroborandam regis fidelissimi

spem factum non dubitauit, seque dehinc ab inuasione regni eius timore iudicis eterni retentus abstinuit.

(15) In beato quoque constat apostolicum illud impletum quod legitur, quoniam per multas tribulaciones oportet nos intrare in regnum dei, et in libro sapiencie: quos diligit deus castigat, et pater flagellat filium quem recipit. multis enim modis correpcioni diuine subcubuit, tribus annis in infirmitate continua laborans. postquam inde propiciacionis dei medicamine conualuit, iterum eterni per secreti consilii quandam examinacionem, filiorum suorum obitus sensit imminere uerbera, quos in ipsis infancie gradibus insontes qui dedit abstulit. de quorum morte mesticiam orbatam genitor propter amorem filii superstitis, sancte indolis uiri Heinrici solacio compescuit. quem quasi iam unicum diligens affectu, precibus Christo cottidianis et eius genitrici uirgini perpetue commendauit. hunc igitur fore superstitem, hunc regni eius heredem uotis omnibus desiderauit. et ut efficacior fieret ad tenenda tanti regiminis gubernacula, uirorum documentis orthodoxorum, usu lectionis cottidiane fecit auditum utrumque prebere. ipse quoque paterne dilectionis ardore compunctus, libellum de institucione morum constituit, in quo fideliter et amicabiliter uerbis eum admonicionis spiritualiter alloquitur instruens qualiter ante omnia debeat obseruare fidem catholicam, confirmare statum ecclesiasticum, honorem impendere dignitati pontificum, principes et milites diligere, iudicium obseruare, pacienciam in cunctis actibus habere, hospites benigne suscipere, benignius nutrire, sine consilio nichil agere (maiores suos ante oculos semper habere) et ad exemplum statuere, oracionis officium frequentare, pietatem et misericordiam cum ceteris uirtutibus possidere. talibus et his similibus disciplinis institutus iuuenis precla-

rus, disposicioni eterne, cui cuncta subiacent obediendo, MXXXI. dominice incarnacionis anno uitam hanc exicialem commutauit sempiterna, supernorum ciuium adiunctus contubernio. o quantus luctus omnium, sed maxime principum, inter quos pater desolatus graue traxit suspirium. uidens enim se solum sine spe posteritatis derelictum, pietatis affectu doluit. sciens uero scriptum: non est prudencia, non sapiencia, non consilium contra dominum, et illud in canonibus: neminem propter obitum carorum suorum nimis debere contristari, deposito merore se totum contulit ad querendam largitatem misericordie diuine, cenobiorum et ecclesiarum ministros, monachos et clericos diuersis elemosinarum donis consolatus, expensas tocius sumptus, que ad presens habere poterat, peregrinis uiduis, orphanis erogauit. exterorum eciam monasteriorum ac prouinciarum uiros munificencie regie donis innumeris per nuncios suos sepe uisitauit, grauedinem morum, quam in iuuentute perceperat, usque ad finem uite tenuit, uix unquam ad risum labia mouit, recolens scriptum: risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat, semper sic apparens, ac si ante tribunal Christi staret, interioribus oculis eius presenciam uultu uerendo conspiciens, Christum in ore, Christum in corde, Christum in cunctis actibus se gestare demonstrauit. diem ultimum semper ante se cordis desiderio toto mentis statuens, iam inter patrie celestis ciues, quasi quodam angelice conuersacionis habitu cupiebat habitare. cunctis deo placitarum uirtutum generibus adornatus, et in iusticia sanctitatis coram ipso omnibus diebus uite sue conuersari decreuit, ut in eo iam quedam future glorificacionis spes clarescere uideretur. tandem misericordiam dei dignus centuplicitate retribucionis brauio, tactus febricum sibi transitum imminere non ambigeret, accersitis episcopis et primis palacii de

Christi nomine gloriantibus, primum cum eis tractauit de substituendo pro se rege, Petro uidelicet sororis sue filio, quem in Venecia genitum, ad se uocatum iam dudum exercitui suo prefecerat ducem, deinde monuit illos paterne fidem orthodoxam seruare.

SANCTI STEPHANI REGIS HUNGARIÆ

LEGENDA MINOR.

E codice membranaceo sæculi XII. monasterii S. Crucis in Austria.

---

(1) Cum intelligamus sanctorum merita in libro uite scripta, et memoriale eorum coram domino in secula, uere saluberrimum asserimus aliquid in exemplum de uita et actibus bonorum ad successorum propaginem scriptis emanasse. ipsi fideliter pro Christo certauerunt, et feliciter pro certamine coronati sunt, nos si laboris eorum imitatores efficiamur, sicut Paulus dicit, heredes quidem dei erimus, coheredes autem Christi. martyrum agonibus mater cottidie ecclesia coronatur, confessorum fidelibus lucris reparatur, tantisque perornata fulgoribus circa uolubilem orbis axem splendescit. multa eorum gloriose certamina mundus olim habuit, que uetustate temporum clausa, fidelium memorie non sunt commendata, quia uate sacro caruerunt. sed de antiquis que iam comprehendi nequeunt omittentes, scimus enim quoniam laus eorum ante deum sempiternum non ueterascet, ad ea quibus sermo texitur ueniamus.

(2) Sanctissimi confessoris Stephani, incliti uidelicet Pannoniorum regis uitam actusque, sicut fideli et ueraci relacione tunc temporis inuentum accepimus, dignum et honorificum duximus posteritati transmittere. nec doctas compositasque grammaticorum lineas, aut philosophorum

interpretatorum seu sophistica acumina imitamur, quia stultum est in altum nauigare, si non possit ad portum transmeare. illi ista autumant, qui secundum poeticas fabulas pegaseo fonte potati sunt, qui se somniasse inter sacra parnassi gloriantur. horum sapiencia ex uanitate in uanitatem euanuit, et ex ea nihil fructus ad profectum sui capientes stulti facti sunt. uos autem intelligentes, quod scriptoris ab ore sonat, pusillanimitati eius cedite, quia quod a fidelibus auditu didicit, recitat. certe non equum onus uiribus suis considerat, cum prorsus careat lucida facundia, et bene capaci intellectu. presertim ueretur super emulatorum morsibus, qui sua negligenter componentes, aliorum scripta laniant. ergo licet autenticas librorum scripturas reuoluatis, tamen hec breuiora legite, et si quid abnorme, si minus disertum sermonem inueneritis, rusticitati eius parcite.

(3) Itaque cum diu barbarica gens Hungarorum errore infidelitatis sue teneretur, et ritu gentilium uanas sacrilegasque supersticiones sequeretur, placuit misericordie sauatoris dei finem peccatis eorum ponere, ut cessante diabolica illusione, saltem reliquie gentis huius saluarentur. nam quasi lumen de tenebris beatissimum regem Stephanum suscitauit, quem iuxta catholice fidei ueritatem eruditum, ad preparandum sibi populum acceptabilem disposuit. hic Strigoniensi oppido natiuitatis exordium habuit, et puer adhuc sciencia grammatice artis ad plene imbutus est. pater eius rex quidem, sed primum gentilis fuit. postea illustrante spiritus sancti gloria, uite et uie lumen agnouit, euangelicam institucionem secutus, ad imaginem ueritatis peruenit. interim autem diuinis conspectibus reprobabilem reddidit, ut omnes milicie sue comites ad ueri dei culturam conuerteret. quos uero aliene uie sectatores reperit, minis terroribusque subiugauit. qui cum iam sene-

sceret, resolucionemque sui corporis imminere sentiret, filio arce regni sublimando, uxorem nobilissimam ex latissima Romanorum imperatorum prosapia diriuatam, duxit. interea rex christiani nominis amator, debitum soluens nature concessit, qui ut credimus per confessionem deitatis gloriam eterne felicitatis consecutus est.

(4) Post cuius obitum Stephanus adhuc puer, fauore principum et plebis in regni solium laudabiliter prouectus, ardenciori animo ueritatis cepit propagator existere, quia quamuis puericie annis floreret, non tamen cor in ore, sed os habebat in corde. scripturarum diuinarum quibus adprimum flagrabat non immemor, iudicium et iusticiam ante oculos proponebat, iuxta illud Salamonis: audiens sapiens sapiencior erit, et intelligens gubernacula possidebit. non proponebat ante oculos rem iniustam facientes et consencientes, sed in omnibus mandatis dei fidelis dispensator existens, apud se cepit meditari, ut si populum iam pridem baptismatis consecracione renatum, absque disciplina dimitteret, facile post errorem uanitatis sue iterum conuerteretur. hunc secundum ecclesiasticam doctrinam instituens, iugum et legem discipline, subpositis ceruicibus adhibuit, omnesque immundicias malorum prorsus destruxit.

(5) Quidam uero nobilium, quibus luxus et desidia cordis inerat, uidentes quod assueta coacti reliquissent, diabolico instinctu iudicia regis contempserunt, et ad priores uoluntatis sue usus animum reducentes, contra eum arma mouebant. ceperunt autem urbes eius desolari, predia uastare, possessiones depredari, seruos cedere, et ut cetera sileam, regi insultare. cumque declinare nollent a uia sua peruersa, nec furor eorum saciaretur, rex ipse confidens de eterna uirtute, ad superandum hostium ra-

biem, cum multitudine exercitus sui processit. illis forte diebus urbem que Besprem nuncupatur obsederant, hec ad conuicia eius commonentes scilicet, ut ubi accessus regalis et conuersacio habebatur, ibi consederent, quo facilior ingressus ad alia presidia occupanda inueniretur. rex diuina preeunte clemencia aduersus eos consurrexit, et hi in fide, illi uero tantum in armis confidentes, utrinque decertauerunt. tandem hostibus uictis et ex parte cesis, ex parte captis et alligatis, rex uictor cum suis uictorie signa reportauit. preterea de possessionibus eorum tam in agris quam in uillis sapienter diiudicauit, non sicut quondam Saul, qui deuicto Amalech de spoliis eius domino prohibente meliora elegerat. ex omnibus enim nichil ad opus sui reseruauit, sed abiens s. confessori Martyno consecrauit, in cuius honore eciam basilicam construxit. illos autem et posteros eorum usque in presentem diem seruos ecclesie instituit. postea inpetracione optimatum suorum consilium cepit, ut tantum decimas ex his que possidebant darent, ne afflicti disperderentur a terra.

(6) Subiugatis persequencium se tumultibus, et confirmato in pace regni solio, cepit sancte religionis magis ac magis emulator existere, omnesque in Christo pie uiuentes diligere. celebritas prudencie sue apud filios hominum in maxima reuerencia habebatur. crescebat cottidie ecclesia fidelium, et multi ex diuersis mundi partibus audientes de doctrina eius confluebant. dum longe lateque sancti dei cultores multiplicarentur, rex ut erat arcius bonis operibus intentus, statuit atria sancte matris ecclesie ampliare, quod et deuotissime impleuit. nam sub titulo sancte Marie gloriose uirginis in Alba ciuitate, que ob specialitatem nobilitatis sue nomen accepit, templum instaurauit, ubi inter plurima distincta gemmarum colore perornata phylacteria, primo ex purissimo auro fabricata in opus sanctuarii intu-

lit. inde ex uniuersis pertinentibus sibi tam in agris quam in uineis partem in oblacionem dedit, et officia clericorum illie domino famulancium instituit. pereipiensque laboriosum fidelibus esse, si illuc ab exterioribus locis ad missarum solemnia confluerent, iussit ut decem uillarum populus ecclesiam edificaret, ad cuius diocesim pertineret, ne tedio affectus minus religionis sue officium curaret. quibus secundum uite meritum episcopos et sacerdotes prefecit, ut auctoritate apostolice tradicionis erudirentur. nec multo post alias se conuertit, corroboratus uoce domini dicentis: luceat lux uestra coram hominibus, ut glorificetur pater uester qui in celis est, et quosdam familiarium suorum Romam adire delegit, commendans facultates multas nimis, ut ibi in honore protomartyris Stephani ecclesia fundari deberet. quod et ita factum est. post hec diuisit alia, quibus acquirerentur domus, uille possessiones et cetera talia, que ad sumptus ministrorum ecclesie pertinent. et singulis annis quamdiu ad uixit, munera et oblaciones semper augebat, ne aliquid extrinsecus quererent, qui officio sanctuarii preerant. Ierosolimis eciam in monasterio quod construxerat, monialium conuersacionem destinauit, quibus simili disposicione necessaria preparauit. o uere felicem Stephanum, qui ut eternam mansionem edificatam haberet in celis, se ipsum domino habitaculum preparabat in terris.

(7) Sancta dei ecclesia in pace collocata, et ex romana auctoritate iuste ordinata, gens Bissenorum longe a fide aliena, et quasi belluina stulticia carens intellectu, patrie eius confinia demoliri aggressa est. rex uero illos ante dies in remotis partibus uenatui insistebat, ut saltem post multas curas quibus opprimebatur, aliquantisper infirma membra laxarentur. cum ergo circa mediam horam diei sopori indulgeret, per uoluntatem dei, qui ea que futura sunt spiritu uisionis sue manifesta et cognita, fidelibus

suis ostendit, uidebatur astantibus presencialiter inimicis patrie loqui, et quasi eos terrendo proferre: cur uana uestra cohorte claustra sancte ecclesie irrumpere uultis, cur gregem pastoris magni, et ouilia eius desolari uenistis. recedite, recedite, quia impetraui ab imperatore meo uirum et defensorem et ducem, meum scilicet Martynum, qui non pacietur morsibus uestris pascua iustorum lacerari. euigilansque alacri uultu, qui sua proferret nuncia adesse mandauit. cui assistenti: non mee, inquit, legacionis caussas explere poteris, sed alius qui fidelior inueniatur accedat. presentatum uero eisdem uerbis redire precepit. amoto et tercio: perge, ait, adire, festina propere, et mea tollens mandata, dic tribuno plebis in ulterioribus moranti, ut se prouideat, uiros ad pugnam eligat, hostium cuneos in me bellum mouentes propellat. ascendit ille uelociter, ad locum peruolauit, quod acceperat indicauit, idemque diligenter factum est. iam hostis propius aderat, iam menia urbis uallauerat, cum inopina incursio est, tribunus cum copiis suis illum inuaderet. tunc utrimque decertatum est. isti protectione dei roborati accinguntur, illi amencia sua obligati discinguntur. postremo terga fuge dederunt, plures autem corruerunt, plures eorum in captiuitatem ducti sunt. cede peracta, is qui uenerat a rege, regreditur ut nunciaret ei. rex audito euentu belli grates habuit omnipotenti, qui uictoriam fidelibus suis dedit ex inimicis. nimirum credimus superna pietate illum uisitari, qui ne circumdaretur ab inimicis, liberatorem de celis habere meruit, ut precederet et custodiret eum. sicut enim deus christum suum Dauid quondam a facie Phylistinorum angelo suo protegente liberauit, ita et hunc de manu persequencium erripuit, educens et reducens in saluacionem.

(8) Fama nominis sui in auribus secularium diffusa, et iudiciis oris sui celebri laude ubique innotescentibus,

LX uiri Byssènorum, quorum superius mencionem habuimus, cum uniuerso apparatu suo, uidelicet auri et argenti copiositate, multaque uarietate ornamentorum, curribus onustis partibus Bulgarorum egressi, ut terminos Pannoniorum apprehendauerunt. at multi seruorum, quorum animus cereus est flecti in uicium, malignitatis face succensi, obuiam illis exierunt, quosdam gladio percusserunt, que omnium eorum fuerant aufferentes, uacuos et semineces reliquerunt. illi iudicio regis quod actum quodne perpessi sunt reseruantes, iter quod ceperant peregerunt, et ad eum usque properantes, genibus se aduoluerunt. quibus uisis: que inquid causa malorum. mi domine, referunt, nos serui tui nihil mali machinantes, ad audiendam iudiciorum tuorum disciplinam ueniebamus, et quorundam manibus, quam nobiscum ferebamus pecunia, absque delicto omnium nostrum ablata est. insuper apprehensos ceciderunt, et uita uix comite uenimus ut nunciaremus tibi rex ut erat prudencioris animi, non uultu non uerbis minatus est, sed sustinens ut scribitur: prudens spiritum reseruat in posterum, misit ocius ad illum sub quo militabant tribunum, et dei constituto omnes perdicionis illorum uiros iussit conspectibus suis presentari. actum est ut imperauerat, et ad discuciendum in presencia sui statuti sunt. quos alloquens: cur, inquit, legem preceptorum dei transgredientes, non intellexistis misericordiam, et uiros innocencie condempnastis. non enim auditores legis, sed transgressores feriendi sunt. sicut fecistis, ita faciet dominus uobis coram me. accepta sentencia educti sunt, et per omnem regionem in ingressu uiarum duo et duo suspendio perierunt, per hoc denique uolens intelligi, ut quicunque non adquiesceret iudicio iusticie, quod a domino proposuerat, sic fieret illi. audierunt habitatores terre iudicium quod iudicasset rex, et timuerunt.

(9) Post non multum temporis egrotacionem incurrit, qua postmodum corpore decessit, longa languoris molestia ingrauescente in pedibus stare nequibat. uidentes autem quatuor nobilissimi palatinorum diu grauiterque laborantem, nam ipsi adhuc in perfidia cordis errabant, consilium iniquitatis duxerunt, occasumque eius in mortem conati sunt tractare. iam die aduesperascente antequam in domo lucerna accenderetur, unus eorum audaciter subobscuro ingressus est, et ad iugulum ensem nudatum sub clamide tegebat. dum pedem inhiberet ubi rex quiescebat, reuera celesti impulsu gladius corruit, percussusque in terram tinnitum reddidit. statim experectus caussam requisiuit, et tamen quid fuisset presciuerat. uir ille anxius obruit, consilium furoris sui recognouit, doluit, accessit, procubuit, uestigia regis amplexatus est, se deliquisse fatebatur, sibi indulgere precabatur. ueniam querentem non auertit, facinus facile dimisit, idemque iussus tradicionis conscios aperuit. postera die precepto regis homicide illi inuenti adducuntur, et aduersus eos iudicia locutus est. ut autem reliquis essent in exemplum, et discerent dominos summo honore uenerari, uisu priuauit, manus noxias abscidit, et qui iniusticia sua insidias iusto sanguini parauerant, iudicio iusticie in malum uite sue deuenerunt.

(10) Anno dominice incarnacionis M. XXX. VIII. indictione VI. Heinrico Romanorum augusto, anno autem imperii sui XXX. VIII. Kal. Septembris obiit, et in basilica uirginis Marie, quam precioso opere consummauerat, honorifice est sepultus. multis igitur annorum cursu labentibus, seu propter exhabundantem populi maliciam seu propter aliquam diuisionem in ecclesia thesaurus tante pecunie in terra latuit, et mortalium cognicioni occultus, solius oculis domini apparebat. sed uolens eius in-

comprehensibilis bonitas, quanti esset apud deum premii reuelare, dedit illi gloriam in conspectu hominum, clarescente miraculorum frequencia et sicut laude et cantico sibi in celis assistebat, ita eum laude et cantico sue ecclesie digne memoriterque in terris decorauit. nam sicut iubar noui luminis sanctitas eius in omnem circa regionem resplenduit, et tamquam suauitas odoriferi unguenti audiencium corda repleuit. presidente in regni solio Ladisclauo pie memorie rege, episcopi et abbates, et qui preerant in regimine sancte ecclesie animaduertentes sanctitatem eius, signis testantibus communi decreto triduani ieiunii indixerunt afflictionem, ipsique oracionibus uacantes, uisitacionem superne clemencie in plebem expectabant. postea corda tollentes ad deum ymnorum uocibus resonuerunt in confessione sui nominis, sicque uenerunt ad locum, ubi sanctissimum corpus claudebatur. quem soluentes apperuerunt, tantaque odoris diffusio ascendit, quanta nunquam circumstantibus apparuit, ac omnium qui illuc occurrerant membra languidorum curata sunt. ceci lumen, claudi plantarum soliditatem, leprosi mundam cutem, paralytici salutem, omnesque quacunque doloris tenebantur obsessione curam meruerunt. assumpto inestimabilis precii pondere omnipotenti deo gracias egerunt, deferentesque in theca argentea signauerunt.

HARTVICI EPISCOPI

VITA S. STEPHANI REGIS.

E codice membranaceo sæculi XII. olim Francofurtano, nunc musei Hungarici Pestani.

Domino suo Colomanno regi precelentissimo Hartuicus episcopus officium spirituale per misericordiam dei consecutus, post istius uite terminum, felix illud euge sempiternum.

Incepturus opus, domine mi, rex inclite! quod mihi uestro regali precepto, de uita beati regis Stephani potencialiter iniuncxistis, diu rebellem ingenioli mei perpessus sum insciciam, ob hoc presertim quod Priscianus auctor artis grammatice medullitus mihi notus olim, longe digressus, faciem suam quasi caligine quadam circumfluam, mihi decrepito iam facit obscurissimam. uerumtamen parte ex alia, dum uestre dignitati|s intuitus reuerenciam, incerta grauarer meditacione, tandem omnium uirtutum lux et gemma dubietatem anxie mentis deuicit obediencia. cuius forti presidio, deficere uolens in me, uires inchoandi operis recepit fiducia. sed quoniam sepe fiducialiter acta res inuidie fomitem generat, precor genibus flexis uestre triumphalis excellencie sublimitatem, ut manibus regalis defensionis hoc suscipiatis opusculum, ne male sonancium posicio dictionum, uel confusi ordinis enormitas uestrum cum legeritis offendat oculum. cui si forsitan aliquid indignum occurrerit offendiculum, malo codicem ut ignis

conminuat incendium, quam ad uestrum liuore plenus perueniat oculum. Igitur quia boni quicquid est ex conditoris misericordia manat, ex ipsius dono sermo ceptus talia personat.

(1) Omne datum optimum, et omne donum perfectum de sursum est, descendens a patre luminum. huius patris datum optimum et donum perfectum in omnes large proueniens, quia nullum spernit, sed omnes homines uult saluos fieri, et ad agnicionem ueritatis uenire; ad Hungaros usque, quos Christianorum flagellum quondam fuisse constat, diffusum est. neque enim quippiam boni potest in rebus existentibus esse uel fieri, absque beneficio gratis uenientis miseracionis dei. oculis quidem diuine prouidencie, quibus sibi famulancium celestium uirtutum statum inconcussum secundum placitum suum intuetur : hisdem eciam hominis perditi restauracionem dignatus misericorditer contemplari et operari, ut quem imaginis sue dignitate creando decorauerat, paterni regni coheredem fieri per incarnacionis sue sacramentum mirabiliter efficeret. perfectis igitur in redemptore nostro pariarcharum ac prophetarum oraculis, per uirginem ineffabiliter nascendo, per crucis passionem ac mortis assumptionem, tercia die resurgendo, cum discipulis suis XL. diebus conuersando, postquam ipsis cernentibus celorum alta penetrans, patris dextere naturaliter et potencialiter est associatus, inde septiformem sanctum paraclitum a patre et a se procedentem, in filios adopcionis mirabili sonitus uehementis aduentu transfudit. qui linguis in igneis apparens, eos omnium linguarum sciencia diuites effecit, et miraculorum insigni potencia, uirtute clarifica mirificauit. cuius ardore caritatis inflammati, secundum quod eis saluator noster ante preceperat, et euangelice predicacionis functi legacione, totum mundum diuini semina uerbi spargendo

perlustrauerunt. quidam eorum regna cum regibus, quidam principatus cum principibus, quidam partes et diuisiones prouinciarum cum prefectis et prepositis, ad christiane religionis cultum perduxerunt, et in tantum feruore sancti spiritus exardescente per orbem uniuersalis ecclesie fundamenta sunt stabilita, quod eciam ipsa mundi tocius metropolis Roma, cum monarchia dignitatis imperatorie, Christi fidei colla submittens, uanitatum erroribus renunciauit. non remansit patria neque nacio, ubi quorundam miseracionis Christi non fuisset assumptio. unde contigit diuine pietatis intuitum in filios perdicionis et agnorancie, populum rudem et uagum, creaturam domini esse se nescientem, Hungaros uidelicet Pannonie patriam inhabitantes, clementi uisu de celo prospicere ut quos ad ulciscendas preuaricaciones Christianorum, de sedibus naturalibus in occiduas partes occulto perpetuitatis consilio prius exsciuerat, hos tempore suo predestinacionis iam instante, de uia iniquitatis ad iusticie semitam, de mesticie nebula ad spem in eternum permanentis perduceret retribucionis. quod qualiter et quando factum sit, stili officio memorie commendare congruum duximus.

(2) Ea siquidem tempestate qua gens prefata dei ecclesiam depopulabatur, erat in ea princeps quidam, quartus ab illo qui ingressionis Hungarorum in Pannoniam, dux primus fuit, nomine Geysa, seuerus quidem et crudelis, ueluti potencialiter agens in suos. misericors autem et liberalis in alienos, et precipue in Christianos, ritu paganismi licet adhuc quidem obuolutus, tamen appropinguante spiritualis fulgore carismatis, cum omnibus circumquaque positarum prouinciarum uicinis de pace, cuius nunquam antea fuit amator, cepit attente tractare. ut iam in illo posset agnosci cuius filius desideraret fieri, secundum dictum saluatoris nostri dicentis in euangelio: beati paci-

fici, quoniam filii dei uocabuntur. statuit insuper preceptum cunctis Christianis ducatum suum intrare uolentibus, hospitalitatem et securitatis graciam exhiberi, clericis et monachis potestatem concessit presenciam suam adeundi, quibus uoluntarium libenter auditum prebens, orthodoxe fidei semen pectoris in h|orto satum, delectabatur germen emittere.

(3) Quid plura? adest tempus celitus dispositum, credidit ipse cum familiaribus suis, et baptizatus est, omnes dicioni sue subditos se pollicens christiano nomini mancipaturum. cumque nimium esset sollicitus de rebellibus domandis, et ritibus sacrilegis destruendis, et episcopatibus secundum estimacionem suam ad profectum sancte ecclesie statuendis, mirabili uisione noctu consolatus eum dominus, fecit astare sibi iuuenem delectabilem aspectu, qui dixit ei: pax tibi Christi dilecte. iubeo te de sollicitudine tua fore securum. non tibi concessum est quod meditaris, quia manus pollutas humano sanguine gestas. De te filius nasciturus egredietur, cui hec omnia disponenda diuine prouidencie consilio commendabit dominus. hic erit unus ex regibus electis a domino, coronam uite secularis commutaturus eterna. uerum tamen uirum spirituali legacione tibi transmittendum honorabiliter suscipito, susceptum uenerabiliter habeto timore perdicionis ultime perterritus, et amore raptus iugiter manentis spei, que non confundit. exortacionibus eius non fictum cordis fidelis assensum prebeto.

(4) Expergefactus princeps uisionem stupidus prius secum, post cum Christi fidelibus et suis pertractans, deo gracias pauimento manibus expansis adherens humiliter egit, se principatumque suum, cum filio nascituro, custodie illius qui non dormit neque dormitat, lacrimis fusis

commendauit. dum miratur ergo de uiro diuinitus sibi predicto, nunciatur ei, beatum Adalbertum Boemiensis ecclesie pontificem ad se uenturum, propter conuersionem ipsius et fidei non ficte profectum, domino deo laudis hostiam oblaturum. oritur leticia nouis Christi militibus inenarrabilis, dux obuiam tironi Christi cum fidelibus quibusque procedit, et honorabiliter suscepit, et ut per uisum monitus est, propter timorem et amorem dei, modis omnibus obediencie filium ei se fore demonstrauit. igitur iubente principe, fit ubique congregacio gentis indomite, per sanctum episcopum fiunt et per suos exortaciones continue, conuertuntur et baptizantur alumni patrie, statuuntur multis in locis ecclesie. lux quippe que inluminat omnem hominem, tenebris expulsis in Hungaria cepit enitere, et impleta sunt in ea uerba prophecie dicentis: gencium populus, qui ambulabat in tenebris, uidit lucem magnam. lux lucis inuisibilis Christus est, quem tunc gentes uidere meruerunt, quando reuocati de tenebris, ipsum uerum deum et hominem uerum esse perfecte crediderunt. nec hoc silencio pretereundum est, quod ut omnis ambiguitas tolleretur de medio, ne forte predicte uisioni solius uiri parum uideretur inesse fidei, uxorem eius iam propinguantem partui, tali uoluit uisione diuina gracia consolari. apparuit namque illi beatus leuita et prothomartyr Stephanus leuitici habitu ornatus insignibus, qui eam alloqui taliter cepit: confide in domino mulier, et certa esto, quia filium paries, cui primo in hac gente corona debetur et regnum, meumque nomen illi imponas. cui cum admirans mulier responderet: quis es domine? uel quo nomine nuncuparis? ego sum, inquid Stephanus prothomartyr, qui primus pro Christi nomine martyrium pertuli. quo dicto disparuit.

(5) Nascitur interea predictus a domino filius principi, quem, secundum prophetam, antequam in utero conciperetur, dominus nouit, et cui antequam nasceretur, per prothomartyrem suum nomen indidit. hunc deo dilectus Adalbertus episcopus crismali baptismate secundum credulitatis sue ueritatem intinxit, et susceptor suus ipse fuit. nomen sibi impositum est Stephanus, quod alienum a consilio dei fuisse non credimus. Stephanus quippe grece, coronatus sonat latine. ipsum quidem et in hoc seculo coronare deus uoluit ad regni potenciam, et in futuro corona beatitudinis semper manentis redimire decreuit, ad percipiendam uite iugis indeficientem gloriam. Strigoniensi uero oppido natiuitatis exordium habuit, et puer adhuc sciencia grammatice artis ad plene inbutus est. creuit infans diligenti et regali nutritus educatu, qui transacta puericia, postquam gradum adolescencie primum ascendit, conuocatis pater suus Hungarie primatibus, cum ordine sequenti, per communis consilium colloquii, filium suum Stephanum post se regnaturum populo prefecit, et ad hoc corroborandum, a singulis sacramentum exegit. post hec plenus dierum, anno dominice incarnacionis D.CCCC-mo. XC-mo VII-mo. seculi nequam erumpnas celesti mutauit gaudio. et eodem anno beatus episcopus Adalbertus causa predicandi uerbi dei Prusciam ingressus, ibi palma martyry coronatus est.

(6) Post obitum uero patris, Stephanus adhuc adolescens, fauore principum et plebis in patris solium laudabiliter prouectus, ardenciori animo cepit ueritatis propagator existere, quia quamuis adolescencie annis floreret, non tamen cor in ore, sed os in corde habebat. scripturarum diuinarum, quibus adprime flagrabat, non immemor, iudicium et iusticiam in oculis proponebat, iuxta illud Sa-

lomonis: audiens sapiens disciplinam, sapiencior erit, et intelligens gubernacula possidebit. in omnibus itaque mandatis dei fidelis dispensator existens, apud se cepit meditari, qualiter subiectum sibi populum unius dei cultui manciparet. sed quia perpendebat id absque vicinarum gencium confederacione fieri minime posse, regnoque Pannonico ipsius beati iuuenis nutum attendente, pacem cum exterarum prouinciarum populis fideliter statutam roborauit, ut eo securius quod in mente tractabat, in nouella plantacione christianitatis explere sufficeret. sed aduersarius tocius bonitatis inuidia plenus et malicia diabolus, ut sanctum Christi tyronis propositum disturbaret, intestina contra eum bella commouit, quoniam eius instinctu plebs gentilis christiane fidei iugo colla submittere renuens, cum principibus suis a dominio ipsius se subtrahere moliebatur. ceperunt enim urbes eius desolari, predia uastare, possessiones depredari, seruos cedere, et ut cetera sileam, ipsi insultare. cumque declinare de uia sua peruersa nollent, nec furor eorum saciaretur, dux ipse confidens de eterna uirtute, ad superandam hostium rabiem cum multitudine exercitus sui, sub uexillo deo dilecti pontificis Martini, sanctique martiris Georgii processit. illis forte diebus urbem, que uulgo Besprem nuncupatur, obsederant: hoc ad conuicia eius commouentes, scilicet ut ubi ducalis accessus conuersacio habebatur, ibi consederent, quo facilior ingressus ad alia presidia occupanda inueniretur. ipse uero, diuina preeunte clemencia, aduersus eos consurrexit; et hic in fide, illi uero tantum in armis confidentes, utrinque decertauerunt. quos omnes, eum protegente uictoriosissime crucis signaculo, patrocinantibus dei genitricis ac perpetue uirginis Marie meritis, sub uexillo domino dilecti pontificis Martini sanctique martyris Georgii, ducibus eorum interfectis, in breui suo seruicio subegit, et baptismatis unda lotos, unum dominum

colere, monita salutis per fideles sacerdotes eis distribuendo compulit. tandemque hostibus uictis, ex parte cesis, et ex parte captis et alligatis, dux uictor cum suis uictorie dona reportauit. quapropter de possessionibus eorum tam in agris quam in uillis sapienter iudicauit, non sicut quondam Saul, qui deuicto Amalech de spoliis eius domino prohibente meliora elegerat. sed quoniam Pannonia beati pontificis Martini natiuitate gloriatur, cuius eciam patrocinantibus meritis uir Christo fidelis, ut iam dictum est, de hostibus uictoriam reportauerat, nichil ex rebus eorum ad opus sui reseruans, inito cum theophilis consilio, iuxta fundum sancti presulis, in loco qui sacer mons dicitur, ubi sanctus Martinus, cum adhuc in Pannonia degeret, oracionis sibi locum assignauerat, sub titulo ipsius monasterium constituere cepit, possessionibus et redditibus, cunctisque sufficienciis ditauit, et ipsius suffragio domitorum decimacionibus simile fecit episcopiis, constituens ex omnibus eorum facultatibus tam stricte decimas dari, ut si cui decem liberos habere contingeret, decimam prolem sancti Martini cenobio daret.

(7) Deuictis uero hostibus Christi miles gaudio spirituali repletus, tocius ingenii consilium euangelici seminis decreuit fore receptaculum, elemosinis et oracionibus uacans, frequenter pauimento sancte domus adherens, lacrimis effusis perfectionem propositi sui domini commisit uoluntati, ut qui sine ipso nichil agere ualeret, opitulante disposicionis ipsius explecione, bonum quod cogitauerat, cum incepcione uirtutum ad finem perducere posset. ad hoc igitur incipiendum et consummandum, quoniam fidelium Christi consultum habebat necessarium, nunciis et litteris in omnes partes suum diuulgauit desiderium. inde multi presbiteri et clerici, spiritus paracliti uisitacione compuncti, relictis sedibus propriis, elegerunt pro domino

peregrinari, abbates et monachi nichil proprium habere cupientes, sub tam religiosissimi principis patrocinio et moderamine regulariter uiuere deliberauerunt. inter quos uite regularis pater Ascricus cum suis discipulis aduenit, quorum unus nomine Bonifacius, in loco patris abbas deinde constitutus, dum a beato rege causa predicacionis in inferiores Hungarie partes esset missus, in ceruice percussus gladio, licet propterea superuiueret, non est martyrio priuatus. venerunt et alii duo de terra Poloniensi, heremiticam uitam causa contemplacionis eligentes, quorum unus Andreas nomine per confessionis meritum angelicis choris est associatus, testibus miraculorum signis per ipsum a domino factis: alter Benedictus, pro Christo sanguine fuso misericorditer laureatus. Ascricus abbas cum suis honorifice susceptus, ad radicem montis ferrei cenobium sub titulo sancti patris Benedicti construxit, ubi usque hodie congregacio monasterialis, disciplina regulari pollens, temporalium sustentacione copiarum, ex donatiuis sancti ducis superhabundans, non est alicuius egens, nisi ut suos et aliorum pedes, secundum euangelium, cottidianis precibus et lacrimis lauet. cum is dei seruus princeps christianissimus aliquando communiter cum omnibus, aliquando singillatim cum uno quoque eorum colloquium habens, in tantum diuinis conspectibus se probabilem reddidit, ut omnes milicie sue comites, ad ueri dei culturam conuerteret. quos uero aliene uie sectatores repperit minis terroribusque subiugauit. ipsosque secundum ecclesiasticam doctrinam instituens, iugum et legem discipline, suppositis ceruicibus adhibuit, omnesque immundicias malorum prorsus destruxit.

(8) Post hec prouincias in decem partitus episcopatus, Strigoniensem ecclesiam metropolim et magistram, per consensum et subscripcionem Romane sedis apostolici, ce-

terarum ecclesiarum fore constituit. predictum uero uenerabilem abbatem Ascricum pontificalis dignitatis infula decoratum, electione canonica sublimauit, et Colocensi episcopatui prefecit, cuius consilio ceteras sedes, patrum curis et prouisionibus commisit. iaciuntur ubique sacrarum fundamenta domorum, surgunt claustra, canonicorum cenobia florescunt regulariter conuersancium congregacionum. undique fit concursus domino famulancium, quorum omnium desiderium tam liberalis principis excitauit benigne susceptionis solacium.

(9) Quarto post patris obitum anno, diuina commonente clemencia eundem Ascricum presulem, qui alio nomine Anastasius dictus est, ad limina sanctorum apostolorum misit, ut a successore sancti Petri principis apostolorum postularet, quo nouelle christianitati exorte in partibus Pannonie, largam benedictionem porrigeret, Strigoniensem ecclesiam in metropolim sue subscriptionis auctoritate sanciret, et reliquos episcopatus sua benedictione muniret. regio eciam dignaretur ipsum diademate roborare, ut eo fultus honore, cepta per dei graciam posset solidius stabilere. eodem forte tempore, Misca poloniorum dux christianam cum suis amplexus fidem, missis ad romane sedis antistitem nunciis, apostolica fulciri benedictione, ac regio postulauerat diademate redimiri. cuius peticioni annuens papa, coronam egregii operis parari iam fecerat, quam illi cum benedictione et regni gloria mittere decreuerat. sed quia nouit dominus qui sunt eius, qui duobus per apostolos in apostolici ordinis sortem electis Mathiam pretulit, et apostolicum fecit supplere numerum, ille nimirum pocius electum suum Stephanum hac temporali statuerat feliciter insignire corona, ipse postmodum eundem felicius decoraturus eterna. Prefixa itaque die, qua parata iam corona Poloniorum duci mittenda fuerat, nocte

que precedebat, pape per uisum domini nuncius astitit, cui et dixit: crastina die prima diei hora ignote gentis nuncios ad te uenturos esse cognoueris, qui suo duci coronam a te regiam cum benedictionis apostolice munere flagitabunt. coronam ergo quam preparari fecisti, eorum duci, prout peteret, cures sine cunctacione largiri. Sibi enim eam cum regni gloria, pro uite sue meritis scito deberi. iuxta igitur huius uisionis modum, prescripta sequentis diei hora, presul Ascricus ad papam peruenit, qui officium iniunctum sibi prudenter exequens, et sancti ducis gesta referens, ordine ab apostolica sede, que premisimus, insignia postulauit, indicans eum dignum fore tali honore et dignitate, qui plures gentes per dei adiutorium sibi subiugasset, et multos infideles per suam potenciam ad dominum conuertisset. quibus auditis, alde gauisus romanus pontifex, cuncta prout fuerant postulata, benigne concessit. crucem insuper ante regi ferendam, uelut in signum apostolatus misit. ego, inquiens, sum apostolicus, ille uero merito Christi apostolus, per quem tantum sibi populum Christus conuertit. quapropter disposicioni eiusdem, prout diuina ipsum gracia instruit, ecclesias dei simul cum populis utroque iure ordinandis, relinquimus. impetratis ergo omnibus, prout peciit, presul Ascricus letus ad propria remeauit, secum ferens, propter que inceptum iter prospere peregerat. benedictionis ergo apostolice litteris cum corona et cruce simul allatis, presulibus cum clero, comitibus cum populo, laudes congruas adclamantibus, dilectus deo Stephanus rex appellatus, unctione crismali perunctus, diademate regalis dignitatis feliciter coronatur.

(10) Post acceptum regalis excellencie signum, qualis uite uir et discrecionis fuerit, cum episcopis et primatibus Hungarie statutum a se decretum manifestum facit. in quo scilicet uniuscuiusque culpe contrarium dictauit antidotum.

et ut pacis per quam Christus orbem coadunauit, se fore probaret filium, quod nullus alium hostiliter inuaderet, nemo uicinum sine iudicii examinacione lederet, uiduas et orphanos nullus opprimeret, subscripcione federis non pereuntis posteris suis reliquit stabilitum. ad consorcium uero regni, precipue causa sobolis propagande, sororem romane dignitatis augusti, uidelicet Henrici, qui ob mansuetudinem morum, pius est appellatus, Gislam nomine, sibi in matrimonio sociauit, quam unctione crismali perunctam, gestamine corone regni sociam esse constituit. que qualis erga dei cultum ornandum extiterit, quam frequens et benefica circa deo seruiencium congregaciones apparuerit, multarum ecclesiarum cruces et uasa uel paramenta, opere mirifico facta uel contexta, usque hodie testantur. pre cunctis tamen domus episcopatus Bezpremiensis, quam ipsa a fundamento ceptam, omnibus sufficientiis ad seruicium dei, in auro uel argento, uestimentisque multiplicibus nobiliter adornauit. ipse uero rex episcopia nuper incepta, tam uidelicet ipsam archiepiscopalem, quam omnes episcopales ecclesias, amplissimam singulis assignans diocesim, et unicuique semper preficiens idoneum presulem, simul cum abbaciis, prediis et curiis, familiis et redditibus regulariter disposuit. crucibus et uasis aliisque supellectilibus ad ministerium dei pertinentibus, secundum quod unicuique opus fuit, sufficienter decorauit, et singulis annis, quamdiu aduixit, munera et oblaciones superaugebat, ne aliquid extrinsecus quererent, qui officio sanctuarii preerant. monachorum uitam et conuersacionem nunc per alios, nunc per se ipsum explorando, diligenter examinabat, torpentes arguens, uigiles sub dilectione constituens. canonicorum ministerium episcoporum prouidencie, sub testimonio episcopi ecclesie commendabat, secundum apostolum omnibus omnia factus, ut omnes lucrifaceret.

(11) Eo tempore in monasterio sancti Martini erat monachus quidam Sebastianus nomine, cuius probabilis uita, et deuota in dei seruicio religio habebatur. hunc rex uenerabilis miro cepit amore diligere, quia quanto quis religiosior, tanto erat ei acceptior. illum ergo, ob uite merita, pontificali honore dignum iudicans, regendo Strigoniensi archiepiscopatui eum prefecit. at quoniam flagellat deus omnem filium quem recipit, predictum Sebastianum ad probandam ipsius pacienciam, corporalium oculorum lumine ad tempus priuauit. sed ne nouellus in fide grex, absque pastoris regimine a recti tramitis proposito deuiaret, per consensum romani pontificis, sepe dictum Ascricum Colocensem episcopum, in illius locum substituit. euolutis dein trium annorum circulis Sebastianus ex dei misericordia recepto lumine, rursum per apostolici consilium sue sedi restitutus est, et Ascricus ad suam ecclesiam, uidelicet Colocensem, cum pallio rediit.

(12) Erat uero rex uir iustus et fidelis in omnibus actibus suis, deo perfecte deditus, per uotum et oblacionem semet cum regno suo, sub tutela perpetue uirginis dei genitricis Marie, precibus assiduis conferens, cuius gloria et honor tam celebris inter Hungaros habetur, quod eciam festiuitas assumpcionis eiusdem uirginis, sine additamento proprii nominis, ipsorum lingua regine dies uocitetur. et ut maiorem ipsius defensionis misericordiam consequi ualeret, in ipsa regalis sedis ciuitate, que dicitur Alba, sub laude et tytulo uirginis eiusdem perpetue, famosam et grandem basilicam, opere mirifico, celaturis in chori pariete distinctis, pauimento tabulis marmoreis strato, construere cepit, quam qui uidit testimonium ueritati perhibet uerborum nostrorum, innumerabilia palliorum, paramentorum, et aliorum ornamentorum ibi esse genera, tabulas

circa altaria plures, auro purissimo fabricatas, lapidum series preciosissimorum in se continentes, ciborium arte mirabili supra Christi mensam erectum, cameram omni genere uasorum cristallinorum, onichinorum, aureorum, argenteorum pleniter refertam. tanta preditam uenustate supra descriptam ecclesiam in propriam capellam rex sibi retinens, tali eam libertate dotauit, ut nullus episcoporum in ea cuiusuis iuris quicquam haberet. ne tamen a regulari disciplina eiusdem loci fratres existerent alieni, ad communem solius archiepiscopi synodum, ecclesiastici dogmatis institucione imbuendi, conuenire deberent. in die eciam absolucionis et consecracionis crismatis, cuicunque episcopo uel iniungeret rex ibi presens, uel illuc mitteret absens, penitentes in ea absolueret, et crisma consecraret. diuina quoque missarum selempnia, si regem ibi presentem esse contingeret, ille tantum celebraret episcopus, cui rex, consenciente cum fratribus preposito, celebrare iuberet. in regis autem absencia, absque prepositi et fratrum consensu, nullus episcopus uel missam celebrandi, uel cuiuslibet episcopalis officii exercendi sibi licenciam usurparet. Preterea eiusdem ecclesie populum instituit esse tam liberum, ut nichil decimarum cuiquam episcopo dare deberet, sed preposito soli et fratribus, prout ab eo institutum est, seruicium exhiberet.

(13) Demum seruus dei que tunc habebat et aquirere poterat, omnia Christo, que ex ipsius dono fluxerant, conferre studuit, ut qui eum gloria et honore mundi presentis dignum fecerat, celestis patrie ciuibus clementer associare dignaretur. legimus in prophecia de apostolis scriptum, quod in omnem terram exiuit sonus eorum, et in fines orbis terre uerba eorum. hoc non solum de duodecim, sed de omnibus a deo missis ad euangelizandum dictum esse probatur, quorum fide uerbis et moribus incrementum

parit ecclesia. de quibus iste christianissimus rex non minimus fuisse comprobatur, qui bone uoluntatis, et famam operis, quam in edificandis ecclesiis, in amplitudine proprii iuris exercuerat, in longe positas terras et urbes famosissimas disperserat. Construxit enim in ipsa conuersacionis Christi secundum humanitatem ciuitate Herusalem monachorum cenobium, prediis ditauit et uineis ad uictum cottidianum copiam ministrantibus. in capite quoque mundi Roma sub tytulo prothomartyris Stephani, duodecim canonicorum congregacionem cunctis pertinenciis habundantem statuit, et maceriam in circuitu lapide muratam, cum domibus et hospiciis Hungarorum, oracionis causa beati principis apostolorum Petri limina querencium condidit. ipsam quoque regiam urbem Constantinopolim beneficiorum munere non priuauit, in qua ecclesiam mirifici operis, omnibus necessariis suis donauit. merito igitur infra terminos sue dominacionis nomen adeptus est apostoli, quametsi ipse euangelizandi non assumpsit officium, predicatorum tamen dux et magister, eis tutaminis et sustentacionis instituit solacium.

(14) Inter omnia superne miseracionis beneficia beato regi diuinitus concessa, pre omnibus sunt illa dinumeranda et scriptis commendanda, que locum primum obtinent ad eterne uite gaudia promerenda, misericordia scilicet et ueritas. in omnibus enim factis suis felicibus illud intendebat esse precipuum, quod ex euangelio fideli pectoris contemplatus est uisu, per ueritatis ipsius testimonium dicentis: beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. et in alio loco: date et dabitur uobis. tantis igitur miseracione et pietatis brachiis Christi pauperes, immo Christum in ipsis amplexatus est, quod nullus unquam hospes et peregrinus ab eo sine benignitatis alicuius solamine tristis abscessit. ad recreacionem egenorum cot-

tidianas expensas indeficienter fieri constituit, nocturnas uigilias in lauandis Christi fidelium pedibus, et in abscondendis in sinu pauperum elemosinis agiliter et ylariter transigere solebat, egenum Christum in membris suis consolari deliberans temporaliter, ut ipse uite celestis cameram, cunctis delectamentis refertam, inueniens iocundari mereretur eternaliter. quadam uero nocte, spirituali monitu tactus, nemine sciente, solus plenum dono dei gerens sacculum, Christi pusillum gregem solito more perrexit uisitare. statimque pauperes distribuende celestis thesauri pecunie disturbantes inicium, uiri dei meritis euulsione barbe prebuerunt testimonium. ob hoc gaudio perfusus maximo miles Christi, se condulit ad beatissimam creatoris omnium genitricem, prostratus terre gracias agens sic exclamauit: regina celestis et mea! quem tu regem statuisti, milites tui, sic me honorauerunt. si ab aliquo aduersario mihi fuisset hoc illatum, meas iniurias per tuum ulciscerer adminiculum. sciens ergo domina, per hoc eternam michi retribui felicitatem, nimis exulto, gracias agens saluatoris nostri uerbis consolatorys, quibus discipulos suos consolatus est, dicens: capillus de capite uestro non peribit. his dictis se uir dei celesti gracia percipiens uisitatum, et spirituali carismate perfusum, cordis ianuas opem querentibus nunquam claudere decreuit, sed per se deinceps et per alios, et precipue per Christi seruos et familiares, clericos scilicet et monachos, celitus sibi datas facultates, in eternis thesauris per manus pauperum fecit collocari. huius rei testimonium, quam plures exhibent, sed ex his unus in eternum cum ipso celestis uite particeps monachus, ex seculari nobilitate conuersus et heremita, beatus Gunterius, qui liberalitate caritatiui principis illectus, solebat eum sepius de terra Bohemicorum uisitare. quociens enim curiam ipsius aduentus sui fulgore perlustrauit, camera regis sub manu sua posita, peregrinis egenis et indigenis,

uiduis et orphanis, cenobiis, ecclesiis, re distributa quam continebat, in breui fuit exinanita. ad nutum eciam eiusdem serui dei rex deo deuotus monasterium, quod Bél nuncupatur, incipiens, omnibus bonis ditauit. ubi monachus Gerardus de Uenecia ueniens, uitam contemplatiuam agere cepit, qui constitucione superna pontifex electus, post obitum sancti regis, instante disturbacione christianitatis, lapidatus est per donum gracie spiritualis, dignus est effectus consorcio martyrum.

(15) Nec hoc pretereundum estimo, quod in uiro dei, quanti meriti post obitum foret, diuina uirtus in uita sua demonstrare uoluit, quippe quociens alicuius hominis infirmitas auribus suis intimata fuit, missa sibi pro medicina, quam tunc in presenti poterat habere particula panis, pomi uel herbe redolentis mandatum ut sanus surgeret transmisit, et dei propiciacione uerbum ipsius comitante, statim sospitatem recepit. post gloriosam ad celos ascensionem et mirabilem patris concessionem, saluator noster paucis corporaliter apparuisse perhibetur : per uisionem uero multos consolatus, futurorum eos prescios esse docuit quod et huic beato regi contigit. quadam igitur nocte, repente per reuelacionem quandam expergefactus, uereda-rium quendam infra diem et noctem ad Albam Transsiluanam precepit festinare, et omnes in rure manentes ad municiones ciuitatum, quam citissime posset congregare. predixit enim superuenturos Christianorum hostes, uidelicet qui tunc Hungaris imminebant Bessos, et possessiones eorum depredaturos. vix nuncius mandata regis compleuit, et ecce Bessorum inopinata calamitas, incendiis et rapinis cuncta deuastauit, per reuelacionem dei, meritis beati uiri concessam, animabus hominum saluatis per receptacula municionum. accidit post hec defuncto beati regis amico, romane dignitatis augusto Henrico pio, Cunradum

imperatorie potestatis coronam per Germanorum electionem assumere, qui destructa pacis tranquillitate, tocius Theotonie manu coadunata, Pannonie terminos hostiliter conatus est inuadere. contra quem rex consultum habens episcoporum et principum, ad tuendam patriam armatos tocius Hungarie contraxit. prius tamen recolens, se nichil posse sine suffragio Christi, manus et cor leuans ad ethera, domine sue perpetue uirgini dei genitrici Mariæ suas iniurias commendans, talem erupit in uocem: si placet tibi domina mundi tue partem hereditatis ab inimicis deuastari, et nouellam plantacionem christianitatis aboleri, non mee precor imputetur desidie, sed pocius disposicioni uoluntatis tue. si pastoris culpa quod meretur ipse luat, insontibus parce precor ouibus. his dictis quasi consolatus ab ipsa, fiducialiter aduersus hostes iter arripuit. altera mox die nuncius ad unum quemque ducem Germanorum in castra, ceu missus ab imperatore uenit, qui eis redeundi mandatum detulit. Regredientibus aduersariis, uir sanctus, respectu miseracionis dei se uisitatum intelligens, Christo sueque genitrici, terre prostratus gracias egit, cuius se, cum regni prouisione, tutamini precibus assiduis commendauit. imperator uero suorum tam repentina perterritus defeccione, sciscitans qualiter res facta fuerit, cum nuncium reuersionis eorum non suum fuisse ueraciter sciret, per consilium diuinitatis, ad corroborandam regis fidelissimi spem, factum non dubitauit, seque dehinc ab inuasione regni eius, timore iudicis eterni retentus abstinuit.

(16) Idem quoque rex beatus sollicitudine regalium disposicionum occupatus, tempus diurnum colloquiis et consiliis transigens, per noctis silencium uigiliis et oracionibus instare, contemplacioni uacare, lacrimas fundere, deum alloqui precibus operam dabat, iustique iudicis moderacionem, super cottidianas iudiciorum discussiones,

misericorditer descendere flagitabat. quod cum sedulo spiritualis desiderii frequentaret officio, nocte quadam, templo dei longe remoto, descenderat quippe cum illo suo magno et nobili comitatu, fixis tentoriis in campestris amplitudinis loco, ceteris sopore depressis, surgens a lecto, cubiculum cordis ingressus, genibus flexis, clauso oris hostio, eterne miseracionis ianuam gemitibus et lacrimis pulsabat. cumque diucius deprecacionibus insisteret, domini sui regis eterni ministris ad suscipiendas preces eius conuenientibus, papilio super eum extensus a terra leuatus. tamdiu pendere cepit in aëre, donec uir dei in se reuersus, a contemplacione spiritum relaxauit ab oracione. quod licet inuisibiliter illi soli, qui res nouit ante, quam fiant, suique secreti consciis angelis fuisset cognitum cuidam tamen magne simplicitatis et innocencie uiro, qui tunc simili forsitan instabat operi, uisibiliter est manifestatum. quem rex sanctus archani sui conscium esse per spiritum sanctum edoctus, ad se uocatum, blandis prius sermonibus quid uidisset sciscitabatur, post regiis donis eo ditato, ne cui patefaceret, quoadusque ipse rex uiueret, interminabatur ei.

(17) Fama nominis sui in auribus multarum gencium secularium diffusa, et iudiciis oris sui celebri laude ubique innotescentibus, sexaginta uiri Bessorum, quorum superius mencionem habuimus, cum uniuerso apparatu suo, uidelicet auri et argenti copiositate, multaque uarietate ornamentorum, curribus onustis, de partibus Bulgarorum egressi, ad regem uenire uolentes, terminis Pannoniorum appropinguauerant. at multi seruorum, quorum cereus est animus flecti in uicium, malignitatis face succensi, obuiam illis exierunt. quosdam gladio percusserunt, omnia que eorum fuerant auferentes, uacuos et semineces reliquerunt. illi iudicio regis quid actum quidue perpessi

sint reseruantes, iter quod ceperant peregerunt, et ad eum usque properantes, genibus eius se aduoluerunt. quibus uisis. que causa, inquit malorum. mi domine, referunt: nos serui tui nichil mali machinantes, ad audiendam iudiciorum tuorum ueniebamus disciplinam, et quorundam manibus, quam nobiscum ferebamus pecunia, absque delicto omnium nostrum ablata est. insuper apprehensos nos ceciderunt, et uita uix comite uenimus, ut nunciaremus tibi. rex, ut erat prudencioris animi, non uultu, non uerbis minatus est eos sed sustinens, ut scribitur, prudens spiritum reseruat in posterum, misit ocius ad illum sub quo militabant tribunum, et die constituto, omnes perdicionis illorum uiros, iussit conspectibus suis presentari. actum est ut imperauerat, et ad discuciendum in presencia sui statuti sunt. quos alloquens, cur, inquit, legem preceptorum dei transgredientes, non intellexistis misericordiam, et uiros innocencie contempnastis. sicut fecistis ita faciet dominus uobis coram me hodie transgressores legis feriendi sunt. accepta sentencia educti sunt, et per omnem regionem in ingressu uiarum duo et duo suspendio perierunt. quod ob terrorem incuciendum reliquis, reto eum iusticie fecisse, credendum est, ut quia regnum suum omnium hospitum patens asilum esse uolebat, sic liber omnibus introitus esset, ut nullus ingredientem quemlibet in aliquo ledere, uel molestare presumeret. quod et factum est. Nam quoad uixit nullus cuiuis hospiti quicquam molestie inferre presumpsit.

(18) In beato quoque rege constat apostolicum illud impletum, quod legitur: quoniam per multas tribulaciones oportet intrare in regnum dei. et in libro sapiencie: quos diligit deus, castigat. et pater flagellat omnem filium quem recipit. multis enim modis correctioni diuine succubuit, tribus annis infirmitate continua laborans. postquam inde

propiciacionis dei medicamine conualuit, iterum iudicis eterni per secreti consilii quandam examinacionem, in filiorum suorum obitu sibi sensit imminere uerbera, quos in ipsis infancie gradibus insontes, qui dedit, abstulit. de quorum morte mesticiam obortam genitor, propter amorem filii superstitis, sancte indolis pueri Henrici solacio compescuit. quem quasi iam unicum caro diligens affectu, precibus Christo cottidianis, et eius genitrici uirgini perpetue commendauit: hunc sibi fore superstitem, hunc regni heredem, uotis omnibus desiderauit. et ut efficacior fieret ad tenenda tanti regiminis gubernacula, uirorum documentis orthodoxorum, usu lectionis cottidiane fecit auditum utrumque prebere. ipse quoque paterne dilectionis ardore compunctus, libellum sibi de institucione morum composuit, in quo fideliter et diligenter uerbis eum ammonicionis spiritualis alloquitur, instruens, qualiter ante omnia debeat obseruare fidem catholicam, confirmare statum ecclesiasticum, honorem impendere dignitati pontificum, principes et milites diligere, iudicium obseruare, pacienciam in cunctis actibus habere, hospites benigne recipere, benignius nutrire, sine consilio nichil agere, maiores suos ante oculos semper ad exemplum statuere, oracionis officium frequentare, pietatem et misericordiam, cum ceteris uirtutibus possidere. talibus et in similibus disciplinis institutus iuuenis preclarus, ad nutum disposicionis eterne, cui cuncta subiacent, obediendo, millesimo XXX. primo dominice incarnacionis anno, uitam hanc exicialem commutauit sempiterna, supernorum ciuium adiunctus contubernio. cuius animam ipsa transitus sui hora, cuidam episcopo Grecorum sancte conuersacionis uiro reuelatum est, deferri per angelos ad celi palacia. verum, quia pro sanctitatis sue meritis summo ab omnibus diligebatur affectu, ortus est ingens luctus omnium sed maxime principum, inter quos pater desolatus, graue

traxit suspirium. videns enim se solum, sine spe posteritatis derelictum, pietatis affectu doluit. sciens uero scriptum: non est sapiencia, non est prudencia, non est consilium contra dominum et illud in canonibus : neminem propter obitum carorum nimium debere contristari, deposito merore, se totum contulit ad querendam largitatem misericordie diuine, cenobiorum et ecclesiarum ministros, monachos et clericos, diuersis elemosinarum donis consolatus, expensas tocius sumptus, quem ad presens habere poterat, peregrinis, uiduis et orphanis erogauit. exterarum eciam monasteria prouinciarum munificencie regie donis innumeris, per nuncios suos sepe uisitauit.

(19) Grauedinem morum, quam in iuuentute receperat, usque ad finem uite tenuit, uix unquam ad risum labia mouit, recolens scriptum, risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat: semper sic apparens, ac si ante tribunal Christi staret, interrioribus oculis, eius presenciam, uultu uerendo conspiciens, Christum in ore, Christum in corde, Christum in cunctis actibus se gestare demonstrauit. diem ultimum semper ante oculos cordis statuens, toto mentis desiderio, iam inter patrie celestis ciues, quasi quodam angelice conuersacionis habitu cupiebat habitare. cunctis deo placitarum uirtutum generibus adornatus, in sanctitate et iusticia, coram ipso diebus uite sue conuersari decreuit, ut in eo iam, ceu quedam future glorificacionis species clarescere uideretur.

(20) Post non multum temporis egrotacionem incurrit, qua postmodum corpore excessit, longa namque languoris molestia ingrauescente, in pedibus stare nequibat. videntes autem quatuor palatinorum nobilissimi diu grauiterque laborantem, nam ipsi adhuc in perfidia cordis errabant, consilium iniquitatis duxerunt, occasumque eius

in mortem conati fuerunt tractare. iam die aduesperascente, ante quam in domo lucerna accenderetur, unus eorum audacter sub obscuro ingressus est, et ad iugulandum regem, ensem nudatum sub clamide tegebat. Dum pedem inhiberet, ubi rex quiescebat, reuera celesti impulsu gladius corruit, percussusque in terram tinnitum reddidit. statimque rex audiens, causam requisiuit, et tamen quid fuisset presciuerat. vir autem ille anxius corruit, consilium furoris sui recognouit, doluit, accessit, procubuit, uestigia regis amplexatus est, se deliquisse confessus, sibi indulgeri precatus est. veniam querentem non auertit, facinus facile dimisit, idemque iussu regis homicide illi inuenti, adducti sunt, et aduersus eos iudicio locutus, digna eos multauit sentencia.

(21) Tandem, per misericordiam dei dignus centuplicate retribucionis brauio, tactus febri, cum sibi diem transitus imminere non ambigeret, accersitis episcopis et primis palacii, de Christi nomine gloriantibus, primum cum eis tractauit de substituendo pro se rege, Petro uidelicet sororis sue filio, quem in Uenecia genitum, ad se uocatum, iam dudum exercitui suo prefecerat ducem. deinde paterne monuit illos fidem ortodoxam seruare, quam acceperant, amare iusticiam, uincula fraterne karitatis diligere, castitati operam dare, humilitatis studio inuigilare, pre omnibus uero nouelle christianitatis plantacioni custodiam adhibere. his dictis manus et oculos leuans ad sydera, sic exclamauit: «regina celi, reparatrix inclita mundi, tuo patrocinio sacram ecclesiam cum episcopis et clero, regnum cum primatibus et populo, supremis precibus committo, quibus ultimum uale dicens, manibus tuis animam meam comendo.» instabat tunc solempnitas precipua, celebris angelis et hominibus dies, assumpcionis eiusdem perpetue uirginis Marie, in cuius gaudio si dissolucio sui

corporis fieret, maioris spem misericordie se sperans habiturum, precibus hoc spiritualibus postulauit, suspiriis et lacrimis obtinuit. aderat igitur felix illa dies, per eius obitum felicior mox futura. circumstabat cum clero paternitas episcoporum, cum manu ministrorum principatus, chorus comitum. ubi rex deo dilectus in medio iacens, accepto unctionis spiritualis sacramento, sanctam animam, corporis et sanguinis domini nostri Ihesu Christi uiatico recreatam, anno dominice incarnacionis mill: XXX.VIII.uo in manus uirginis perpetue, et sanctorum angelorum, celestis quieti beatitudinis inferendam tradidit. factus est planctus maximus suorum, gaudium angelorum: sed hic planctus postea uersus est in leticiam sempiternam, tam nascencium, quam uiuencium. ad exequias funeris eius ex omnibus Pannonie plagis concurritur, corpus ad sedem regalem, Albam uidelicet ciuitatem deducitur. et quoniam ecclesia beatissime uirginis ab ipso constructa nondum erat dedicata, inito consilio statuunt pontifices, prius basilicam sanctificare, deinde corpus terre commendare. perfecta dedicacionis sollempnitate, corpus sanctum in medio domus sarcophago candidi marmoris imponitur, ubi per annos plures dominus per ipsius merita, multis incommoda pacientibus, febricitantibus, afflictionem et miseriam suam proclamantibus, iudiciumque portantibus, beneficia prestitit innumera. sepe per noctem melodia cantus angelici a multis audiebatur, frequenter odoris suauissimi dulcedo per latera templi dispergebatur.

(22) Quieuit itaque corpus beatum eodem in loco, non apertis declaratum signorum indiciis XLV. annis, miro disposicionis ipsius secreto, qui in sanctis suis predicatur, et est mirabilis : ut, quot annos sanctus mole carnis indutus, terreni coronam imperii, per donum gracie spiritualis gestare merebatur, tot corpus humi grauedine pres-

sum, et in puluerem redactum, et hic tempore predestinato declarari dignius, et in resurrectionis die renouari gloriosius, ut mereretur, haberet. hoc quorsum respiciat, quid designet, oculis spiritualibus delectat intendere; quod sine preordinacionis affectu diuine, factum non estimatur: forsitan quedam in ipso terreni pulueris aspersio, igne diuine examinacionis purificanda remanserat, sine qua regnantes, quasi quodam iure potenciali, uitam presentem uix aut nullatenus transire queunt.

Interiectis itaque XLV. annis, cum ad prestanda per eum mortalibus misericordie sue beneficia, sancti sui uellet deus iam merita declarare, ex romane sedis institucione, apostolicis litteris sancitum est: ut eorum corpora eleuari deberent, qui in Pannonia christiane fidei semina iacientes, sua eam predicacione, uel institucione ad dominum conuertissent. adueniente uero tempore declaracionis eius, et laudabilis gracie eius, quam per ipsum gens Hungarica promeruit, in mundo diuulgande rex Ladizlaus, qui tunc rempublicam amministrabat, uniuersa honestate morum preclarus habitus, et uirtutum fulgore conspicuus, laudibus et seruicio dei perfecte deditus, spiritus paracliti perlustracione tactus. habito colloquio cum episcopis et primatibus, et tocius Pannonie sapientibus, triduanum cunctis indixit ieiunium, ut quod communi catholicorum utilitati, spiritus sancti donis, animarum et corporum salutem operantibus uideretur fore proficuum, communi cunctorum deprecacione, ieiuniis et elemosinis fundata, per manifestacionem signorum a Christo deberet esse querendum. sed ut ostenderet dominus, quante misericordie rex sanctus fuerit adhuc mortali uiuens in corpore, quam iam cum Christo regnans, se demonstrabat adhuc pre ceteris operibus approbare, cum triduo sanctum eius corpus, totis uiribus eleuare satagerent, nulla de loco suo potuit arte moueri. eo namque tempore, exigentibus culpis, inter

predictum regem Ladizlaum et fratrem eius Salomonem grauis orta sedicio fuerat, ob quam Salomon captus, in carcere tenebatur. cum ergo pro eleuando corpore frustra conarentur, quedam inclusa, iuxta ecclesiam sancti Saluatoris in Bukan sumlui, nomine Karitas, cuius uite percelebris tunc temporis opinio ferebatur, reuelacione sibi celitus facta, regi mandauit, eos incassum niti, non posse sancti regis transferri pignora, donec Salomoni a carcerali absoluto custodia, libera indulgencia preberetur. illo itaque e carcere producto, et triduano iterato ieiunio, cum ad transferendas reliquias sacras tercia die uentum fuisset, lapis ingens superpositus tumbe tanta uelocitate sublatus est, ac si nichil ante ponderis habuisset. completo igitur tercie diei ieiunio et uespertinali officio, cunctis diuine miseracionis beneficia, per beati uiri meritum prestolantibus, subito plebem suam Christo uisitante, miraculorum insignia per amplitudinem domus sancte funduntur celitus, quorum pluralitas quum ipsa nocte numerum excesserat, illud euangelicum hic libet introducere, quod mundi saluator Iohanni per nuncios sciscitanti, an ipse sit qui uenturus est, per responsum mandauerat: ceci uident, claudi ambulant, surdi audiunt, leprosi mundantur, manci corriguntur, paralitici curantur. quorum tamen aliqua, quia cuncta non possumus, innotescere satagimus.

(23) Iuuenis quidam omnibus membris dissolutus, annis XII. paralisim passus, manuum et pedum carebat officio, qui parentum adiumento uectus illuc, recepta tocius corporis sospitate, signorum fecit inicium, atque ad altare haut segniter currens, omnium Christo laudes clamancium, augmentauit gaudium. alius quoque puer septennis, a natiuitate contractis neruis, genibus et manibus reptabat, quem parentes fide pleni, beati uiri sufragio conferentes, ipsi prostrati, iuxta sepulcrum secum posue-

runt, graciam petituri. quam mox consecuti, contractionem neruorum in filio distendi mirabantur, et consolidatis genibus et plantis, omnes eum incedentem uidentes, Christi nomen, in beati uiri meritis laudabili clamore glorificauerunt. quem rex deo deuotus, pre nimio gaudio lacrimatus, manibus a terra leuatum, ad altare portauit, ubi imno laudis prolato, gracias deo, pro beneficiis prestitis in sanitate pueri, cum omnibus qui aderant fauorabiliter egit. sic totam noctem deus per famuli sui ueneracionem, multorum fulgoribus signorum mirabiliter perlustrauit, populus uero uigiliis et oracionibus intentus, miraculum unumquodque laudum clamoribus manifestum facere non cessabat. his inserendum uidetur et illud, quod non solum ibi presentes, sed longe quoque positi, suffragantibus eius meritis celebrem consecuti sunt salutis effectum. nam cum eleuacionis ipsius undique cepisset fama crebrescere, uariis obsessi languoribus, ex omnibus Hungarie finibus ad eius sanctum tumulum, quo quisque poterat modo, festinare ceperunt. sed cum aliis precedentibus, alii grauiori debilitate prohibiti, simul peruenire nequirent, simili tamen misericordia, in uia innumeri sanati sunt. unde in permansuram beneficiorum sancti regis memoriam, complures per eum sanitati redditi, in eodem ubi sanati sunt itineris loco, grandes aggregauerunt aceruos lapidum, qui longo ibi tempore, postmodum fuerunt. sed et mulier quedam, cum inter hec filius eius exalasset spiritum, qui sibi fuerat unicus, exanime nati corpus iuxta sancti regis tumulum deposuit, dei et sancti eius super eo imploratura solamen. mira quidem res, et nostris obstupenda temporibus, non prius mulier orare destitit, quam filium, quem defunctum collocauerat, uiuentem accepit.

(24) Mane facto die post assumpcionem sanctissime uirginis Marie quinto, conuenientibus in ecclesiam cum

rege principibus, cum clero pontificibus, primum missa pro defunctis est celebrata, deinde sublata tabula marmorea, que pauimento preminebat, postquam peruentum est ad tumbam, tanta flagrancia suaue redolentis odoris in apparicione ipsius, omnes qui aderant, circumdedit, quod in medium paradisi deliciarum domini se raptos opinarentur. ipsa quoque tumba plena fuit aqua parum rubenti, quasi oleo permixta, in qua uelud in balsamo liquefacto, quieuerant ossa preciosa. quibus in mundissimo linteamine collectis, in ipso liquore diutissime quesitus est anulus, qui beati uiri dextere fuerat impositus. quo non inuento, ceperunt quidam iussu regis, aquam in caldarias argenteas et dolia effundere, ut euacuato sarcophago, cercior anuli fieret inuencio. sed mirum in modum, quanto magis liquor effundebatur, tanto plus eo crescente tumba replebatur. quo uiso miraculo, haustam aquam, loco suo restituerunt, nec tamen ea refusa, magis ob hoc tumba repleta fuit. tunc cooperto sepulchro, laudes et gracias diuine pietati proclamantes, cum inuento thesauro, beatissime Marie dei genitricis et perpetue uirginis altare repecierunt. interim deus qui est mirabilis in sanctis suis effusis sue largitatis beneficiis, tam extra quam infra basilicam salutem petentibus, miraculorum suorum signis, se presentem esse notificauit in tantum, ut tempus illud dominice conuersacionis inter homines uideretur reuolutum, de quo legitur, omnes, qui habebant infirmos uariis languoribus, ducebant illos ad Ihesum, et curabantur. hec omnia uirtus diuina, non solum ipsa die, sed post tempore multo, per merita famuli sui dignata est operari quod eciam de aliis regionibus, audita beneficiorum dei fama, pro recuperanda sanitate, diuersarum inualitudinum morbis laborantes, ad sufragium uiri beati, cum magno desiderio, conuolarent. comitissa uero quedam nobilitatis eximie matrona, comitis Albi Udalrici socia, regis Wladizlai sororis filia, nomine Machtildis,

tribus continuis annis dolore uiscerum grauata, iam morti proxima fuit, que a suis in feretro delata, mox ipsa die, qua beati uiri tumulum attigit, paulatim se meliorari sensit, ac in breui uite prioris sospitate recepta, magnalia dei, per famuli sui merita in se remunerata, diuulgauit. cetera uero miraculorum dei prodigia, pro dilectione famuli sui celitus ostensa, non ideo quod fastidirem, non scripta dereliqui, sed quia non soli mihi pluit dominus, qui super bonos et malos solem suum clarescere facit: beneficiorum ipsius multiplicitatem cunctorum proficuo consulentem, innumeris sapientibus, quos Hungaria fouet et amplectitur, stilo declarandam commendaui.

(25) Illud tantum in fine codicis addere decreui, quam miro pietatis dei munere, diu quesitus et non inuentus anulus, cum ipsa beati uiri dextera, post translacionis eius terminum, est manifestata. monachus quidam nomine Mercurius, qui in ordine clericatus thesauri perpetue uirginis custos fuerat, eciam per amorem celestis patrie, seculo renunciauerat, ipsa hora, qua tumulus fuerat apertus, ne quid sacrarum reliquiarum raperet, redargucione regali procul inde est remotus. cui tristi uultu in choro residenti, iuuenis quidam albis uestibus uestitus, pannum inuolutum tradidit, dicens: hec tibi committo seruanda, cum tempus fuerit manifestanda. post complecionem officii sacri, monachus in angulo domus pannum expandit, integramque uiri dei manum cum anulo mirifici operis cernens, expauit, atque secum, nemine sciente, ad monasterium, quod rex suo regimini commendauerat, tempus a iuuene sibi predictum a Christo prestolaturus, deportauit. ibi diu solus, absconditi in agro thesauri custodiam et excubias exercuit: post fundatores ipsius cenobii conscios fecit, ad ultimum, appropinguante tempore, rei declarande, regis ad noticiam perduxit. qui mox coadunatis

episcopis et Hungarie primis, multis a Christo miraculorum ibi beneficiis erogatis, eleuande uiri dei dextere diem statuit celebritatis. quid est, fratres! quod ceteris membris dissolutis et in puluerem carne redacta, penitus disiunctis, sola dextera manus ossibus, cute cum neruis adherente, sue seruauerit decus integritatis. non aliud arbitror, diuini consilii profunditatem, in his excellenciam facti noluisse declarare: in dilectionis opus et elemosine cunctos uirtutum gradus ascendere. unde ueritas dicit in euangelio: beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. et item: date, et dabitur uobis. item in alio loco: sicut aqua ignem, ita elemosina peccatum extinguit. merito beati uiri dextera fuit aliena putredinis, que semper pietatis flore renitescens, in alendis pauperibus nunquam uacua fuit donis erogacionis. subuenit quidem in necessitate positis, liberauit oppressos a iugo captiuitatis, uestes et hospitalitatem prebuit peregrinis, uiduarum et orphanorum miserias et indigencias suas esse computauit, cenam et mandatum dominicum, in lauandis egenorum pedibus cottidie renouauit, elemosinas non de rapina uel aliorum dampno, sed de propriis sumptas sacculis effluere fecit: ut domos dei diuites efficeret, sibi uoluntatem habendi subtraxit, sique cunctis ad nutum diuinitatis perficiens, carnem suam, cum uiciis et concupiscenciis crucifixit. inde sibi est corporis et dextere delectabilis et miranda ueneracio, inde dulcis et felix, eterne uite retribucio, inde desiderabilis supernorum ciuium cohabitacio, ubi ipsum irradiat semper lucens et indeficiens splendor unius summeque deitatis, patris et filii et spiritus sancti per infinita secula seculorum AMEN.

LEGENDA SANCTI EMERICI DUCIS.

E codice Lunælacensi bibliothecæ palatinæ Vindobonensis sæc. XV.

DE SANCTO HEMERICO FILIO SANCTI STEPHANI REGIS UNGARIE.

(1) Inclitus dux Hemericus ex illustri prosapia, sicud cedrus ex Lybano a beato Stephano primo rege Ungarie exortus, uirtutibus admodum exornatus, clarissime effulsit. puer quoque nutritus sub diligenti custodia, primo omni sciencia grammatice artis imbutus est. beatus itaque rex Stephanus paterne dilectionis ardore compunctus, filio suo beato Hemerico librum de institucione morum composuit. in quo fideliter et amicabiliter uerbis eum ammonens spiritualibus alloquitur. instruens eum qualiter ante omnia debeat obseruare fidem catholicam, confirmare statum ecclesiasticum, honorem impendere dignitati pontificum, principes et milites diligere, iustum iudicium obseruare, pacienciam in cunctis actibus suis habere, hospites benigne recipere, benignius attractare, sine consilio nihil agere, maiores suos ante oculos semper ad exemplum statuere, oracionis officium frequentare, pietatem et misericordiam cum ceteris uirtutibus ad profectum peruigili cura possi-

(2) Beatus itaque Hemericus modico contentus sopore, per singulas noctes cunctis se in lecto collocantibus, et ut regiam decet sobolem duobus candelabris ante se lucentibus, in psalmis deo decantandis uigilabat, et in uniuscuiusque psalmi fine ueniam cum cordis contricione a deo postulabat. quod cum pater eius nosset, caute imo et occulte per rimam parietis sepe prospiciebat, nulli tamen suorum manifestare uolebat. in his omnibus considerandum nobis est, quam misericorditer nostre imbecillitati a deo consultum est, cum non solum iusticie regula nobis uerbotenus instituitur, sed et beati uiri huius ad imitacionem tanquam preclarum speculum ad spectaculum proponitur. nemini ergo sit onerosa paupertas, quoniam elegit pauperes dominus, de quibus ait: beati pauperes, quoniam ipsorum est regnum celorum. nemo eciam diuites a regno dei excludendos esse contendat, eos uidelicet qui sine cupiditate possident diuicias. unde preclare in laudem et decorem sui sancta ecclesia terribilis ut castrorum acies ordinata describitur, in tanta uirtutum fulget eminencia, tantaque credencium uarietate circumdata est, quod neque barbaris nacionibus diuina uisitacio desit, quoniam uerbum quod mandauit dominus in mille generaciones, iam totus mundus suscepit. Pannonia autem nostris fere temporibus ad fidem uenit, que hactenus fedis paganismi ritibus fedata erat, sed exhortacione et eximiis meritis christianissimi regis sui Stephani scilicet, in uirtute fidei et incremento diuini cultus profecit.

(3) Quodam itaque tempore cum beatus rex Stephanus ad ecclesiam beati Martini, quam ipse in sancto monte Pannonie inchoauerat, et egregia monachorum congregacione decorauerat, una cum filio causa oracionis aduenit. sed rex sciens pueri precellens meritum, honorem qui

eum decuit impendit filio, nam cum predicti fratres peracta processione salutare regem accessissent, propter reuerenciam filium suum premisit ad salutandum. puer autem Hemericus spiritu sancto repletus, prout diuina sibi reuelante gracia singulorum merita nouerat, singulis inequaliter oscula distribuit. alii siquidem unum, alii tria, alii uero quinque, postremo uni septem oscula continuauit. quam rem ceteris intuentibus beatus rex Stephanus tacite admirabatur, familiarique colloquio finita missa cur illis inequaliter oscula distribuisset diligenter ab eo sciscitatus est. beatus ita Hemericus singulorum merita coram patre pertractans, uidelicet quanto temporis spacio singuli in uirtute continencie perstitissent, sub ea consideracione se plura aliis et pauciora aliis oscula dedisse edocuit, eumque cui septena multiplicauerat oscula, uirginalem perduxisse uitam edocuit. o excitatrix omnium uirtutum gracia, que nostre angustias nature habundanter excedis, que profunda misteria reuelas paruulis, tu beato Hemerico magistra affuisti, tu ei liberam de ocultis aliorum intelligenciam contulisti. huius autem interne reuelacionis ueritas, in eo hoc modo comperta est.

(4) Paucis uero diebus interpositis ex quo de sancto monte abscesserat, beatus Stephanus duobus tantum ministris adhibitis, eodem ingressu uigilias fratrum et oraciones secreto explorabat. iam expleto matutinarum officio, ceteris in lecto se collocantibus, illi soli quibus beatus Hemericus oscula multiplicauerat, in ecclesia persistebant. diuisique in angulis ecclesie secrecioribus, in conspectu dei in psalmis decantandis inuigilabant. cum ad singulos sanctus rex diuisim accederet, faciem suam eis manifestauit, et in uerbo benedictionis eos salutauit. singulis autem regiam maiestatem rupto silencio uenerantibus, ipse nouissime ad fratrem Maurum nomine ueniens, quem in

septenis osculis beatus Hemericus commendauerat, nec blandiciis salutacionis, nec uerbis regie comminacionis responsionem ab illo extorquere potuit. mane autem facto cum fratres conuentum celebrarent, rex ipse affuit, et ut animum fratris Mauri de humilitate temptaret, in communi audiencia plurima ei religioni contraria obiecit. cuius assercioni Maurus nullam contradictionem fecit, sed humiliter residens, ad deum qui humane mentis inspector est sperando confugit. tunc uero beatus Stephanus filii sui rata esse cognouit, et re ordine narrata Maurum laudibus extulit, et ut locus pontificalis per eum decoraretur, paulo post in episcopum Quinqueecclesiis sublimauit.

(5) Post hoc autem beatus Hemericus etate proficiens, per uirtutum merita gloriosa sua semper augmentabat insignia. que quanquam nos per omnia explicare non possimus, pauca tamen que de gestis eius audiuimus, ut non negligencie deputentur, diligenter referamus. contigit autem nocte quadam oracionis causa secreto, uno tantum contentus famulo, uetustissimam et antiquissimam que in Uesprimie ciuitate ad honorem preciossissimi Christi martiris Georgii fabricata est, intraret ecclesiam, ibique oracioni uacando, cum quid acceptabilius offeret penes se tractaret, subito lumen cum ingenti claritate totum ecclesie circumfulsit edificium. in quo uox diuina in supernis sic insonuit: preclara est uirginitas, uirginitatem mentis et corporis a te exigo, hanc offer, in hoc persta proposito. ille autem non de se presumens, sed ad graciam tanquam ad ueram medicinam confugiens, ait: domine deus uniuersitatis inspector et humane imbecillitatis adiutor, qui aufers spiritum principum, qui terribilis es apud reges terre, beneplacitum tuum in me perfice. itaque beatus Hemericus eadem hora in uerbo diuine consolacionis confortatus, secretum hoc apud se conseruabat, et ministro

illi qui huic diuino colloquio et aliis plerumque solus aderat, ne cuiquam rem huiusmodi usque ad obitum suum apperiret, obsecrando interdicebat. hec et quamplura uirtutum insignia tanquam in secreto mentis cubiculo conclusa, penes sanctum Hemericum tenebantur, et usque dum fracta est ampulla et odor unguentorum diffusus est, absconditaque detegebantur.

(6) Interea cum ex paterna disposicione uirgo nobilis, utpote orta de regali prosapia, beato Hemerico desponsata esset et adducta, ut ex utraque regali linea regia posteritas in posterum succederet, ipse carnalem generacionem, que corruptibilis est, spirituali proposito uirginitatis postponens, ieiuniis corpus macerauit, animam autem pane uerbi dei saturauit, ne qua carnis titillacio ei dominaretur, et intacte sue coniugis incorruptam seruauit uirginitatem. o miranda iuuenis continencia, qui fonte lacrimarum restinxit amoris incendia, flammamque portans in gremio, non urebatur eius incendio. grande est enim et pene ultra mortalem naturam corpoream sopire luxuriam, et concupiscencie flammam adolescencie facibus accensam, domini uirtute restinguere, et spirituali conatu iura oblectacionis excludere, uiuere contra humani generis morem, despicere solacia coniugum, dulcedinem contempnere liberorum, et quecumque presentis uite esse commoda possunt, pro nichilo spe future beatitudinis computare. magna hec ut dixi et admirabilis uirtus est. et non immerito pro magnitudine laboris sui ingenti premio destinata. magnus quidem est pudicicie labor, sed maius premium. temporalis custodia, sed remuneracio eterna. de quibus Iohannes in apocalipsi ait : hi secuntur agnum quocunque ierit. quod ita intelligendum puto, locum nullum eis in celesti aula claudendum, et cuncta eis diuersarum mansionum habitacula reseranda. sed ut illustrius uirginitatis meritum

clareat, et quam deo digna sit manifestius possit intelligi, illud recogitetur, quod dominus et saluator noster, cum propter humani generis salutem carnem dignaretur assumere, non alium quam uirginalem elegerit uterum, ut uirtutem huiusmodi plurimum sibi complacere monstraret, et ut pudicicie bonum utrique sexui intimaret. uirginem habuit matrem, uirgo ipse mansurus. in se uiris et in matre feminis prebuit uirginitatis exemplum, quo demonstraretur in utroque sexu beatam et integram diuinitatis plenitudinem meruisse, dum totum in matre fuit, quidquid habitaret in filio. uerum ubi corpore dissoluto in etate adhuc iuuenili, data est ei hereditas in terra uiuencium, sponsa sua testimonium uirginalis uite ei perhibuit. et familiaris minister, qui uiderat frequenter et audierat, ultra non abscondit.

(7) Nec hoc pretereundum puto, quod aliquando Constantinopolim cum Almo duce commoranti, quidam religiosus canonicus Cesariensis ecclesie, ad Grecorum imperatorem missus narrauit, se in gestis sancti Ewseby legisse, quod eadem hora qua beatus Hemericus dissolutus est, sanctus Ewsebius Cesaree Palestine metropolitanus, cum in processione una cum clero et populo incederet, sonum angelice dulcedinis in excelso audiuit, apertisque oculis cordis animam beati Hemerici filii sancti Stephani primi regis Pannonie sursum transferri perspexit. aderat autem et demonum multitudo tanquam si quid in illo deprehenderet, unde offendiculum tanto confessori intenderet. cumque sanctus Ewsebius in hac uisione obstupesceret, de sursum audiuit eadem hora hanc ipsam animam beati Hemerici in iubilo ad supernam sedem transferri. eadem quoque uisio et melodie dulcedo cuidam archidyacono per oracionem beati Ewseby reuelata est. et quoniam in ecclesia sunt miracula, ubi humana imbecilli-

tas ad credendum est tarda, tot tantisque uirtutum signis dies obitus sui tricesima corruscauit, ut omnibus in regia urbe, ubi sanctum corpus eius humatum est, commorantibus, non dies meroris sed gaudii esset. cum nec ipsum patrem meror ob mortem filii angeret, sed eum ob coronam uite eterne filio indubitanter collatam, leticia plena perfunderet.

(8) Unum autem de egregiis miraculis quod postmodum in diebus nostris pro confessore suo deus reuelare dignatus est, nostre narracioni assumimus, quamquam in hoc et in ceteris a deo famosa sine scripto sint omnia, quod et filii qui nascentur et exsurgent, hoc cognoscent et narrabunt filiis suis. erat igitur uir quidam Conradus nomine, idemque Thewtonicus nacione, adeo abhominabili pecatorum pressione sarcinatus, tantaque ignominia affectus, ut quasi quatriduanus mortuus in monumento esset fetidus. sed quoniam ipse qui Lazarum suscitauit in corpore quotidie peccatores suscitat in mente, nec peccatorem predictum in profundo peccatorum reliquit. sed ut cognosceret quantis circumdatus esset miseriis, occulos mentis eius per compunctionem apperuit. predictus itaque Conradus ad uicarium sancti Petri, qui Romane sedi tunc prefuit ueniens, uulnera sui commissi detexit, et postulata satisfactionis iniunctione, medicinam anime expeciit. papa uero quantitatem peccatorum illius, tanquam antea inauditorum obstupescens, deliberacione habita, uulnera per iniunctam penitenciam non curauit. ne tamen desperans fluctuaret, consilio peccatorem confirmauit. itaque illum lorica circumdedit, et eam ut corpori firmius adhereat, quinque cathenis ferreis, ad modum quinque plagarum Christi circumcinxit, cartamque confessione illius inscriptam et cera circumdatam proprioque annulo sigillatam illi porrexit, et addidit monens et exhortans, quatenus omnia

loca in quibus sancti dormiunt lustraret, sicubi diuina gracia sanctorum intercessione illum uisitaret. hoc autem diuine uisitacionis signum foret, siquando lorica fractis cathenis in partes persaliret, et carta nichil scriptum contineret. abiens ergo ille plurimorum loca sanctorum peragrauit, nouissime in Ierusalem ad sepulchrum domini ueniens, misericordiam ibi expectauit ab eo qui sanat contritos corde et alligat contriciones eorum. sed dominus non ostendit in illo uirtutem suam in ciuitate munita, quatenus ad laudem et gloriam beati Hemerici reseruaretur. interea fama beati Stephani regis Pannonie, ad cuius sepulchrum quotidiana fiebant miracula insignis habebatur. consummatoque itinere uir supra memoratus Albam peruenit, ubi corpus beati Stephani reconditum ueneradatur. cumque in aliis uirtus dei et intercessio regis eximii crebris miraculis largius attingeret, penes se cum iuramento confirmauit, quod de loco ecclesie se non ammoueret, quousque dominus in eo ostenderet, quanti meriti beatus Stephanus apud ipsum esset. factum est autem cum esset hora diei quasi XII. ex nimia corporis fatigacione et cordis contricione in ecclesia ille obdormiuit. affuit autem illi ex supernis beatus Stephanus dicens: surge nec in meritis meis presume apud deum, quoniam non sufficio pro te intercedere. uade ergo ad sepulchrum filii mei beati Hemerici, ipsum intercessorem habe. ipse est qui in uirginitate deo complacuit, cuius uestimenta non sunt coinquinata. hic sequitur agnum quocumque ierit. ipse est eciam ex eorum numero qui ante thronum dei cantant canticum nouum, quod nemo potest cantare nisi is, qui uirgo est. eadem itaque hora ille de sompno surgens, ad sepulchrum beati Hemerici in eadem ecclesia statim festinauit, et cum ibidem prouolutus oraret, repente lorica fractis cathenis per plurimas partes diuisa in terram prosiluit, multis in ecclesia admirantibus unde tanta ferri concussio sonitum dedisset. re autem declarata

uenientibus clero et populo ac Fabiano cancellario, dem ecclesie rectore, sigillum quod diu ille uir inte- n tulerat confractum est, et carta interius soluta est, in ea literarum uestigia non apparuerunt. tunc uero ıes qui affuerunt in laudem dei atque beati Hemerici ruperunt, et ut tantum beneficium memoriale esset, Ladislao, qui tunc temporis Pannonie prefuit, uni- iisque episcopis et principibus regni, quod uiderant et ierant super hac re notificauerunt. rex itaque Ladislaus ɔte diuine religionis cultor eximius, conuocato concilio ıdicto triduano ieiunio, nonas Nouembris corpus beati nerici cum honore eleuauit. qua die et postmodum in tis miraculorum uirtutibus confessoris sui merita decla- it Iesus Christus dominus noster, qui cum deo patre et itu sancto uiuit et regnat in secula seculorum. Amen.

LECTIONES

DE

S. GERARDO EPISCOPO ET MARTYRE.

(E breviario Strigoniensi sæculi XIII.)

Lectio I. Gaudia que Christi participibus hodierna dies contulit, ex beati patris nostri Christique martyris Gerhardi meritis fluxere. hic enim huius lucis lumen per Venetos parentes sortitus, dei gracia preueniente a puericia cepit domino nostro Iesu Christo deuotus existere et euangelicis documentis per omnia parere. nam religionis habitum puer accepit, sinistramque primi parentis uiam declinans, noui hominis secundum deum creati callem incedens, regionis per inobedienciam derelicte, scilicet paradisi gaudia iam adolescens studuit amare.

Lectio II. Igitur dum animi sinceritate sanctam uitam duceret, placuit dominicum uisitare sepulchrum, quatenus Christum propter nos egenum factum, pauper et inops sequeretur. egressus itaque de terra et de cognacione sua, tendebat ad orientem, ubi Abraham duces et pater multarum gencium factus est, quatenus et ipse in Abrahe semine, id est in Christo datam benedictionem peregrinacionis sue labore ut credulus Abraham possideret.

Lectio III. Peruenit denique ad partes Pannonie, quarum habenam tunc christianissimus rex Stephanus gubernabat, quem uir domini humilis atque supplex adiit, causamque sui itineris aperiens, ampliori dilectione est ab eo receptus. quem ubi rex moribus atque disciplinarum

documentis bonum Christi odorem fore intellexit, clam dimissis itineris sui comitibus, hunc solum inuitum tenuit, custodiamque adhibuit. postquam seruus domini se solum inherens reperit, tumultum populi deuitans, in eadem regione heremum, que uulgo Beel uocitatur peciit, ubi per septem annos ieiuniis oracionumque exerciciis deditus, excepto Mauro monacho solus habitauit.

Lectio IV. Interim prefatus rex Stephanus ut robustissimus Iosue impietatem gencium deleuit, crudelesque paganorum mores superauit, ac plurimorum corda ad sancte fidei semina preparauit. uidens autem rex regnum suum pacis tranquilitatem adeptum, seruum domini ab heremo conuocat, pontificalique infula decoratum, populo suo predicare destinauit. cui superna pietas tantam graciam contulit, ut eum omnes loci illius incole unice amarent et ut patrem colerent, ac iam pater multorum tanquam patriarcha Abraham haberetur.

Lectio V. Crescente uero fidelium numero ecclesias deo per singulas urbes fabricauit. principalem autem ecclesiam in honorem s. Georgii preciosissimi Christi martyris ad littus Morisii fluminis fundauit. unde et Morisenam sedem appellauit, quam beatus rex Stephanus dotalibus muneribus nobiliter ditauit. in qua ecclesia ad honorem matris saluatoris nostri uenerabilem erexit aram, ante quam turibulum argenteum fixit, cuius ministerio duos prouecte etatis homines adhibuit, qui iugiter uigilarent, quatenus ne ad unam horam odor thimiamatis deesset.

Lectio. VI. Post mortem beati Stephani regis orta sedicione in Pannonia, uir sanctus de Alba urbe regia egressus, ad ecclesiam sancte Sabine peruenit, ubi fratribus cenantibus clara uoce dixit: fratres amici, cras ad cenam agni uocamur, et ideo absque excusacione properemus, et pro Christo moriamur. altera autem die missa celebrata letus ad Martyrium properabat. ubi igitur ad

fluuium Danubii peruenit, mox turba malignorum circumfunditur, lapidesque in eum sedentem in curru proiiciunt, deinde equorum collis retortis plaustrum subuertunt, patremque humi deiiciunt. ipse autem positis in terra genibus uoce magna clamabat dicens: domine Iesu Christe, ne statuas illis hoc peccatum, quia nesciunt quid faciunt. et cum hoc dixisset, in pectore lancea percussus, primus martyr Pannonie effectus, obdormiit in domino. Amen.

VITA

S. GERARDI, MORESANÆ ECCLESIÆ EPISCOPI.

E codice Lunælacensi bibliothecæ palatinæ Vindobonensis.

---

(1) Gerardus nacione Uenetus, de ciuitate Ueneciensi natus in palacio patricie familie. pater autem eius cum esset inter alios conciues acceptabilis, et placeret omnibus eiusdem ciuitatis habitatoribus, fama bona distinctus est in longinquas regiones. duxit autem sibi uxorem de eadem ciuitate, moribus ornatam, a parentibus in timore domini eruditam, eleemosinis bonisque operibus ceteras mulieres preeminentem. que candelas uel lucernas aliasque eleemosinas per se uel per alias domicellas ecclesiis quotidie ministrabat. pater autem eius cum esset diues, inuitabat presbyteros, clericos, amicos et uicinos, quos in mensa sua splendide reficiebat. quadam autem die ait uxori sue: mulier esto secura, et ora deum et sanctam eius genitricem, ut nobis donet heredem. multos enim transegerat dies sine liberis. tribus itaque annis euolutis in die beati Georgii martyris filium, quem a domino postulauerant, receperunt. unde in baptismo Georgius est nominatus. erat autem carus parentibus, a quibus educatus cum esset annorum quinque, cepit magnis febribus estuare. quod uidentes parentes eius, obtulerunt eum sancto Georgio martyri cum oblacionibus, ad eius monasterium deferentes puerum pro obtinenda sanitate coram abbate et monachis. ad quorum oraciones cum esset sanatus, uestitus est habitu regulari. transacto

autem in scholis monachorum quinquennio, magister eius considerato sagacitatis eius ingenio mirabatur, quod eos qui ipsum preuenerant sciencia preueniret.

(2) Factum est autem ut ad imperium summi pontificis tota Christianitas cruce signata ad sepulchrum domini Ierosolima se proficisci prepararet, pro eodem loco sancto pugnaturi. inter quos pater Georgii, gracia dei se protegente prosperum iter arripiens, ad sanctum locum sine lesione peruenerit. cum autem ibi esset christiana acies in oracione, et exspectaret de celo auxilium, offerens unusquisque oraciones domino solemnes, et cohors incolarum de sua uirtute confidens in aciem christianam non modica improperia emitteret, habens fiduciam in fortitudine armorum, auxilium Machometi, per quod plebem christianam existimabat posse superare. unde factum est, ut Christiani uictoria obtenta cum gaudio remearent, et pater Georgii, sicut desiderauerat adhuc domi existens, in terra sancta meruerit sepeliri. quod cum matri Georgii innotuisset, plorans et lugens maritum longo tempore, ueniens ad prenominatum monasterium, lugensque uirum dicebat: heu me Gerharde, cui nunc dimisisti filios tuos. propter quod petiuit patrem monasterii, ut et filio suo Georgio nomen patris imponeret, et ex illo die uocatum est nomen eius Gerhardus.

(3) Ipsa autem postquam Rineto filio suo iuniori uxorem accepisset, plena bonis operibus quieuit in pace, et sepulta est in eodem monasterio superius nominato. igitur Gerhardus in ipso monasterio habitans, magis deo quam uanitati adherebat. unde despectis omnibus que sunt huius mundi, religionis habitum quem susceperat, et uotum quod deo uouerat, implere sollicitus festinabat. propter quod iunctus probatorum monachorum cetui, ad omnia

sibi ab abbate iniuncta exhibebat obedienciam sine mora. cumque uenisset ad tempus prouectioris etatis, placuit omnibus ipsum preficere officio prioratus. in quo cum sine reprehensione conuersatur, factus est fratribus ceteris regularis disciplinę in exemplum. unde octauum gradum humilitatis, qui docet uitam communem sibi eligere, non solum moribus exercebat, sed eciam in quantum patris spiritualis licencia permittebat, atque iustorum exempla hortabantur, festinabat implere.

(4) Omni enim tempore preter dies festos ac dominicos, in quibus matutinorum aut aliorum synaxium cantus et lectiones acrius solent extendi, cilicio aspero utebatur, cumque sic permanendo se affligeret, nunquam communitatis sibi iniuncta officia negligebat. igitur cum intentus esset uerbis prophetarum et apostolorum orthodoxorum eloquiis, perscrutabatur diligenter exposiciones eorum. nemo unquam uidit illum uerbosum aut ociosum uel uinolentum, uel propter iusticiam aut ueritatem aliquando sub silencio abscondendo tacentem. dicebat enim: melius est irasci, quam sub silencio abscondendo conculcare ueritatem. si quando uidisses ipsum iratum, statim reuertebatur ad semetipsum. sicque permansit in monasterio studiis inherens ad tempus omnibus diebus, quibus onus huius mundi portauit. quadam die cum abbas suus Gwillermus conuentui interesset, dixit: fratres karissimi, necesse est ut ex uobis aliquos quos inueneritis apciores, pro adipiscendo fructu sciencie ad studium transmittamus, ne ordo patris nostri sancti Benedicti in scienciis liberalibus detrimentum paciatur. placuit autem uerbum fratribus, et constituerunt Gerhardum et Sirdianum, quos datis expensarum necessariis Bononiam transmiserunt, ubi notabiliter egregieque in scienciis grammatice, philozophie, musice et decreti, omniumque liberalium scienciarum artibus in-

structi, quinto tandem anno reuocati sunt, ipsarum scienciarum libros secum apportantes.

(5) Defuncto itaque patre monasterii, magister Gerhardus eligitur in abbatem, quod suscipere renitentem, fratres conuentus tanquam inobedientem increpabant, per quos tandem pater monasterii, licet inuitus ordinatus est. tempore autem quo prefatum monasterium regebat, se ipsum diuina gracia in exemplum cunctis fratribus exhibebat. omnia uidelicet que ducebat discipline esse contraria, in suis iudicabat operibus non agenda. post aliquot autem annos, quibus preerat prefato monasterio, uolens proficisci ad monasterium beati Ieronimi in Betlehem, uisitareque sanctum locum quem Christus glorificauit sua presencia, officium quod susceperat tentabat resignare. quod statim cum fratribus innotuisset, quibusdam placuit, quibusdam uero discessus patris merorem grauissimum et anxietatem spiritus incussit. unde assumto itinere nauem Zadriensium mercatorum ingressus, cum suis comitibus nauigacionem inchoauerunt. exorta est autem eis magna difficultas remigandi in mari propter contrarium ueptum et mariuam tempestatem. unde applicuerunt cuidam monasterio, in quo contigit dominum Rasinam abbatem monasterii s. Martini, olim amicum suum peculiarem adesse. factum est autem ut propter tempestatem progredi non ualentes, compulsi sint, tota quadragesima ibidem demorari, quod dominus Gerhardus grauiter tulit. cuius mesticiam Rasina considerans ait: ne causeris domine Gerharde de discrimine uie tue. uoluntas enim dei est, ut ita fiat, quamdiu uero mecum eris, tibi et tuis comitibus uictui necessaria ministrabo. sed interrogo te, ut iuxta intellectum sciencie tue respondeas mihi, cum sis magister in Italia, et abbas tuus Gwillermus pro eo te misit ad studium, ut doctor fratrum fores seu fieres, inde rediens diuina proui-

dencia abbas effectus es, omnibusque placuisti a puericia, nunc uero tam solemnem locum deserens, et fratres pleno merore relinquens, ad gentem ignotam pergere festinas. fuitne aliquis tantum in hoc consilio. cui ille: nemo, et dixit: si nemo, ergo minime prodest, si autem aliquis, ergo credere possem, aliquatenus ad profectum. nunquam enim legimus aliquem monachum claustralem pro huiusmodi negocio Ierosolimam quesiuisse, exceptis duntaxat gyrouagis. laicis enim hec uia constituta est pro terra sancta preliandi, monachis uero alia, quam caritas uestra non ignorat. ibi enim cruciferi pugnare tenentur. ibi uituperabunt Iudei genitricem saluatoris nostri te presente, quod tibi nequaquam utile erit audire. ne putes ut te uelim reprehendere, sed ideo tantum confero, ut animaduertas et mente pertractes, utrum bene egeris, an non. qui erubescens ait: sicut fuerit uoluntas in celo, sic fiat. memorans dictum illud euangelicum: capillus de capite uestro non peribit.

(6) Transactis autem diebus quadragesime ait abbas Rasina: domine Gerharde quid cogitasti. certe de itinere tuo non erubescas, mihique cordis tui propositum aperias. scio enim quod bonum desideras et non malum, et quod humanum propositum in articulo positum ad diuersa machinatur. respondit ille: omnia que dixisti usque modo, et maxime uersiculus ille quem in fine protulisti, quia uerissimus est, et noueris in ueritate quia cor meum diuisum est. cui ait Rasina: si diuisum ergo infirmum, quamobrem infirmis sanitas est summa medicina. crede domine Gerharde me fidelem socium tuum esse, unde recognosce si ueritatem dixero. at ille ait: libenter. et ait abbas Rasina: ecce pergis Ierosolimam ad predicandum Saracenis et Iudeis. quomodo te recipient, qui apostolos non receperunt. in mari uero si naufragium tibi euenerit, una cum sciencia tua in profundum submergeris, neque enim es Ionas pro-

pheta, ut possis in uentre ceti tribus diebus permanere. igitur placeat tibi consilium meum, ut conuertas mentes infidelium, ad liberandum animas a demonibus possessas, sanctorum apostolorum imitando exempla. quod hac uice plebs Ungarorum maxime requirit, neque in mundo ad lucrandas animas domino locum ad presens inuenire poteris apciorem. ego autem paratus sum caritatem tuam in omnibus adiuuare. unde subridens dominus Gerhardus mirabatur in uerbis suis, quia nunquam tale quid ascenderat in cor eius in predicacione et conuersione Ungarorum, pro quibus ipse Rasina tam sollicite laborare nitebatur. diffiniuit ergo apud se dominus Gerhardus acquiescere consiliis abbatis Rasine.

(7) Ascendentes ergo simul nauem uenerunt Zadriam, ubi ordinatis uictui necessariis, librisque asinis suis impositis, assumto secum quodam ductore, Crato nomine, qui uias ac semitas illarum parcium nouerat, quos ad preceptum domini sui usque in Engat sine offensione conduxit, indeque associato conductore alio ordinato, dictus Crato tendebat uersus orientem ingredi. tandem Quinqueecclesias ad dominum Maurum episcopum peruenerunt, cumque ibi moram facerent episcopo eos retinente, accidit dominum Anastasium Waradiensem abbatem illis diebus Quinqueecclesias peruenire, qui ab eodem episcopo susceptus est. cumque idem abbas Anastasius tam egregium clericum religiosum cognouisset episcopo narrante de Ytalia aduenisse, uenit ad eum festinans, ubi habitabat in quadam domo separatim, cumque mutuo loquerentur, cognouit eum tam in uerbis discrete prolatis, quam in habitu corporis hominem deum metuentem esse. hys peractis die sequenti Maurus episcopus una cum domino abbate uenientes ad domum ubi hospitabatur, prebuerunt ei consolacionem fraterne caritatis. inter mutua autem colloquia ait

Anastasius abbas: auctore namque deo tempore huius uenerabilis regis nos uenientes in hoc regnum primi predicauimus populo uerbum dei, et nunc licet immeriti, facti sumus tu episcopus, ego uero abbas. dominum autem Gerhardum eadem deuocione estimo aduenisse. ponentes ergo eum in nostro uehiculo, ducamus ad regem, quem a nobis pro magno munere acceptabit, qui nobis precepit omnes uenientes recipere, et quos ydoneos cognouerimus pro persona sua specialiter reseruare. ad hoc uero respondit episcopus dicens: tu, inquit, abba nosti, a diebus quibus sanctus Adalbertus magister noster intrauit regnum Ungarie, qui hunc regem adhuc, cum paruulus esset, erudiuit, et nunc in iuuenili etate constitutum, scimus cunctis cum eo habitantibus benefacientem. sed et labor noster uacuus non fuit, nam quos antea uidimus ydolis seruire, modo uidemus Ihesu Christo feruenter adherere. non enim sine nutu dei credimus fore factum, ut dominus Gerhardus in hanc prouinciam per tanta discrimina aduenerit, quem dominus Ihesus usque ad nos perduxit, ut non solum temporalis regis graciam inueniat, sed et sempiterni. ad quos Gerhardus submisso uultu humiliter respondit, dicens: benefaciat uobis deus omnipotens reuerendi patres mei et domini, pro cuius amore laboratis, me ignotum amore fraterno diligentes. sed quia caritas in necessitatis articulo elucescit, nolo uos latere, ob quam causam deuenerim in hanc regionem. inerat mihi uoluntas seruire creatori meo in patria, in qua ipse pro salute cunctorum se subdidit seruituti. disposueram enim mare transire, ut locum dominicum uisitarem, sed uento contrario prohibente, uotum quod conceperam non potui adimplere. unde admonente domino Rasina ad Danubium conuerti iter meum, illicque disposui mediante uestro auxilio posse peruenire. cui responderunt: cessa Gerharde ab hoc proposito, et noli distrahi per huiusmodi cogitaciones. uoluntas enim

dei te adduxit huc. ubi enim uoluntas dei, ibi omnia bona. nam libris beati Ieronimi, qui Ierosolimis sunt scripti, totus mundus particeps effectus est, tu uero scribe, doce, predica, conuerte in Ungaria, donec tempus est laborandi. Maurus autem episcopus dominum Gerhardum a die inuencionis sancte crucis usque ad diem apostolorum Petri et Pauli apud se retinuit, in quo festo dominus Gerhardus fecit sermonem ad populum super uerbo: hi sunt uiri misericordie, abbasque Waradiensis uocatus per episcopum huic festiuitati intererat, qua peracta assumsit secum Gerhardum, tenuitque eum usque ad festum s. Benedicti in Waradino, in quo fecit sermonem ad populum super uerbo: iustus germinabit sicut lilium, cui Maurus similiter intererat. cognouit autem episcopus Gerhardum esse ducem uerbi, et dicebat, quia a die in qua cepit uerbum dei disseminari in Ungaria, talis clericus non fuisset uisus in eadem prouincia. ipse tamen semper intendebat Ierosolymam.

(8) Factum est autem cum beatus rex Stephanus pro celebrando festo beate uirginis annuali Albam uenisset, tunc mos erat conuocare abbates et episcopos, ut sacre solempnitati simul interessent. quapropter Maurus episcopus et Anastasius abbas, domino Gerhardo secum assumpto, ad ipsum diem festum ad regem Albam uenerunt. captata autem opportuna hora salutauit regem, cumque uidisset rex Gerhardum, ait clam ad episcopum, unde uenit iste ad nos, apparet enim mihi homo esse timoratus. cui episcopus respondit dicens: de ciuitate Ueneciensi Ierosolimam accelerat properare. egregius enim est clericus. cui rex ait: numquid si hic nobiscum permanserit, dei clericus erit, et nos serui dei sumus. quomodo potest hac terra inuenire ad seruiendum deo meliorem. non permittatis eum abire, expectet adhuc modicum, donec iuuante domino debellabo Achtum inimicum meum, et dabo illi ciui-

ɔm Morisenam, ut in ipsa episcopus ordinetur. in cras-
› autem conuocans eum rex ad se ait illi : bene ueneris,
uit bone uir, faciat tibi deus bene hic et in futuro. at
flexis genibus cum resalutaret regem ait: ad uestre
ie maiestatis dignacionem ueni, peregrinus enim sum,
osolimam proficisci cupio, socios enim habeo, qui de-
ndunt mecum in Danubio. cui rex: desine, inquit, bone
ab hac intencione tua, et permane nobiscum, ut bene
i sit. magis predica hic populo meo, credentes confirma,
ideles conuerte, neophicam plantacionem irriga, et
bo tibi in regno meo potestatem predicandi. daboque
i conductores, qui tibi seruiant die ac nocte. tu tantum-
›do aperi os tuum, et semina in corde populi huius se-
ɔn uite. Ierosolimam ire noli, neque enim te permittam.
ce dedi tibi hodie episcopatum urbis Morisene. quo au-
o rursus ipsum salutauit, et deinceps uocatus est Ger-
rdus electus. quo facto scissum est cor eius, et uincu-
n consilii eius ruptum, et quod a multis facere statuerat
ɔbus, hoc postposuerat in momento.

(9) Igitur adueniente festo beate uirginis Gerhardus
lutus, assumpto interprete uidelicet Conrado Albense pre-
sito, ascendit pulpitum seu ambonem super uerbo: mu-
r amicta sole, sermonem ad populum inchoauit. non fuit
riptura de qua non proposuisset exemplum, rege popu-
que spectantibus ac mirantibus omnibus Christianis de
nta uerbi diuini consolacione, propter quod ipsum rex
mium diligebat. consummato festo cum unusquisque re-
easset ad propria, rex Gerhardum retinuit apud se, ad-
bens ei custodiam et solacia in palacio sibi congruenti,
citque eum filii sui Hemerici ducis magistrum diebus
ultis. factum est autem cum uideret beatum ducem He-
ericum crescere in uirtute, hostemque humani generis
hristo auxiliante uiriliter superare, tumultum populi fu-

giens heremum peciit, que uulgo Beel uocatur, ubi continuis septem annis ieiuniis et oracionibus et uigiliarum exerciciis deditus, immobilis remansit, edificans sibi cellam, in qua dictabat libros, quos propria manu scribebat. quadam autem die dum dictaret, et pre nimia imaginacione forte dormitare cepisset, uenit cerua una cum pullo suo, et se iuxta eum in terra ambo deposuerunt. ecce autem ceruus fugiens ante lupum impetu magno irruit super eos, unde cerua fugiens ipsum pullum circa electum reliquit, qui latere cupiens, atramentum eius quo scribebat, in terram subuertit. domum autem uenientem pullus secutus est, paneque nutritus, amplius ab eo non recessit. alio autem tempore sanctus Gerhardus cum portaret sarcinam, ante portam lupum iacentem reperit. quem cum uulneratum esse conspiceret, portam ei apperuit, lupusque cum eo intrauit. cum autem sarcinam deposuisset, lupus ante pedes eius in terram se prostrauit, nec prius surrexit, nisi sanitatem reciperet. ab illo autem die tam pullus cerue, quam lupus ibi permanserunt, et exibant per portam ad pascua, et pascebantur, nec alterutrum molestabant.

(10) In diebus illis erat quidam princeps in urbe Morisena nomine Achtum, potens ualde. qui secundum ritum Grecorum in ciuitate Budin fuerat baptizatus. qui nimium gloriabatur in uirtute et potencia sua. habebat autem septem uxores, pro eo quod in religione christiana perfectus non fuerat. regi autem Stephano honorem minime impendebat, confidens in multitudine militum et nobilium suorum, supra quos dominium exercebat. equorum eciam indomitorum multitudinem habebat innumerabilem, exceptis his, quos pastores in domibus sub custodia seruabant. erant ei et pecora infinita, que omnia habebant pastores suos deputatos, insuper allodia et curias. et usurpabat sibi potestatem super sales regis descendentes in Morosio, con-

stituens in portibus eiusdem fluminis usque ad Ticiam tributarios et custodes, conclusitque omnia suo tributo. accepit autem potestatem a Grecis, et construxit in prefata urbe Morisena monasterium in honore beati Ioannis Baptiste, constituens in eodem abbatem cum monachis grecis, iuxta ordinem et ritum ipsorum. seruiebat namque eidem uiro terra a fluuio Keres usque ad partes Transiluanas, et usque in Budin et Zeren, que omnia sub sua concluserat potestate. unde precedebat in multitudine armatorum regem, ac minime reputabat. et erat quidam miles ualde honoratus nomine Chanadinus, qui ceteros dignitate precellebat, quibus ipsum dominus preposuerat. hic accusatus est apud dominum suum ardua accusacione, pro qua ipsum dominus interficere cogitabat, cumque obseruaret tempus quo eum perderet, loquens secum in dolo, quod ipsum Chanadinum non latuit. unde fugiens occulte uenit ad regem, quem rex ad Christum conuertendo baptizauit. uolens autem fidem ipsius experiri, explorando secreta domini sui intellexit, quod non dolose ad ipsum confugisset. unde cognita eius fidelitate et perseuerancia, ait ad optimates suos: preparamini contra Achtum aduersarium meum in prelium, et preoccupemus regnum eius. in quo sermone adhuc examinabat Chanadinum, quatenus eius fidelitas amplius probaretur. cumque hoc audisset Chanadinus, gauisus est ualde. addidit quoque rex dicens: eligite e uobis talem uirum, qui sit princeps noster in prelio. qui respondentes dixerunt: et quis apcior inueniri potest Chanadino. quem eis in principem constituerunt. respondit Chanadinus: sicut enim domino meo regi placet, sic Christianis nouus Christianus sum, nouiter baptizatus nouum subire prelium uolo, paratus sum mori et uiuere uobiscum. egredimini igitur et preliemur contra hostes domini mei regis. bonus uisus est sermo in oculis omnium. congregantes autem exercitum, egressi sunt omnes in pre-

lium, cumque transissent Ticiam, inierunt certamen contra Achtum et exercitum eius. factusque est fragor et sonitus magnus, et durauit bellum usque ad meridiem, et ceciderunt uulnerati multi hinc et inde ex utraque parte. unde exercitus Chanadini fugam iniens latuit in uepribus Kwkyner et in Zewreg, et in omni Canysa usque ad Ticiam. Chanadinus autem eadem nocte castra metatus est ad quendam montem, quem postea Orozlanus nuncupauit. Achtum autem posuit castra sua in campo nomine Nagenz. exploratores autem utriusque partis uigilantes, hinc et inde discurrebant. igitur Chanadinus noctem illam ducens insompnem, orabat ad sanctum Georgium martyrem, ut sibi a domino celi auxilium impetraret, uotumque uouit, ut si aduersarii uictor existeret, in loco oracionis quo genua flexerat in terra, in honore eius monasterium edificaret. cumque pre nimio labore et fatigacione ipsum sopor inuasisset, apparuit ei in sompnis forma leonis stans ad pedes eius dicensque ei: o homo quid dormis. surge uelociter, cane tuba, egredere in prelium, et superabis tuum inimicum. cumque euigilasset uidebatur sibi ac si duorum uirorum uires recepisset. unde conuocato exercitu, sompnum quod uiderat enarrauit eis, dicens : post oracionem quam prostratus coram domino et sancto Georgio martyre effudi in hac nocte, inuasit me sopor, uidique ad pedes meos quasi leonem stantem, trahentemque me ungulis et dicentem, surge homo, quid dormis, congrega exercitum tuum, egredere in hostem tuum, qui nunc dormit, et uinces eum. quo audito laudauerunt deum, dicentes: Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison, pater noster. egressi sunt ergo in prelium sine mora, exspectantes per merita beati Georgii martyris auxilium de celo, qui eos in forma leonis dignatus est uisitare. et eadem nocte mox exercitus Achtum, qui iacebat in campo, alter ad alterum irruerunt, qui terga uertens iniit fugam. Achtum

uero interfectus est in loco prelii ab exercitu Chanadini. cuius caput auferentes, miserunt regi, et acceperunt in die illa spolia multa, repletique sunt gaudio magno, eo quod inimicus regi cecidisset. corpora uero Christianorum qui ceciderunt in prelio, tollentes duxerunt in Moroswar, et sepelierunt in cimiterio s. Ioannis Baptiste in monasterio Grecorum, quia in eadem prouincia aliud monasterium illis temporibus non erat. monachis autem ipsius loci eiusdem urbis tercia pars deseruiebat, quos Chanadinus non repulit, sed in eodem statu in quo inuenti sunt, manere permisit. quo facto Chanadinus assumens abbatem dicti monasterii cum aliquibus monasterii fratribus, uenit ad locum in quo ei leo apparuerat, ubi fecit signum, quatenus uotum quod sancto Georgio uouerat, adimpleret. in ipso quoque die societati sue conuiuium magnum preparauit. deinde transeuntes Ticiam, uenerunt ad regem. iam uero caput Achtum appensum erat super turrim porte ciuitatis. uidens autem rex Chanadinum, gauisus est gaudio magno, sed Gyulam socium eius super omnes extollebat. quo audito Chanadinus subridens ait: si caput regi attulit, cur eciam linguam non apportauit, qui regis inimicum interfecit. mentitus est enim Gyula presentato capite, asserens se regis aduersarium occidisse. cumque ad uisum regis caput fuisset submissum, et ore aperto lingua non fuisset reperta, Gyula propter mendacium de curia domini regis eiectus est. Chanadinus uero linguam de bursa exponens, a rege sublimatur, quem constituit principem domus regis et domus Achtum. ait enim rex ab hac die urbs illa non uocabitur Morisena, sed urbs Chanadina, pro eo quod inimicum meum interfecisti de medio eius, comes illius prouincie eris, ipsamque sub titulo nominis tui titulabis, prouincia Chanadiensis uocetur usque in generacionem. post hec ueniens Chanadinus ad locum ubi leonem in sompnis uiderat, in honorem beati

Georgii martiris monasterium edificauit, introducens illuc memoratos Grecos monachos de monasterio beati Ioannis Baptiste una cum abbate.

(11) Factum est autem postquam beatus Stephanus rex uidisset regnum suum a preliis quieuisse, seruum dei Gerhardum reuocauit de heremo. cumque ad regem uenisset ipsumque more solito salutasset, ait eum rex: molestaui te homo dei propter tempus importunum, nunc enim uoluntatis mee fuit, ut duodecim episcopatus quos in regno meo statuere decreueram, episcopis implerem. sed magis pependit in arbitrio aliorum, quorum arbiter sathanas fuit. et nunc episcopatum, qui ut estimo te respicit, assume. sed quia clericos, quibus solet decorari presul ecclesiasticus ad presens non habemus in obsequium uestri, tollamus ecclesiarum et monasteriorum clericos et monachos, qui secundum ordinem ecclesiastice institucionis sint nobis in diuino officio adiutores. ego autem comitibus meis precipiam, ut a populo tempore suo decimas exigant in bladis, quibus utaris. uolo autem ut nullus remaneat, qui eas non reddat. nullum enim defectum in temporalibus necessariis paciemini. tantummodo exercitate in Christi obsequio officium uestrum predicando, baptizando, ac infideles ad Christum conuertendo. igitur ad imperium regis congregati sunt monachi de diuersis regni monasteriis, de Waradino duo Stephanus et Anshelmus, de Zaladino duo Conradus et Albertus, de Beel duo Crato et Thazlo, de monte Pannonie quatuor Philippus, Henricus, Leonhardus et Concius. hi decem presbiteri erant et uiri literati, quos Chanadinus comes in currum suum ponens et in dyoecesin Chanadiensem ducens, et primo quidem in Orozlanos, ubi monasterium in honore beati Georgii martiris edificabat, sanctificato autem eodem loco magnum conuiuium fecit episcopo cum fratribus, quos eciam plurimis donariis re-

manerauit. inde proficiscentes uenerunt in urbem Morisenam, ubi erant monachi Greci, qui diuina secundum ritum et consuetudinem suam celebrabant. episcopus autem inito consilio cum comite Chanadino eundem grecum abbatem cum monachis suis transtulit in Orozlanos, monasterium uero ipsorum episcopo cum fratribus suis assignauit, qui in eodem habitauerunt donec monasterium beati Georgii martiris perficeretur. confluebant autem ad eum nobiles et ignobiles, diuites et pauperes, postulantes in nomine trinitatis deifice baptizari. quos ipse tanquam filios suos suscipiens, ad mensam suam reficiendi gracia inuitabat. ducebantur eciam multi per comites, quos constituerat rex, et baptizabantur in monasterio sancti Ioannis Baptiste, stabat enim multitudo populi ad ianuam in cimiterio, habentes secum uictualia, nec erat requies his, qui eos baptizabant, preter in nocte, et erat eis grandis labor. tamen pro Christi nomine in cuius opere desiderabant, ipsum laborem equanimiter et uoluntarie tolerabant, episcopus autem uerbum dei his, qui fuerant baptizati, continue predicabat.

(12) Inter prefatos uero monachos erant septem uiri literati, et ungarica lingua interpretes expediti, uidelicet Albertus, Philippus, Henricus, Conradus, Crato, Thazlo et Stephanus, qui eciam per se populo uerbum dei predicabant. per ipsos enim tota Chanadina prouincia sacri eloquii exstitit irrigata, qui archidiaconatus habentes, edificabant ecclesias in urbibus et uillis. populus autem, licet adhuc noue plantacionis existeret, tamen uerbum dei ferventi spiritu audiebat, meditando in lege domini die ac nocte. quadam autem die uenerunt triginta uiri ad episcopum neophiti petentes, ut tolleret filios eorum, quos literis eruditos in clericos ordinaret. quibus susceptis eos sub manu magistri Waltheri constituit, dans eis unam domum ad hec aptam, ut eos scienciis gramatice et musice infor-

maret. qui breui temporis interuallo in ipsis artibus non mediocriter profecerunt. quo uiso nobiles et magnates filios suos tradebant predicto Walthero ad instruendum pro adipiscendo fructu sciencie artis liberalis. isti sunt primi canonici in monasterio beati Georgii ordinati, quos episcopus sub maxima diligencia nutriebat, eo quod non essent alienigene sed patriote, quatenus per eos ecclesia dei posset magnificencius exaltari. igitur in festiuitate beati Ioannis Baptiste facta predicacione et data benedictione accesserunt ad episcopum quasi centum uiri postulantes sibi sanctificari loca pro ecclesiis construendis, de quorum deuocione episcopus non modicum letabatur, factoque conuiuio ipsos ad mensam inuitauit, cum ceteris tam diuitibus quam pauperibus qui aderant uniuersis. cumque surrexissent a mensa, obtulerunt episcopo uaria dona et munera et clenodia. uidelicet equos, boues et oues, tapecia plurima, mulieres uero anulos aureos et monilia. quibus dicebat episcopus : numquid propter hoc uos inuitaui, ut uestris bonis uos spoliarem. absit. sed uocaui uos ad audiendum uerbum dei. cui responderunt uniuersi dicentes: quia pater sancte audiuimus te hodie in sermone dei protestantem, sicut exstinguit aqua ignem, ita elemosina exstinguit peccatum. suscipe ergo que tibi offerimus pro Christi nomine, in quo sumus ad uitam renati. factum est autem cum episcopus egrederetur cum fratribus suis suam uisitare dyocesim, ut consecraret eorum cymiteria, qui erant ecclesias constructuri. a quibus recipiebantur tanquam sancti apostoli, signa et prodigia facientes, et munera ex eis omnibus que habebant prompto animo offerebant. illi autem prefati septem monachi preibant episcopum predicando et baptizando populum, in omnem locum, quo ipse erat uenturus, per quos applicabatur domino innumerabilis credencium multitudo. quorum oblaciones susceptas in urbem transmittebat Morise-

nam. episcopus autem erat in magna solicitudine ex parte pauperum scolarium ac monachorum et hospitum. ad cuius domum ducebantur paruuli et tradebantur ad scolas, qui tam sollicite informabantur ut noctes pro diebus computarentur. illi uero scolares triginta primi iam in lectura et cantu erant docti. quos dominus episcopus ad sacros ordines promouens, canonicos faciebat. mittebat eciam nuncios ultra Danubium, et congregabat scolares. quibus congregatis ipsos presbyteros ordinabat, eosque ecclesiarum rectores in parochiis faciebat. concurrebant ad eum Tewtonici, Bohemi, Poloni, Gallici et ceteri, quibus ordinatis parochias sue dyocesis conferebat. magister uero Waltherus uidens supercrescere numerum scolarium, laboris onere pressus, dixit ad episcopum: non sufficio huic, inquit, multitudini in utroque preesse officio, cantus uidelicet et lecture. mitte et adduc magistrum siue lectorem uel cantorem. misit ergo episcopus fratrem Maurum ad salutandum regem, precipiens ei, ut eciam scholas ingrederetur, que tunc in Alba solempnes erant, ut in ipsis scolaribus doctorem seu informatorem inueniret et adduceret. qui ueniens Albam peracto apud regem negocio intrauit scolas, ubi erat quidam tewtonicus nomine Henricus, qui erat puerorum uicemagister. quem cum allocutus fuisset, ille assensum prebens, acceptis libris suis uenit cum eo ad episcopum, quem episcopus gratanter suscepit et constituit eum scolaribus in lectorem, Waltherus autem preerat illis in cantura.

(13) Crescente igitur numero fidelium et clericorum, ecclesias uir dei per urbes singulas fabricabat, principale quoque monasterium, quod in honore beati Georgii martiris ad litus Morosii construxit, sedem Morisenam appellauit. beatus autem rex Stephanus ipsam nobiliter dotalibus muneribus exornauit. in quo monasterio aram ad ho-

norem dei genetricis erigens, et ante ipsam thuribulum argenteum fixit, duos prouecte etatis adhibens homines, in ministerio ad uigilandum, quatenus ad nullius hore spacium ibi odor thymiamatis deest. singulis quoque sabbathi diebus episcopus, sicut in assumpcione, laudum preconiis deuocionis sue affectum cum nouem lectionibus ibidem adimplebat. eisdem eciam diebus opera misericordie in pauperes amplius exercebat, ceteris autem diebus, matutinis peractis ac uesperis, consueuerat bis ad eius uenerandum altare cum processione uenire. sanctus ergo uir propter honorem beate uirginis tanto humilitatis studio insistebat, ut qualiscumque reus de eius familiaribus adductus fuisset, et pro nomine matris Christi ab eo indulgenciam postulasset, audito nomine matris misericordie, mox perfusus lacrimis, eius peticionibus annuebat, et ueluti ipse esset reus, ita a reo ueniam postulabat. cuius nomen, uidelicet matris Christi proprium in Ungarorum generacione non exprimitur, sed tantum domina resonat. unde Pannonia a sancto rege Stephano familia beate uirginis appellata est. o beatorum uirorum felix industria, qui hanc stellam maris intuentes uite sue cursum dirigebant, quatenus ex rectura illius potuissent inter huius seculi fluctus remigare, uoluptatumque stillantem uoraginem deuitare, et portum quietis perpetue inuenire.

(14) Circa uero ecclesiasticam monasterii curam in tantum sollicitus erat ut estiuo tempore uascula in domo domini glacie plena ponerentur, in quibus lagena cum optimo uino quod inuenire poterat, pro consecracione sanguinis domini seruaretur. dicebat enim: hoc quod per fidem intro accipitur, hoc interius suaue inueniatur. nocturno denique tempore leprosum proprio in lectulo quiescere faciens, accepta securi siluam solus petebat, fasciculisque lignorum propriis humeris pro castigacione sui cor-

poris allatis, mercenariorum sibi seruiencium labores sepius releuabat. quando autem de loco in locum properabat, non quolibet iumento, sed modico utebatur uehiculo, in quo residens, libros quos ex spiritus sancti authoritate compilauerat, relegebat. uestimentis aut cilicio, aut hispidis arietum pellibus frequencius utebatur. unde sicut sepius contingit sanctis hominibus, cum aliquando ex negligencia sui aurige, seu alia qualibet iniuria lesus fuisset, precipiens culpabilem hominem protinus flagellis aggrauari aut uinculo mancipari, cuius iussioni ministri obedientes, sed paternitatis eius dulcedinem non obliuiscentes, secus uiam qua sanctus pater erat transiturus, hominem reum ad stipitem ligabant, ac in nudo dorso eius gallinatico seu cuiusuis animalis sanguine depingebant. at ubi uir dei ueniens, crudelitatis sui intuens memoriam, saltum de plaustro suo faciens, ad ligatum hominem properabat, stipitemque, manus et brachia, uincula et pedes eius osculabatur, munera promittens, si ueniam et misericordiam ab homine iam soluto consequi mereretur, et si tunc homo adstares et uideres, certe diceres hunc dei uirum pro tanta humilitate et simplicitate effectum illum puerum, quem saluator discipulis ad imitandum humilitatis exemplum statuisset. quamuis autem episcopalem dignitatem magna prouidencia gubernaret, erat tamen ei magna sollitudo pro comisso grege. nam quocies aliquos filios suos, quos genuerat, beatus rex Stephanus uirga equitatis pro scelere uoluisset corripere, hos pater zelo pietatis et misericordie lacrimis defendebat. accidit autem quodam tempore, ut pro defensione cuiusdam ad regem properaret. et in eiusdem regionis parte siluosa, que usui porcorum erat apta, sita erat quedam uilla, in qua meridie hospitatus est. ubi circa mediam noctem audit strepitum molarium, quod ipse alias non uiderat. mirabatur quidnam hoc esset. continuoque mulier, que molam trahebat, cantare cepit.

admirans autem episcopus dixit ad Waltherum: Walthere audis symphoniam Ungarorum, qualiter sonat, riseruntque ambo de carmine isto. cumque mola solius manu traheretur mulieris, et cantus cresceret in altum, episcopus autem lecto interim iaceret, adhuc subridens ait: Walthere edissere mihi quis istius melodie cantus sit, qui meam cantoria sua cessare compellit lectionem. at ille : ista modulacio carminis est inquit, mulier que cantat ancilla est huius hospitis apud quem hospitamur, que molit triticum domini sui, tempore quo alia molendina in regione ista reperiri omnino non possunt. cui episcopus : arte, inquit, currit an labore. ait Waltherus: arte et labore, non quolibet trahendo iumento, se propria manu circumferendo. o miranda res, ait episcopus, qualiter se pascit humana generacio. nisi enim esset ars, laborem quis posset tolerare. felix inquit mulier, que sub alterius potestate posita, sic dulciter debitum seruicium absque murmuracione lete impendit. cui eciam non modicum pondus pecunie portari precepit.

(15) Factum est autem postquam uenisset ad regem, et sua negocia feliciter peregisset, cum quidam nobilis graui scelere apud regem accusatus fuisset et multitudo nobilium ei ueniam impetrare nullatenus potuisset, iste solus obtinuit. diebus autem quibus erat apud regem, episcopi, abbates, nobiles, sacerdotes et clerici erant congregati, qui admirabantur, de conuersacione et sanctitate eius deum glorificantes. monasterio autem beate uirginis, ubi sibi locum sepulture elegerat, illa uice quingentarum marcarum summam a domino rege obtinuit, cum decem peciis purpurarum uel quinquaginta peciis pannorum, a regina uero quatuor pecias purpure ac totidem sindones. ad opus quoquè sancti Georgii martiris mille marcas promisit, quas in diebus suis integraliter iuxta pro-

missum adimpleuit. erat autem consuetudo uiri sancti, ut nullum ex canonicis suis in uilla dormire permittebat, exceptis his qui ad uiam mittebantur. ceteri in una domo pausabant. si quis autem illorum ad matutinas non uenisset, ipsa die prebenda ei non dabatur. nullum eciam ex ipsis ad domum suspiciosam singulariter ire permittebat. dicebat enim eis, quid differtis a laicis si talia facitis, nisi in tonsura. qui in choro superpellicia habebant, extra chorum uero cappas rotundas ferebant. quemcumque autem ipsorum in crimine reperisset manifeste, eundem priuabat beneficio suo. ipse uero sancte religionis habitum, quem in puericia suscepit, nunquam mutauit. accidit autem eo tempore quod Chanadinus comes haberet quendam uinctum, qui pro reatu suo ad patibulum duceretur. qui euadens manus eorum qui ipsum uinctum ducebant, in monasterium beate uirginis insiliens euasit. qui eum uelociter subsequentes, usque ad ostium monasterii uenerunt, dicebantque ei: bene tibi uulpecula, que laqueum perdicionis euasisti, et cum pelle qua spoliaberis in foueam introisti. ex quo factus est risus magnus in populo. idem uero uinctus datus est monasterio pro pulsatore cunctis diebus uite sue. quodam autem tempore cum idem sanctus pater esset in loco suo cathedrali, et haberet secum capellanos, qui eius lateri adherebant, duos eciam monachos suos speciales, retraxit se ab eis et in cubiculo suo solus permansit, precepitque uni eorum dicens: ut infra triduum nullum ad eum intrare permitteret, nec ei cibum afferre deberet. quod cum factum fuisset, quarto die silenter exiuit et ad sue sepulture ueniens locum, ubi cooperto capite diucius plorauit. tandem ad capitulum ubi fratres conuenerunt uenit, cumque resedisset, fecit sermonem de cursu seculi, et inter hec ait monachis: scindetur, inquit, Ungaria, et soluetur a iugo Christianitatis, a sacerdotibus usque ad laicos, laborque meus et predicacio mea

despicietur, et uerbum dei non recipietur. clerus despectui habebitur, monachi erunt uarii coloris in habitu, et in diuersis conuenticulis morabuntur, deserta fugient et uitam solitariam non amabunt. multi eciam appetitu uane glorie laudes humanas querent, et erunt populo in parabolam et in derisum propter suam instabilitatem et presumpcionem. hec et alia que sanctus uir predixerat de gladio ulcionis in Albam regem, iuxta propheciam eius omnia euenerunt.

(17) Factum est autem postquam beatus rex Stephanus ad lucem fidei christiane Pannoniam conuertisset, eam sub patrocinio beate uirginis resignans, in die assumpcionis eiusdem matris domini carne solutus ad eternam requiem translatus est. post quem Petrus in regem coronatus est, cui cum omnes regni principes fidelitatem sub iureiurando spopondissent, Alba comes palacii, deiecto Petro regalem coronam et aulam regiam sibi usurpauit. quo regnante ut ait propheta, sanguis sanguinem tetigit, et peccatum peccato adiunctum est. nam sanctis quadragesime diebus honestissimos quosque sui consilii uiros fustibus et palis, uelut iumenta seu bruta animalia ausus est interficere. qui cum ad sedem Morisenam, ad locum beati Gerhardi pontificis uenisset paschalia sacramenta celebraturus, die uero dominice resurrectionis mittens principes et episcopos ad beatum pontificem ut per manus ipsius imponatur diadema regni super caput eius, ipsum beatum Gerhardum cepit inuitare. quo renuente et uenire nolente, episcopi qui aderant ipsum coronantes cum magno ornatu et comitatu cleri et populi in ecclesiam introducunt. at uir dei repletus spiritu sancto, stola candida coopertus, ascendens pulpitum cepit regem de sua crudelitate intrepidus redarguere, dicens: sancte quadragesime obseruancia peccatoribus data est ad ueniam, et iustis ad premium, tu autem

o rex, eam in occisione gladii tui polluisti, mihique nomen patris abstulisti, eo quod meis hodie dulcissimis caream natis. nil ergo indulgencie in hac die mereris. uerumtamen quia pro Christo mori paratus sum, uentura tibi prenuncio. ecce anno futuro tercio excitabitur in te gladius ulcionis, qui a te auferet regnum per te fraude acquisitum. cum autem amici regis liberalibus studiis eruditi hec audientes mirarentur, uolentes episcopum ab indignacione regis defendere, innuebant interpreti ut taceret. quibus interpres timore tactus consensit. at uero pater bonus senciens interpretem timore trepidare, cepit eum increpare magno clamore dicens: deum time, regem honora, paterna uerba prode. tandem interpres coactus pastoris declarauit sentenciam. que omnia postquam impleta fuissent, cunctis Pannoniensibus innotuit uirum dei spiritam prophecie habuisse. nam et eidem genti maximam sedicionem euenire predixit, in qua et martirii coronam se pronunciauit adepturum.

(19) Inde uno lustro euoluto, altero inchoante ipsa sedicio exorta est. cumque uir dei totam prouinciam Chanadiensem ad fidem Christi conuertisset, ecclesiamque cathedralem sub honore s. Georgii martiris consumasset, nec non monasterium beate uirginis in contigua ecclesia sancti Ioannis Baptiste pro sua sepultura similiter consumasset, easque per sanctum regem Stephanum nobiliter multis possessionibus dotari fecisset, plenus spiritu prophetico, anno undecimo post mortem sancti regis Stephani hoc ordine ad martirium accessit. cum ergo maxima discordia orta fuisset inter Petrum regem et Ungaros, Ungari miserunt solempnes nuncios post filios Wazul, Endre, Bela et Leuenthe, qui erant de genere sancti Stephani, petentes eos, ut de Polonia ad Ungariam uenirent. sicque Bela ibidem remanente, Endre et Leuenthe ad Ungariam uene-

runt. confluxitque ad eos uniuersa multitudo Ungarorum in ciuitate Pest. qui instinctu diabolico inflammati, supplicauerunt ut permitterent uniuersum populum ritu paganorum uiuere, episcopos et clericos occidere, ecclesias deuastare, fidem Christianorum abiicere et idola colere. qui permiserunt eos secundum desideria cordis eorum, ut irent et perirent in adinuencionibus antiquorum patrum suorum, aliter enim contra regem Petrum non pugnabant. primus enim inter renatos nomine Bacha dedicauit demoniis, rasitque caput suum ritu paganorum, sicque omnes fecerunt et demonibus libauerunt, et ceperunt comedere equinas carnes, et omnia pessima et enormia opera facere et exercere, clericos et omnes Christianos interficere, ecclesias destruere, et precones proclamare edictum Endre et Leuenthe, ut episcopi cum clericis et monachis et Christianis interficiantur, et memoria eorum pereat in eternum, et ritus patrum nostrorum reassumatur. quo audito sanctus Gerhardus, Beztridus, Budi, Beneta et Zonug comes, qui conuenerant ad Albam regalem cum multitudine Christianorum, egressi sunt de Alba uersus Budam, ut Endre et Leuenthe honorifice susciperent. cumque predicti episcopi festinanter uenissent ad locum qui dicitur Dyod, in ecclesia sancte Sabine sanctus Gerhardus missam celebrauit, et exhortacionis gracia de fide catholica premioque uite eterne solempnem sermonem populo assistenti fecit, in fine autem sermonis in lacrimas prorumpens sic ait: fratres et coepiscopi mei, et omnes alii fideles qui adestis, scitote nos hodie ad dominum nostrum Iesum Christum cum corona martirii in eterna gaudia peruenturos. ego enim notum facio uobis archanum dei, quod mihi in hac nocte reuelatum est. uidi enim dominum nostrum Iesum Christum in gremio sanctissime matris sue uirginis sedentem, nobisque ad se uocatis, de manu sua corporis et sanguinis sui ewkaristiam porrexit, Beneta uero episcopus

cum ad eum accessisset, retraxit ewkaristiam Iesus Christus, unde ipse hodie consorcio martirii nostri priuabitur.

(20) Post hec beatus Gerhardus ammonuit eos, ut confiterentur alterutrum peccata sua, et audita missa oracioni incumbentes, et certi de spe beatitudinis eterne martirium adipiscentes, letificati omnes communicauerunt, deinde perrexerunt uersus portum Danubii. beatus autem Gerhardus cum esset breuis statura, omnesque uires suas in seruicio dei funditus consumpsisset, currus subuectione utebatur. cum autem ad portum Pest uenissent, ecce quinque uiri impii Vata et complices eius demonibus pleni, quibus se ipsos dedicauerunt, irruerunt in episcopos et socios eorum, et eos lapidibus obruerunt. beatus uero Gerhardus eos quos lapidabant, indesinenter signo crucis insigniebat, more prothomartiris Stephani, primus in Pannonia martir, positis in terra genibus, clamauit uoce magna dicens: domine Iesu Christe, ne statuas illis hoc peccatum, quia nesciunt quod faciunt. at illi hoc uiso multo magis seuiebant, et impetum fecerunt in eum, et euerterunt currum eius in ripam Danubii, ibique abstracto eo de curru eius, in biga positum de monte Kreenfeld submiserunt, et dum adhuc palpitaret, in pectore lancea percussus, ac deinde super unum lapidem ipsum trahentes, contriuerunt cerebrum eius. sicque gloriosus martir Christi ex erumpnis huius mundi ad eternam beatitudinem transmigrauit in anno domini millesimo quadragesimo septimo. Danubiusque semper redundabat, et de lapide in quo contritum est caput sancti Gerhardi, nemo potuit sanguinem diluere per septem annos, donec recolligeretur a sacerdotibus lapis cum sanguine. corpus autem sancti uiri eodem die ibidem iacuit ubi martirizatus est. Budi quoque episcopus lapidibus obrutus transiit ad gloriam, Bistridus autem episcopus uulneratus est ad mortem, qui tercio die migra-

uit a seculo. Beneta uero episcopus per Endre ducem liberatus est. Zonug quoque comes preter Beneta cum omni multitudine et familia episcoporum interfecti sunt. illo enim die tanti Christiani trucidati sunt, quorum numerum nouit solius dei clemencia. sicque prophecia sancti Gerhardi completa est, et sic reuera patet, quanta sanctitate in uita sua fulserit hic pluribus graciarum donis a deo dilectus. erat enim uirgo, doctor decretorum, magister sacre theologie, a quinto anno puericie incipiens habitum sancti Benedicti portauit, nihilominus episcopali dignitate fultus, martir gloriosus, qui pro sancta ecclesia primus in Ungaria exstitit.

(21) Sequenti autem die in ecclesia beate uirginis in Pest cum maximo planctu tumulatus est in eodem habitu, in quo martirizatus est. quicumque autem infirmorum corpus eius tetigissent, uel sanguinem eius de terra collegissent, protinus a uariis infirmitatibus curabantur. dux autem Endre in Alba coronatus est, precipiens uniuerse genti sue sub pena capitalis sentencie, ut deposito paganorum ritu ad fidem Christi conuerterentur, et secundum statuta sancti regis Stephani uiuerent. quod et ita factum est. ipse enim rex pietate ualde christianus duo monasteria construxit, Tychonicum et iuxta Visegrad. cum igitur septem annis corpus sancti Gerhardi, ubi tumulatum erat, sub terra iacuisset, Maurus episcopus Chanadiensis, et Philippus abbas monasterii beate uirginis de Chanadino, quem sanctus Gerhardus adhuc uiuens abbatem prefecerat in predicto monasterio, abierunt ad regem Endre cum multitudine nobilium de episcopatu Chanadiensi petentes, quatenus corpus beati Gerhardi martiris, quod sepultum esset in capella beate uirginis in Pest, permitteret libere ad sedem Morisenam transferre. quam postulacionem impetrantes, cum ad tumulum sancti martyris peruenissent,

mira fragrancia ex sepulcro eius erupit, et corpus eius lucidum, tanquam nix repererunt, ac si eodem momento martirizatus fuisset. cum ergo sanctum corpus tulissent, concurrebat multitudo debilium, cecorum, claudorum, qui tacto corpore uel habitu eius omnes sanabantur, et cum propter multitudinem populi in die egredi non ualerent, nocte egressi sunt, et cum aliquantulum processissent, manus cuiusdam contracte mulieris, que corpus sanctum tetigit, mox restituta est sanitati. insuper iumenta que currum trahebant non sunt uisa comedere nec bibere, semper lete trahentes, quasi nullum pondus sentirent. currebant de uillis et de tota prouincia Chanadiensi uiri corpori obuiam, ut qui ipsos ad fidem conuerterat, dignaretur eciam apud altissimum pro ipsis intercedere. cumque ad fluuium Moros peruenissent, et more solito currus cum corpore in naui esset, nauem tota multitudo mouere non potuit. et cum remigia sua de manibus suis proiecissent, nauis tam uelociter fluuium pertransiit, ut arte humana nullatenus pertransire potuisset. ibi ergo Philippus abbas cum canonicis et monachis induti ornamento sacerdotali, cum magna processione sanctum corpus tollentes ad monasterium beate uirginis, quod ipse uiuens pro sepultura construxerat iuxta ecclesiam sancti Ioannis Baptiste deduxerunt. factaque est altercacio inter Philippum abbatem et canonicos. dicebant enim canonici quod in ecclesia cathedrali deberet sepeliri. e contra Philippus abbas authoritate apostolica quam uir uiuens procurauerat pro sepultura sua, dicebat sepeliri in monasterio beate uirginis. tandem primo canonici sanctum corpus portantes ad ecclesiam sancti Georgii, et tamen nullatenus deponere potuerunt, nec se deponi permisit, nisi in loco memorato, ubi elegerat sepulturam. unde hi qui feretrum portabant, ibant cum miraculo sequentes quo ducebantur inuiti. cum autem uentum fuisset ad predictum locum sepulture, tanto pondere

portantes sacrum corpus oppressi sunt, ut sicut unusquisque eorum postea referebat, quatenus si eis hoc grauamen in uia accidisset, ipsum corpus reliquissent. denique cum pre multitudine populi ipsum sepelire non possent, nec eciam diuinum officium per aliquas septimanas in ecclesia explere ualerent, inito consilio fecerunt populo conuiuium, cumque conuenissent ad manducandum, abbas cum episcopo et monachis clausis ianuis corpus uenerabile sepelierunt cum debita reuerencia et honore. habitum uero in quo fuerat interfectus, habentem capucium, quod alio nomine floccus dicitur, pallium de pilis camelorum, lapidem quo obrutus est, cilicium et flagellum, quibus castigabat corpus, hec omnia super sepulcrum eius collocau runt.

(22) Paruulus quidam contractus cum a parentibus suis delatus fuisset ad portum Pestiensem, solo osculo sancti martiris sanitatem recepit. uirgo quedam teutonica oculis caliginosis, tactu manuum eius, oculorum promeruit sanitatem. idem eciam nauta quidam casu accidente digitos manuum contriuerat remigando, erant quoque curui facti et retorti, qui cum magno dolore et clamore et eiulatu ad sanctum corpus uenit, quod cum tetigisset, sine dilacione sanatus est. quedam uirgo pulchra quidem facie, sed lippis oculis, per fratres suos ad corpus sancti martiris adducta, cum illud manibus tetigisset, statim lumen oculorum recuperauit. in sede autem Morisena, cum adhuc in feretro iaceret, cuidam sacerdoti nomine Petrus, qui erat monoculus, uisum restituit. item domina quedam, uxor uidelicet comitis Bech, que fuerat quondam de uxoribus Achtum, erat paciens grauissimam febrim, quam ipse sanctus baptizauerat. que facta oblacione ueniens ad sepulcrum eius, mox ut pallium eius fuisset osculata, sanitatem est adepta. paruulus quidam percussus a serpente

et carne eius intumescente grauissime torquebatur. qui a parentibus dum allatus fuisset, statim nec dolorem nec tumorem amplius sensit. quedam mulier canapum de aqua extrahens, a demone obsessa est. que cum mane ueniens iuxta corpus sancti martiris astitisset, mox a demonio liberata discessit. canonicus sancti Georgii guttam paciens grauissimam, post tres dies sanitati est restitutus. rusticus quidam habens bufonem in capite, qui propter aspectum terribilem quem habebat, ostium monasterii non est permissus ingredi, sed sancti martiris pallio in harundine suspenso, posuerunt super bufonem, trahentes in modum crucis huc atque illuc, procul stante populo, cecidit bufo in terram et rusticus sanatus est. post hec autem cum sancti martiris sanguis collectus fuisset in unum et positus in uasculo, eius tactu multi infirmi curati sunt.

Hec autem signa meritis sancti martiris durauerunt usque ad tempora beati Ladislai regis et domini Laurencii episcopi, qui a beato uiro quintus eius ecclesiam rexit. prefati autem sancti regis tempore a sacrosancta romana ecclesia constitutum est, ut sanctorum corpora, qui Pannoniam ad Christum predicacione sua conuerterunt, deberent summo honore uenerari. ueniente ergo sedis apostolice legato, facta est conuencio nobilium Pannonie, corpus sancti martiris canonizatum est per sanctum regem Ladislaum, anno domini millesimo sexagesimo octauo, portatumque est regis ac ducum manibus decenterque collocatum, ubi meritis sancti martiris per miraculorum reuelacionem superna gracia largissime corruscauit.

(23) *Post hec anno domini millesimo tercentesimo sexagesimo primo, deo deuotissima domina Elizabeth relicta Caroli regis Ungarie illustris domini, ex quo de quadam infirmitate sua per merita sancti Gerhardi conualuerat, ideo eadem domina ex deuocione quam ad ipsum sanctum Gerhardum habebat, monasterium ipsius uiri dei in edificiis extendit, et plu-*

ribus ornamentis preciosis et calicibus decorauit. insuper sepulcrum de argento et auro mirifici operis reliquiis eiusdem sancti releuandis parari fecit. tumbam uero similiter cum altari in corpore eiusdem monasterii construxit, in quibus in predicto anno beati martiris reliquias sic locauit, quod majora ossa ipsius poni fecit ad sepulcrum argenteum cum aliquibus reliquiis sanctorum. item minora ossa cum cilicio, flagello et cappa, in qua martirizatus est, locari fecit ad tumbam marmoream, cuius memoria in benedictione est. que eciam domina in anno domini millesimo tercentesimo octogesimo primo migrauit ad dominum, et sepulta est in ueteri Buda, in claustro monialium, quod ipsa fundauerat.

LEGENDA

ST. LADISLAI REGIS HUNGARIÆ.

E codice Lunælacensi bibliothecæ palatinæ Vindobonensis
sæculi XV.

DE SANCTO LADIZLAO REGE UNGARIE.

---

(1) Beatus rex Ladislaus ex illustri prosapia regum Ungarie exortus elegantissime effulsit. pater nimirum ipsius inclitus rex Bela primus, primi Andree regis clarissimi germanus exstitit. per cuius industriam ingenii, annis quibus regnauit respublica, ymo tota Pannonia ita ordinata et adaucta floruit, ut post tempora beati Stephani regis legibus, libertate, opulencia nunquam tam egregie enituit. in cuius quoque tempore Ungaria magis dicior quam antea, cepit libertatis caput plenis copie cornibus extollere super ethera, cunctasque fere regiones euincere diuiciis, honore et gloria. frater autem eius uterinus Magnus rex gloriosus Geysa a sua gente appellatus est, uir religiosus ac totus catholicus. qui adeo honestis moribus ac probis actibus decoratus fuit, quod si fraterna discordia inter ipsum et regem Salamonem non fuisset, interceptus sanctitatis merito et gloria dudum manifeste claresceret insignitus.

(2) Beatus itaque rex Ladislaus, tamquam de syderibus nouum sydus exortus, in ipso natiuitatis sue exordio gracie dei propositum habitu corporis et animi preferebat. et natus monstrabat infantulus qualis esset rex futurus. prouidencia nimirum conditoris, qui speciosus forma pre filiis hominum et innumerabilis sapiencie describitur, sic ad similitudinem suam in operis sui uicario bone spei ac uenture dignitatis fundamenta coniecit, ut ex prima composicione, decore sui corporis et mentis elegans puer ostenderet, cuius uicem adultus tenere natus esset. in hys itaque primis gracie donis exortus Ladislaus est uocatus. quod utique non sine presagio futurorum uidetur eidem esse impositum. nam si ethymologie nominis eius alludamus, Ladislaus quasi laus diuinitus data populis dicitur. laos enim populus interpretatur, dosis autem dans uel datum siue dacio. prima uero sillaba nominis eius laus est per paragogen, ipse quidem laus data erat populis, quia reuera beata gens et laudabilis populus, in quo talis princeps surrexerat. gloriosum extitit tanto rectore diuinitus concesso uisitari.

(3) Creuit itaque puer, et uirtutibus ante diem ei contingentibus superatis, et in incrementa de uirtute in uirtutem proficiens, cum ad primum uirtutis gradum ascendisset, habita ueri dei noticia, christiane fidei cultor factus eximius, puro mentis affectu deuotissime Christo seruire studuit. illustratus enim sancti spiritus gracia, arridentis sibi atque blandientis mundi gloriam caducam reputans et transitoriam, esuriuit atque sitiuit iusticiam, ut ad eternam feliciter perueniret patriam. quamuis enim mundus sibi florens albesceret, in eius tamen corde iam aruerat, cuius ipse concupiscencijs in spe filiorum dei crucifixus fuerat. in hoc itaque mortali corpore uiuens iam non ipse,

sed in ipso fidem rectam, ueram catholicam, in Christo Iesu fundatam in cordibus prophetarum patriarcharumque radicatam, apostolico preconio commendatam tota mente fideliter amplectendo tenuit. super hoc eciam fundatum gratum omnipotenti deo habitaculum et sancti spiritus sacrarium, ex auro, gemmis et lapidibus preciosis secundum apostolum edificauit. erat enim copiosus in caritate, longanimis in paciencia, pietate rex serenus, graciarum donis plenus, cultor iusticie, patronus pudicicie, consolator afflictorum, subleuator oppressorum, miserator orphanorum, pius pater pupillorum, miserorum et inopum necessaribus nomine uisceribus affluens subueniebat. in naturalibus autem bonis diuine miseracionis gracia speciali eum prerogatiua preeminencie super communem hominum ualorem pretulerat. erat enim manu fortis et uisu desiderabilis, et secundum phisonomiam leonis magnas habens extremitates. statura quippe procerus, ceterisque hominibus ab humero supra preeminens, ita quod exuberante in ipso donorum plenitudine, ipsa quoque corporis species regio dyademate dignum ipsum declararet. cum uero tanta bonorum preeminencia se uideret gloriosum, non in superbie tumorem est eleuatus, non aliorum iura dolose seu uiolenter occupauit, sed ei qui sine prouentu meritorum largiri bona consueuit, debitas pro acceptis beneficiis gracias agens, quidquid bonorum sensit in se diuino cultui mancipauit.

(4) Interea mira creatoris prouidencia, ne tantum decus occultum lateret, ne tanta uirtus quiesceret ociosa, presertim Ungaricis gentibus, utpote nouiciis adhuc prouido rectore plurimum indigentibus, aderat iam tempus oportunum, quo scilicet deus electum suum declararet et populum suum talis patroni uirtute protegeret et exemplis erudiret. electus itaque diuinitus princeps et prius officio

ducatus religiosissime perfunctus, tandem perniciosis regni ciuibus cum rege eorum Salamone sepius triumphans, nec tamen a malicia cessantibus, nisi Salomone rege carcerali custodia detento, cum consensu principum et consensu tocius Ungarie, felix regnum tali rectore ducencium, sine potestatis aut honoris ambicione, sine qualibet secularium rerum cupiditate, regni gubernacula suscepit. cum enim in arbitrio haberet, regiam dignitatem diuinitus sibi uendicare, non inungi, non in regem coronari festinauit, sed insignia regis ante se faciens cum honore deferri, regie dignitatis officium non ut presit, sed ut prosit adimpleuit. iam uero regie dignitatis officio dignissime suscepto, quantum se ac qualem exhibuerit, plus est quam uerbis queat explicari. non enim affluentibus diuiciis aut aliis temporalibus cor apposuit, sed eternum pro mente bonum semper habens, illud insaciabili desiderio cupiebat. illud indesinencium operum magnanimitate perquirebat. omnium quippe desiderabilium suorum deum esse non dubitans, et in illius majestatem tota mentis uirtute erectus, regum dignitate seruata, quod suum est unicuique tribuebat. dilexit deum propter se, mundi contemptibilia propter deum. erat ergo fidelis et deuotus in creatorem per uotum et oblatum, beniuolus in suam gentem, liberalis in extraneos, munificus in subiectos, misericors in afflictos, ualidissimus oppressorum liberator. erat itaque benignus in affectu, prouidus in consilio, uerax in sermone, constans in promissione, iustus in iudicio, serenus in corripiendo, in examinandis autem iudiciis tam non iudicare quam iudicari timuit, sibique magis terribile iudicium imminere credebat, quam his qui ab eo iudicabantur. unde rigorem iusticie lenitate temperans misericordie, talem se erga subditos exhibebat, ut ab eis pocius amaretur quam timeretur. regni quippe gubernaculum non solum honori sibi erat sed oneri. non enim sua, sed secundum apostolum que Ihesu

Christi sunt sine querela querebat. propter quod a proprietate rerum et nominis, quasi mutato nomine, ab omni gente sua pius rex uocabatur.

(5) Cum itaque ipse pius rex esset, armatus humilitate, potens pietate, precipuus tamen erat largitate. omnes enim ecclesie et monasteria regalia, siue ab eo, siue a quocunque alio fundata, elemosinis eius sunt locupletata. unde merito usque in hodiernum diem elemosinas eius enarrat omnis ecclesia Ungarorum. duosque episcopatus ordinauit et regia largitate locupletauit. erat enim magnus et munificus, secundum nomen suum gloriosum. ieiuniis et oracionibus iugiter insistebat. peccata populi sui plangebat, et in ara cordis semetipsum deo hostiam uiuam offerebat. quod si nocturnis uigiliis et prolixioribus oracionibus ipsum fatigari contigisset, non delicatum thorum repetebat, sed in exedris ecclesiarum paululum pausabat. quadam siquidem nocte monasterium Waradiense iuxta consuetudinem subiit ut oraret, factum est autem dum in oracione diucius moraretur, cubicularius eius, qui foris eum solus expectabat, pre nimia mora tedio affectus surrexit et introspexit, uiditque dominum suum glorificato corpore mirabiliter in aera subleuatum, quem beatum uirum, quamuis adhuc in carne constitutum, carnea moles non premebat, sed prerogatiua meritorum ad consorcia supernorum ciuium subleuabat.

(6) Post hoc latrunculi Byssenorum confinia Ungarorum irruperunt, et illic uiros ac mulieres captiuos abduxerunt. quos ipse cum exercitu persequens, uenit in solitudinem magnam, nec habebant quod manducarent. et dum fame periclitaretur exercitus, auulsus est ipse seorsum ab eis, et in oracione prostratus implorabat misericordiam dei, ut qui quondam filios Israhel manna pluens nutrierat,

Christianum populum famis inedia non sineret interire. cumque surgens ab oracione reuerteretur, ecce grex ceruorum et bubalorum obuiat ei, et cum ipso scilicet in medium exercitus deposita feritate conuenit. tulit ergo unus quisque ex animalibus quantum sibi sufficiebat, laudantes ac gloriantes deum in sancto suo, per quem talem misericordiam fuerant consecuti. adest deus electis suis, affectum eisdem oportunitatem boni operis administrans.

Electus iste dei seruus dum affectu summo placita deo facere cogitaret, hoc ei potissimum diuinitus oblatum est, ne corpora sanctorum, quos auctor uniuersitatis celi dignabatur honorare, suo iam gremio confouens, in puluere diucius iacere pateretur. igitur auctoritate summi pontificis impetrata, sanctorum corpora, uidelicet beati Stephani regis, qui primus Ungaris uiam salutis eterne demonstrauit, et filii eius sancti Hemerici, qui cum esset filius regis unicus, peteretque sibi diuinitus reuelari, quid offerre deo posset accepcius, essetque ei responsum uirginitatem esse deo gratissimam, contra uoluntatem coniugii et contra spem posteritatis in regni successore, uotum deo uirginitatis obtulit, corpora sancti Gerhardi martiris et beatorum Andree et Benedicti mirabiliter fecit canonizari.

(7) His ergo diebus, ad uotum ei contingentibus, uidens diuine circa se dilectionis iudicia, cepit sollicite meditari, quid pium, quid unicum, quidue deo gratissimum pro tot bonis bonorum auctori retribuat. statuit igitur ire Ierosolimam, et illic si oporteret mori pro Christo, qui cum esset splendor glorie et figura substancie dei, non dubitauit crudelissimam mortem crucis pro redimendis hominibus sustinere. cum autem fama sancti Ladislai regis nomen longe lateque diffudisset, duces Francorum, Lothoringorum et Allemannorum, idem peregrinacionis iter conuouentes, pium regem Ladislaum sibi suisque ducem et

preceptorem fore concorditer pecierunt. sed antequam in Ungariam conuenirent, pius rex urgente regni sui necessitate contra Bohemos in expedicionem profectus est. ubi reformata cum honore suo pace, dum iam regredi cogitaret, egritudine repentina correptus, uiribus corporis cepit omnino destitui, conuocatisque regni principibus indicauit dissolucionem sui corporis imminere. quo audito clamor multitudinis plangencium de morte piissimi regis ad celum extollitur. sed rex accepta ewkaristia, in quem fideliter credidit, quem toto corde dilexit, et quem tota uirtute quesiuit, feliciter migrauit ad dominum. cadit ergo in solo rege Ladizlao tota militum eius in Christi sacrata iuratorum expectatio. planxit ante eum uniuersitas Ungarorum, clerus et populus similiter, in unum diues et pauper, iuuenes et uirgines lugubres indumentis squalidi, continuo trium annorum spacio coreas non duxerunt, omnisque musici generis instrumenta intra tempus luctus siluerunt.

(8) Dum uero de corpore eius Waradinum transferendo, ubi scilicet sepeliri se mandauerat, ob ardorem dierum canicularium et longitudinem uie fidelium hesitaret arbitrium, et in Albensem ecclesiam, que propius erat uideretur declinandum, uenerunt iterum ad diuersorium, ubi pre labore et tristicia fatigati dormierunt. cumque sopore grauati essent, currus in quo positum erat corpus eius, sine subuectione cuiuslibet animalis, recto itinere Waradinum ferebatur. uigilantes autem et currum non inuenientes, contristati ualde, ceperunt per loca discurrere, inueneruntque currum uersus Waradinum ultro currentem et sanctum corpus in eo positum. uidentes itaque miraculum, quod uidelicet corpus beati confessoris ad locum ubi sepulturam ipse sibimet elegerat diuinitus portaretur, ei

qui mirabilis est in sanctis suis gracias agentes, iter suum sine omni hesitacione uersus Waradinum reduxerunt.

(9) Cum ergo ad predictam ciuitatem peruenissent et officium humanitatis exhibentes, sepulture ipsius assistentes, quidam de circumstantibus dicebat corpus eius fetere, reliquis omnibus suauissimam odoris fragranciam sencientibus. retortum est igitur ilico mentum eius, et flecti non poterat. qui se ipsum diuina ulcione uidens esse percussum, miserabiliter eiulando clamabat, dicens: peccaui in sanctum dei, et procidens ad sepulchrum sancti Ladislai regis, misericordiam eius ut sanaretur implorabat. auulsa est itaque cutis cum carne menti sui, que dorso eius inherebat. et ipse quidem sanitatem recuperauit, sed cicatrix rupte cutis in mento eius occaluit. sic ergo deus illum percuciendo sanans, timendum se pariter et amandum ostendit. necessarium itaque deus beatificandi modum obseruans, dum electis suis sese participat, hunc suum electum in se transfigurans regali sublimauit dignitate. et sicud in terris uicem suam gerendam ei commisit, sic in celestibus regnis conregnare secum eundem constituens, diuina ei suffragia cunctis ipsum inuocantibus conferre donauit. cecis itaque uisum, surdis auditum, mutis loquelam, claudis dedit gressum. et adiutor in oportunitatibus defensionis solacium oppressis impendit. siquidem fama sanctitatis ipsius audita, quedam uirgo paupercula ueniens ad sepulchrum eius, amissum recuperare uisum promeruit, et recepta corporali sanitate tanti animi simplicitatem percepit, ut eciam in spiritu uisitata, diuinitus esse crederetur. quedam autem nobilis puella, dum oculorum uisu priuata fuisset, et totam carnalis medicine spem amisisset, apud sepulchrum eiusdem a suis derelicta parentibus, egros oculos inaudito modo sanis commutauit. nam cum angustia doloris et dampno membrorum lugubris defluentes lacri-

mas abstergeret, ceciderunt in manu eius quidam globi carnis, formam quidem oculorum habentes, sed coagulato sanguine prorsus inuoluti. cumque uociferante puella, que nimirum oculos suos iam amisisse credebat, populus attonitus ad eam uidendi studio cursitaret, uident eam et elisos carnis globos in manu sua ammirantibus ostentantem et nouis oculis stupenda que uidebat ammirantem. de mutis autem, surdis et claudis per ipsius merita sanatis uulgaritas et quasi habilitas miraculorum inter gaudia loqui prohibet et ad insueta pocius enarranda transmittit.

(10) Quidam itaque miles urgente necessitate scutellam argenteam, quam patri suo pius rex donauerat, cuidam comiti uenalem exposuit, sed eam idem comes ardore cupiditatis illectus a se furtim sublatam esse confinxit. rex itaque Stephanus Colomanni filius hanc causam Walthero Waradiensi episcopo legitimo fine terminandam commisit. qui de meritis beati regis certissime confidens, per sentenciam iudiciariam decreuit, quod eam scutella super sepulchrum sancti regis Ladislai poneretur, ut comprobaret dominus, quis illorum eam iuste deberet habere. comes ergo nimium de se presumendo, scutellam accepturus ad sepulchrum accessit, statimque cecidit uelud mortuus, et uehementer attonitus neque scutellam meruit accipere, neque de terra potuit resurgere.

(11) Dum igitur auctor uniuerse creature hunc sanctum regem diuine uirtutis consortem esse, tantis miraculis declarasset, anno domini millesimo centesimo nonagesimo secundo, sanctum corpus eius gloriose est canonizatum. nimirum nature genitor sic naturam sue bonitati fecit obnoxiam, ut uideretur nichil ei derogatum, quod diuina pietas indicaret annuendum. plures enim ceci ad sepulchrum sancti Ladislai uenientes, implorato eius auxilio

mirabiliter sunt illuminati. claudi quoque et muti surdique et paralitici uariis languoribus diuturno tempore attriti, per inuocacionem nominis eius a suis sunt infirmitatibus liberati. in ipsa canonizacionis sue hora, quidam puer qui loco manuum et pedum carebat, suscepit sanitatem. in eadem hora sydus peculiaris fulgoris stetit supra in directo monasterii, ubi sanctum corpus ipsius positum erat, et per spacium duarum fere horarum perspicue rutilauit. item leprosus quidam ad solempnitatem eius ueniens, prouentu meritorum eius in uia mundatus est, curatori suo regi sancto laudes et graciarum intulit actiones. diuersi eciam per inuocacionem nominis sancti regis Ladislai usque hodie liberantur a suis infirmitatibus, prestante domino nostro Iesu Christo, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

STATUS REGNI HUNGARIÆ

SUB

BELA III. REGE.

(E codice sæculi XII. bibliothecæ regiæ parisinæ.)

REGNI VNGARIE FINES ET DOMINATUS AMPLITUDO.

In regno Bele regis sunt he terre: Ungaria caput regni, Croacia, Dalmacia et Rama.

In Ungaria sunt due sedes archiepiscopales, Strigoniensis et Colocensis. Strigonium habet de curia regis de moneta VI mille marcas et decimam monetarum, et est metropolis Ungarie. Colocensis sedem habet Bachiensem, et habet duo millia et quingentas marcas.

Suffraganei domini Strigoniensis sunt: episcopus Agriensis, habens III millia marcarum. episcopus Woacensis habens septingentas marcas. episcopus Quinqueecclesiensis habens mille et quingentas marcas. episcopus Geuriensis, habens mille marcas. episcopus Wesprimiensis, habens mille septingentas marcas. episcopus Nitriensis habens mille centum marcas.

Suffraganei Colocensis sunt : episcopus Sunadensis uel a fluuio preterlabente Morisensis, habens duo milla marcarum. episcopus Biarch, cuius sedes dicitur Orosiensis, habens mille marcas. episcopus Ultrasyluanus, ha-

bens duo millia marcarum. episcopus Zagrabiensis super flumen Soa, habens mille quingentas marcas.

In Dalmacia sunt duo archiepiscopatus : Iacezensis habens quingentas marcas, Espaletensis habens quadringentas marcas. unde Espaletensis et insimiliter habent suffraganeos decem.

Rex Ungarie de reditu monete sue habet sexaginta millia marcas per annum. idem habet de sale suo XVI millia marcas. idem habet de pedagiis et passagiis, et mercatis seu foris, que omnia sua sunt, XXX millia marcarum. idem habet de alienis hospitibus regis de Ultrasyluas XV millia marcarum. idem habet de sua tercia parte de septuaginta duobus comitibus suis de redditu annuo XXV millia marcarum. idem habet de duce Sclauonie per annum X mille marcas.

Unusquisque comitum septuaginta duorum semel in anno regem Ungarie procurat, et antequam de mensa surgat, dona dat munus centum marcarum. et aliquis eorum II. C. marcas. in quibus ad minus presumitur summa solius regis larga computacione X mille marcarum. et preter hec dona regine, et filiorum regis magna, in argento seu pannis sericis et equis. et preter hec tricesima.

Populus terre regi facit uictum plenarium.

CENSUS

ROMANÆ SEDIS IN HUNGARIA.

MCXCII.

E Cencii Camerarii libro censuum.

In archiepiscopatu Strigoniensi. Hospitale s. Stephani unam unciam auri, que dicitur Obon. monasterium sancti Saluatoris de Scalczad II. romanatos.

In episcopatu Agriensi.

In episcopatu Nitriensi.

In episcopatu Watiensi.

In episcopatu Iauariensi.

In episcopatu Vesprimiensi. ecclesia sancti Stephani regis apud castrum Belegrade unam marcam auri. que est hospitale. Simigiense monasterium debet fertonem aut duas uncia auri in rigell..... ad pondus Hungarie.

In archiepiscopatu Colocensi.

In episcopatu Ultrasiluano. *Noua domus Theutonicorum in Borsa ultra montes niuium debet camere pro censu unam marcam auri. et nota quod ipsa domus octauo anno pontificatus domini Honorii pape III. cepit fieri censualis.*

In episcopatu Zagrabiensi. ecclesia s. Marie de calidis aquis unum romanatum.

In episcopatu Waradiensi.

In episcopatu Cenadiensi.

DE FACTO UNGARIÆ MAGNÆ

A

FR. RICARDO ORDINIS FF. PREDICATORUM INVENTO TEMPORE DOMINI GREGORII IX.

(E codice sæculi XIII. bibliothecæ Vaticanæ.)

Inuentum fuit in gestis Ungarorum Christianorum, quod esset alia Ungaria maior, de qua VII duces cum populis suis egressi fuerant, ut habitandi quererent sibi locum, eo quod terra ipsorum multitudinem inhabitancium sustinere non posset. qui cum multa regna pertransissent et destruxissent, tandem uenerunt in terram que nunc Ungaria dicitur, tunc uero dicebatur pascua Romanorum. quam inhabitandam pre terris ceteris elegerunt, subiectis sibi populis, qui tunc habitabant ibidem. ubi tandem per sanctum Stephanum primum ipsorum regem ad fidem catholicam sunt reuersi, prioribus Ungaris a quibus ipsi descenderant, in infidelitate permanentibus, sicut et hodie sunt pagani.

Fratres predicatores iis in gestis Ungarorum inuentis compassi Ungaris a quibus se descendisse nouerunt, quod adhuc in errore infidelitatis manerent, miserunt quatuor de fratribus ad illos querendum, ubicunque possent eos iuuante domino inuenire. sciebant enim per scripta antiquorum quod ad orientem essent, ubi essent penitus ignorabant. predicti ergo fratres qui missi fuerant, multis se exponentes laboribus, per mare, per terras eos usque per

annum tercium quesiuerunt. nec tamen propter multa uiarum pericula poterant inuenire, uno eorum excepto, sacerdote nomine Otto. qui tantum sub mercatoris nomine processit. qui in quodam regno paganorum quosdam de lingua illa inuenit, per quos certus efficiebatur ad quas partes manerent, sed illorum prouinciam non introiuit. imo in Ungariam est reuersus pro fratribus pluribus assumendis, qui cum ipso redeuntes, fidem illis catholicam predicarent. sed multis fractus laboribus post octauum reditus sui diem, cum omnem uiam illos querendi exposuisset, migrauit ad Christum.

Fratres uero Predicatores infidelium conuersionem desiderantes, quatuor fratres ad querendam gentem predictam iterato miserunt. qui accepta fratrum suorum benedictione, habitu regulari in secularem mutato, barbis et capillis ad modum paganorum nutritis, per Bulgariam Assani, et per Romaniam, cum ducatu et expensis domini Bele nunc regis Ungarie, usque Constantinopolim peruenerunt.

Ibi intrantes in mare per triginta tres dies, uenerunt in terram que uocatur Sichia, in ciuitatem que Matrica nuncupatur. quorum dux et populi se Christianos dicunt, habentes literas et sacerdotes grecos. princeps centum dicitur habere uxores. omnes uiri caput omnino radunt, et barbam nutriunt delicate, nobilibus exceptis, qui in signum nobilitatis super auriculam sinistram paucos relinquunt capillos, cetera parte capitis tota rasa. ubi propter societatis spem, quam expectabant, quinquaginta diebus moram fecerunt. deus autem dedit ipsis graciam in conspectu domine, que super centum uxores regis maior erat, ita ut mirabili eos amplecteretur affectu, in omnibus necessariis prouidebat.

Inde progressi consilio et adiutorio predicte domine per desertum, ubi nec homines nec domos inuenerunt, diebus tredecim transiuerunt. ibique uenerunt in terram

que Alania dicitur, ubi Christiani et pagani mixtim manent. quot sunt uille tot sunt duces, quorum nullus ad alium habet subiectionis respectum. ibi continuo est guerra ducis contra ducem, uille contra uillam. tempore arandi omnes unius uille homines simul ad campum uadunt, simul et omnes metunt, et contiguo terre spacio hec exercent. et quidquid extra uillam siue in lignis aquirendis siue aliis operis habent, uadunt omnes pariter et armati, nec possunt ullo modo pauci per totam septimanam de uillis suis quacunque de causa egredi absque periculo personarum, excepta sola die dominica a mane usque uesperum, que in tanta deuocione apud eos habetur, quod tunc quilibet quantumcunque mali fecerit, uel quotcunque habet aduersarios, securus potest siue nudus siue armatus, eciam inter illos quorum parentes occidit, uel quibus alia mala intulit ambulare. illi qui christiano ibi censentur nomine, hoc obseruant, quod de uase illo nec bibunt nec comedunt, in quo murem mori continget, uel de quo canis comedit, nisi fuerit prius a suo presbytero benedictum, et qui aliter facit a christianitate efficitur alienus. si quis eorum quocunque casu hominem occidit, pro eo nec pecuniam, nec benedictionem accipit, imo apud eos homicidium pro nihilo reputatur. crucem in tanta habent reuerencia, quod pauperes siue indigene siue aduene, qui multitudinem secum habere non possunt, si crucem qualemcunque super hastam cum uexillo posuerint, et eleuatam portauerint, tam inter Christianos quam inter paganos omni tempore secure incedunt.

De loco illo fratres societatem habere non poterant procedendi, propter metum Tartarorum, qui dicebantur esse uicini. propter quod duobus ex illis reuertentibus, reliquis duobus perseuerantibus, in eadem terra in penuria maxima sex mensibus sunt morati, intra quos nec panem nec potum preter aquam habebant. sed unus frater sacer-

dos coclearia et quedam alia preparauit, pro quibus aliquando parum de milio receperunt, de quo nonnisi tenuiter nimis poterant sustentari. unde decreuerunt duos ex se uendere, quorum precio alii ceptum iter perficerent, sed non inuenerunt emptores, quia arare et molere nesciuerunt. unde necessitate coacti duo ex eis de illis partibus uersus Ungariam redierunt, alii uero remanserunt ibidem, nolentes desistere ab itinere inchoato.

Tandem ipsi habita quorundam paganorum societate iter arripientes per deserti solitudinem, triginta septem diebus continuo iuerunt. intra quos uiginti duobus panibus subcinericiis usi sunt, adeo paruis, quod in quinque diebus potuissent, et non ad sacietatem, totaliter comedisse. unde frater qui sanus quidem, sed sine uiribus fuit, cum maximo labore et dolore libenter tamen de deserto eduxit. infirmus autem frater plus sano quam sibi compaciens, illi frequenter dicebat quod ipsum in deserto relinqueret tanquam mortuum et truncum inutilem, ne propter occupacionem ipsius negligeret opus dei. qui neque quidem consensit, sed usque ad mortem ipsius secum in itinere laborauit. pagani comites uie ipsorum, credentes ipsos habere pecuniam, fere eos occiderunt perquirendo.

Transito autem deserto sine omni uia et semita, trigesimo septimo die uenerunt in terram Sarracenorum, que uocatur Ueda, in ciuitatem Bundam, ubi nullo modo apud aliquem poterant hospicium obtinere, sed in campo manere oportuit in pluuia et frigore. diebus uero frater, qui sanus fuit, sibi et infirmo fratri eleemosynam per ciuitatem querebat. et tam in potu quam in aliis potuit inuenire, precipue a principe ciuitatis, qui eum Christianum esse intelligens, libenter ei eleemosynas porrigebat. quia tam princeps quam populus illius regionis publice dicunt, quod cito fieri debeant Christiani et ecclesie Romane subesse.

Inde ad aliam ciuitatem processerunt, ubi predictus frater infirmus, Bernardus nomine, sacerdos, in domo Sarraceni, qui eos propter deum recepit, in domino obdormiuit, et est sepultus ibidem.

Postmodum frater Iulianus, qui solus remanserat, nesciens qualiter posset habere recessum, factus est seruiens unius Sarraceni sacerdotis et uxoris eius. qui in magnam Bulgariam profecturus, quo et pariter peruenerunt. est uero magna Bulgaria regnum magnum et potens, opulentas habens ciuitates. sed omnes sunt pagani. in regno illo publicus est sermo quod cito fieri debeant Christiani, et Romane ecclesie subiugari. sed diem asserunt se nescire. sic enim a suis sapientibus audierunt.

In una magna eiusdem prouincie ciuitate, de qua dicuntur egredi quinquaginta millia pugnatorum, frater unam mulierem Ungaricam inuenit, que de terra quam haberet, ad partes illas tradita fuit uiro. illa docuit fratrem uias, per quas esset iturus, asserens quod ad duas dietas ipsos posset Ungaros quos querebat procul dubio inuenire. quod et factum est. inuenit enim eos iuxta fluuium magnum Ethil. qui eo uiso et quod esset Ungarus intellecto, in aduentu ipsius non modicum sunt gauisi. circumdantes eum per domos et uillas, et de rege et regno Christianorum fratrum ipsorum fideliter perquirentes. et quidcunque uolebat tam de fide, quam de aliis eis proponere, diligentissime audiebant, quia omnino habebant Ungaricum idioma, et intelligebant eum et ipse eos. pagani sunt, nullam dei habentes noticiam. sed nec idola uenerantur, sed sicut bestie uiuunt. terras non colunt. carnes equinas, lupinas et huiusmodi comedunt. lac equinum et sanguinem bibunt. sciunt eciam per reuelaciones antiquorum, quod isti Ungari ab ipsis descenderant, sed ubi essent ignorabant.

Gens Tartarorum uicina est eis. sed iidem Tartari committentes cum eis, non poterant in bello eos deuincere.

imo in primo prelio deuicti sunt per eos. unde ipsos sibi amicos et socios elegerunt. itaque simul iuncti XV regna uastauerunt omnino. in hac Ungarorum terra dictus frater inuenit Tartaros, et nuncium ducis Tartarorum, qui sciebat ungaricum, ruthenicum, cumanicum, theutonicum, sarracenicum et tartaricum. qui dixit quod exercitus Tartarorum, qui tunc ibidem ad quinque dietas uicinus erat, contra Alamanniam uellet ire. sed alium quem ad destructionem Persarum miserat, exspectabant. dixit eciam idem, quod ultra terram Tartarorum esset gens multa nimis, omnibus hominibus alcior et maior, cum capitibus adeo magnis, quod nullo modo uidentur corporibus suis conuenire. et quod eadem gens de terra sua exire proponit, pugnaturi cum omnibus illis, qui eis resistere uoluerint, et uastaturi omnia regna, quecunque poterunt subiugare.

Frater his omnibus intellectis, licet ab Ungaris inuitaretur ut maneret, non decreuit duplici racione. una quia si regna paganorum et terra Rhutenorum, que sunt media inter Ungaros christianos et illos, audirent quod illi ad fidem catholicam inuitarentur, dolerent, et uias omnes de cetero obseruarent, timentes quod si illos istis contingeret Christianitate coniungi, omnia regna intermedia subiugarent. alia racione quidem cogitabat, quod si eum in breui mori aut infirmari contingeret, frustratus esset labor suus, eo quod nec ipse profecisset in illis, nec fratres Ungarie, ubi esset gens eadem scire possent. cum igitur uellet reuerti, docuerunt eum iidem Ungari uiam aliam, per quam posset tucius peruenire.

Incepit autem frater redire tribus diebus ante festum natiuitatis b. Ioannis Baptiste, et paucis diebus in uia quiescens, tam per aquas quam per terras, secundo die post natiuitatem domini Ungarie portas intrauit. et tamen per Rhuteniam et Poloniam eques uenit.

In redeundo de predicta Ungaria transiuit in fluuio regnum Morduanorum quindecim diebus. qui sunt pagani, et adeo homines crudeles, quod pro nihilo reputatur homo ille qui multos homines non occidit. et cum aliquis in uia procedit, omnium hominum capita quos occidit, coram ipso portantur. et quanto plura coram uno quoque portantur capita, tanto melior reputatur. de capitibus uero hominum scyphos faciunt, et libencius inde bibunt. uxorem ducere non permittitur, qui hominem non occidit. isti a prophetis suis accipientes quod esse debeant Christiani, miserunt ad ducem magne Sondemerie, que est terra Rhutenorum illis uicina, quod eis mitteret sacerdotem, qui ipsis baptismum conferret. qui respondit: non meum est hoc facere sed pape Romani. prope enim est tempus, quo omnes fidem ecclesie Romane debemus suscipere, et eius obediencie subiugari.

M. ROGERII CANONICI VARADIENSIS

CARMEN MISERABILE

SUPER DESTRUCTIONE REGNI HUNGARIÆ TEMPORIBUS BELÆ IV. REGIS PER TARTAROS FACTA.

(E Thuroczii editione Augustana ann. 1488.)

---

pistola Magistri Rogerii in Miserabile Carmen, super destructione regni Hungarie per Tartaros facta editum, ad dominum Iohannem Pestheniensis ecclesie episcopum feliciter incipit.

Licet, ut liqueat dominacioni vestre, ingressus et ocessus Tartarorum, Hungariam intrantium, in ignomia crucifixi, perniciem stragemque non minimam populi ristiani, per presens opusculum vestro nomini reddi, gestis ipsorum sine falsitatis admixtione collectum, od cum diligencia perlegatis. multa quidem inuenietis eo, que meo subiacuerunt aspectui, plurimaque proiis palpaui manibus: nonnullaque a fide dignis didici, in orum illa fuerunt presencia perpetrata. si autem interim reperietis aliqua, que sensui hominum cernantur terbilia et horrenda, me scriptorem et res minime admirenr: sed gracias referant regi regum, qui sue oblitus miserirdie, suo angariato populo non pepercit. nam a regalibus dibus in exterminii terram prosilientibus, limo eorum ulo non liniuit, imo exacuit gladium uelut fulgur. Uisiit iniquitates eorum, non in baculo, sed in uirga, et ccata non fomentis lenibus, quibus suos consueuerat

consolari, sed in uerberibus et in ira subsannando eos, cum irriguit calamitas repentina sic, que Hungaria plena populo, sedet sola. o dira crudelitas! facta est Hungaria libera sub tributo. proh dolor, non fuit in tanto exicio, qui consolaretur eam, ex omnibus caris eius. rogo igitur et affectuose deposco, quatenus, cum de uita et ipsorum moribus atque pugna describere uoluerim ueritatem, si de tristi materia et horrenda, flebilis inire compulsus sum mestos modos, uos uel quisque lector, rectam conscienciam, falsis opinionibus non supponat, quod presumtuosa temeritas, patefecit aditum illicitis ausibus uel nociuis. quia non ad deprehensionem cuiquam uel derogacionem sed ad instructionem id potius examinaui, ut legentes intelligant, et intelligentes credant, credentes teneant, et tenentes percipiant, quod prope sunt dies perdicionis, et tempora properant ad non esse. et sciant cuncti hec me temere non referre, quod quisquis ad manus ipsorum deuenerit Tartarorum, si natus non fuisset, melius esset ei, et sentiet, se non a Tartaris, sed in tartaro detineri. hoc refero ut expertus. fui enim per tempus, et dimidium temporis inter eos, in quo mori solacium extitisset, sicut supplicium fuit uita.

(1) *De intencione regis Bele.* Cum Bela rex Hungarie, inter principes Christianos zelator catholice fidei noscere-tur, ad instar progenitorum suorum, Stephani, Emerici, Ladislai et Colomani regum, qui sanctorum catalogo sunt adscripti, inter alia pietatis opera, que ipse in propatulo, ut benefaciendi exemplum preberet, et alia, que in conclaui, ut ora iniqua loquencium contra eum obstrueret, exercebat, in mente gessit assidue, prauas et extraneas naciones ad gremium ecclesie matris attrahere, ut animabus deo quam plurimis lucrefactis, suam facilius deduceret lucrifactam ad eterna gaudia beatorum.

(2) *Quomodo rex Bela introduxerit regem Comanorum in Hungariam.* Igitur anno MCCXLII ab incarnacione domini sic euenit, ut Kuthen Comanorum rex ad dictum regem solennes nuncios destinauerit asserens se multis annis cum Tartaris pugnauisse, ac obtinuisse duabus uicibus uictoriam contra eos, tercia uero uice, cum existeret imparatus, terram suam subito intrauerint, ita ut ipso habere exercitum nequeunte, eum dare terga oportuerit Tartaris sceleratis: et sic magnam partem terre ipsius, hominibus interemtis, hostiliter destruxerint, propter quod, si uellet ipsum suscipere, ac in libertate tenere, se et suos paratus esset ei subdere, ac cum consanguineis fratribusque et amicis suis, rebusque et bonis mobilibus omnibus in Hungariam intrare, et ipsum in fide catholica imitari. quo audito rex repletus est gaudio magno ualde, tum pro eo quod talis princeps, ei quasi par hactenus, eius se uolebat subiicere dicioni, tum quia poterat ad effectum ducere preconcepta, lucrifaciendo tot animas Iesu Christo et sic licenciatis nunciis, non minimis muneribus honoratis, ad dictum Kuthen regem transmisit suos nuncios, et fratres Predicatores cum eisdem mandans quod ipsum et suos paratus esset recipere, et petita concedere, iuxta sue beneplacitum uoluntatis. quid plura? nunciis hinc inde sepius destinatis predictus Kuthen cum suis iter arripuit in Hungariam ueniendi. rex uero in potentatu mirabili usque ad confinium terre sue obuius ei fuit, tot eximia et tot honores ei et suis faciens, ut ab incolis terre illius, a tempore cuius non extabat memoria, factum non fuerit neque uisum. tandem cum propter multitudinem in loco commode morari non possent pro eo quod erat gens dura et aspera, subdi nescia, ne offenderent Hungaros, uel offenderuntur ab ipsis, dabat eis de principibus suis unum, qui eos condu-

ceret; et expensas omnibus, qui preter ipsorum familias, circa quadraginta milia dicebantur, faceret exhiberi, usque ad mediculum terre sue.

(3) *De odiis inter regem et Hungaros. et primo de causa odii prima.* Cum autem rex Comanorum cum suis nobilibus et rusticis, cepit Hungariam peragrare, quia iumentorum habebant armenta infinita, in pascuis, segetibus, hortis, uirgultis, uineis, et aliis Hungaros grauiter offendebant. et quod horribilius erat eis, cum essent siluestres homines, uirgines pauperum abominabiliter opprimebant, et thorum potencium, quando commodo fieri poterat, maculabant, licet mulieres ipsorum tanquam uiles ab Hungaris prosternerentur. et, si in rebus uel in persona Comanum Hungarus offendebat, statim de ipso fiebat iusticie complementum, sic ut alius similia facere non auderet. si uero a Comano Hungarus ledebatur, illi de ipso iusticia non fiebat. et si quando instare uolebat, pro uerbis interdum uerbera reportabat. et sic inter populares et regem odium est generatum.

(4) *De secunda odii causa inter regem Belam et Hungaros.* Licet digressionem faciam aliquam, tamen ut legentes intelligant, et audientes non ignorent, destructionis Hungarie fundamentum; reuertar quantocyus ad stylum incepte materie prosequendum. Bone memorie rege Andrea, genitore istius Bele regis, mortis debitum persoluente, subito rex cum regni principibus et nobilibus uenit Albam regiam ciuitatem, et ibi postquam per manus Strigoniensis archiepiscopi, prout moris est, regali diademate extitit coronatus, quosdam de suis baronibus, qui patri adheserant contra eum, compulit exulare, quosdam carcerali custodie, quos habere potuit, mancipauit quendam de maioribus, dionysium palatinum, priuari fecit lumine

oculorum. quedam autem statuta ibidem faciens, iussit promulgari: ut terra, malis hominibus qui abundabant plurimum, expurgaretur. baronum quoque presumtuosam audaciam reprimendo, precepit ut exceptis suis principibus, archiepiscopis et episcopis, si aliquis baronum sedere in sede aliqua in sua presencia auderet, debita pena plecteretur, comburi faciens ibidem ipsorum sedes, quas potuit inuenire. quod cognati exulum, et captiuorum amici, sibi eciam timentes in posterum, pro malo non modico habuerunt. exinde inter eos scandalum est ortum.

(5) *De tercia odii causa.* Preterea nobiles cum cordis amaritudine referebant: quod, cum ipsi uel progenitores eorum, contra Ruthenos, Comanos, Polonos, et alios in expedicionem a regibus sepius essent destinati, et aliqui essent ibidem gladio interemti, aliqui fame mortui, aliqui carceribus mancipati, et aliqui diuersis tormentis, afflicti reges, qui pro tempore fuerant, reuertentibus, uel captiuorum propinquis recompensacionem et remuneracionem congruam faciebant, uillas, possessiones et predia concedendo eis, in perpetuum possidenda. hic autem, non solum eis non addidit aliquid, sed concessa ad ius et proprietatem cuiusque, sine diminucione aliqua reuocauit. hic est dolor, hic est gladius, qui transfixit animas Hungarorum. nam qui erant diuites et potentes, et secum habebant multitudinem effrenatam, uix se solos poterant sustentare.

(6) *De quarta odii causa inter regem Belam et Hungaros.* Item sepius conquerebantur, quod rex contra regni consuetudinem, in depressionem eorum, prout uoluit ordinauit: quod qualiscunque eminencie fuerint nobiles, in eius curia negocium mouere, aut ei oretenus loqui nequiuerint, nisi supplicaciones cancellariis porrigerent, et exinde finem negocii expectarent. propter quod plerique pro minimo

tantum in curia tenebantur, ut equos et res alias pro expensis expendere cogerentur, et multocies non expeditis negociis recedebant. nam cancellarii, ut dicebant, pro eo, quod nisi per ipsos requisitos regi loqui poterant, deprimebant et subleuabant aliquos, ut uolebant. propter quod illos suos reges esse generaliter et publice fatebantur et regem alium non habere se dicebant.

(7) *De quinta odii causa.* Hoc aliud referebant, quod preter uel contra eorum consilium, et ad depressionem et confusionem eorum, Comanos adduxerat. quod patebat ex eo, quia quando ipsi uocati uel non uocati ad curiam accedebant, copiam uidendi regem non habebant, nisi a remotis, et illi solum per interpretem loquendi habebant facultatem. et si minimus Comanus accederet, statim ut patebat aditus intrabat et Comanos tam in sessionibus quam consiliis, et in omnibus Hungaris preferebat. propter quod tanta indignacio erat eis, ut uix possent tolerare, et licet non exprimerent, ad ipsum tamen bonum cor et animum non habebant, nec pro ipso pacis consilia cogitabant.

(8) *De responsione ad primam odii causam.* Fautores autem et fauentes regi, iustificare ipsum in omnibus nitebantur, sic ad premissorum singula respondentes. Comanis introductis, cum per fide dignos ad regis noticiam peruenisset, quod per Comanos Hungari grauarentur principibus, baronibus, comitibus, et comanis omnibus, circa monasterium de Kew circa Ticiam conuocatis, deliberacione diligenti, communi consilio est sancitum quod nobiles Comanorum cum suis famulis diuisim per singulas Hungarie prouincias mitterentur, et moram quilibet in prouincia traheret sibi assignata, et ita cum multi simul non essent, grauamen inferre Hungaris non ualerent. et si Comanus Hungarum, uel Hungarus Comanum offenderet, comites,

quibus hoc sub pena gracie regis iniunctum fuerat, iusticiam facerent equiualentem: licet Comanis hoc, quod separari deberent, plurimum displiceret. et sic ipsi postea sine offensione cuiusquam, cum suis tentoriis filtreis, iumentis, pecoribus, terram uacuam Hungarie peragrabant. et cum essent multi et pauperes inter eos, habebant Hungari de eis quasi pro nihilo seruientes, et sic status eorum magis ad commodum, quam incommodum erat eis. cessare igitur debebat in hoc maleuolencia populorum.

(9) *De responsione ad secundam odii causam.* Si rex, mortuo genitore suscipiens gubernacula regni sui, quosdam de maioribus fecit questionibus subiici et tormentis, sane mentis non debet aliquis admirari. nam iidem inter ipsum regem et patrem eius sepius sedicionem et scandalum procurauerunt, ita quod hinc inde sepius milicia congregata, dimicare ad inuicem uoluerunt, nisi per tenentes medium inter eos, essent pacis federa reformata. cum et ipse rex ad patris curiam accedebat, iidem in nullo ei penitus deferebant, immo dehonestare ipsum uerbis et factis in quantum poterant nitebantur. quod celari non potest. et contra uitam patris et filiorum nequiter conspirauerant; ut illis gladio interemtis, facilius quilibet posset de Hungaria, quam sibi per partes diuiserant, porcionem sibi debitam, sine condicione cuiuslibet obtinere. et cum concepta nequirent effectui mancipare, aliud nequius cogitarunt. duci Austrie litteras cum certis pactis et condicionibus destinando; domino Frederico Romanorum imperatori coronam regni et Hungariam dare promittebant. Sed nuncius in uia captus, regi fuit cum litteris prestentatus. unde conseruando ipsos ad uitam, misericordia, que superexaltat iudicium, usus est contra eos. Si uero statuit quod terra malis hominibus purgaretur quam iniquitatem continet hoc statutum? si sedes baronum cremari fecerit que

iniquitas fuit ista? numquid debent domini subditis esse pares? igitur non erant iusti Hungari in hac parte.

(10) *De responsione ad terciam odii causam.* De tercia causa odii regem taliter excusabant. est omnibus non ignotum, quod septuaginta duos habet Hungaria comitatus, hos reges Hungarie bene meritis conferebant et auferebant sine iniuria possidentis. ex his comitatibus habebant delicias, diuicias et honores, potenciam, altitudinem, et munimen. sed per prodigalitatem quorundam progenitorum suorum, iura comitatuum erant adeo diminuta, ut meritis et demeritis personarum non discussis, eisdem possessiones, uillas, et predia ad comitatus pertinencia, in perpetuum contulissent. ex quo uiros comites non haberent, et cum incederent, simplices milites propter diminucionem comitatuum putarentur. qui autem potenciores erant, sicut Thauernicus, qui et camerarius dicitur, ac dapiferorum, pincernarum, nec non agasonum magistri, et ceteri qui habebant in curia dignitates, exinde in tantum incrassati erant, ut reges pro nihilo reputarent. hic autem cupiens redintegrare coronam, que pene parue potencie facta erat, licet plurimis displiceret, male tamen alienata studuit reuocare, ad ius et proprietatem comitatuum, tam a sibi contrariis, quam a suis. licet non faciendo iniuriam alicui, iure suo in omnibus uteretur, tamen de regalibus bonis, bene ac fideliter seruientibus remuneracionem congruam faciebat. unde quia usus fuit iure suo, cessare debebat maleuolencia Hungarorum.

(11) *De responsione ad quartam odii causam.* Cum esset propter diuersitates multiplices et ritus diuersos, pene totum regnum Hungarie deformatum, et rex ad reformacionem eius totis uiribus anhelaret, et implicitus rebus arduis, nequiret singulis audienciam beneuolam exhi-

bere, duxit deliberacione prouida statuendum, quod negocia suorum regnicolarum deberent ad instar Romane curie, per peticiones in sua curia expediri, suis cancellariis ita mandans, quod per se leuia et simplicia negocia expedirent quantocyus possent, ad suum auditorium ardua et grauia perferentes. hoc ideo faciebat, ut negocia finem debitum uelociter sortirentur. Sed maleuoli, quod ad leuamen oppressorum fuerat adimentum, ad iniquum compendium retorquentes, nodum in stupa, et pilum in ouo inuenire mendaciter satagebant.

(12) *De responsione ad quintam odii causam.* Illud asserebant penitus falsum, quod rex introduxisset Comanos ad depressionem et odium Hungarorum: sed solum propter hoc, ut cultus diuini nominis in Hungaria suis temporibus augeretur et sic, quando ipsum aduersus inimicos corone guerram habere contingeret, contra eos cum eis forcius et durius dimicaret. Si autem Comanos plus quam Hungaros honorabat, hoc ipsi egre ferre non poterant nec debebant. nam decebat regiam dignitatem introductos hospites honorare; maxime cum hoc eis promiserit iuramento, et ipsum in fide sua ceperint imitari. et cum essent eis Hungari odiosi, solum regem habebant in Hungaria protectorem. nam Kuthen rex Comanorum per regem, et quamplures alii per maiores et nobiles regni fuerant baptizati, ita quod iam cum Hungaris connubia contrahebant. et si rex eis fauorabilis non fuisset, ipsi in Hungaria non stetissent. Auditis autem hinc inde propositis scriptor finem huius negocii non imponit, lector si ualeat causam terminet, iusticia mediante.

(13) *Interloquium ad continuandam narracionem.* His interposicionibus expeditis, scriptor stylum dirigit ad tractandum incepte materie prosecucionem. et si qui ipsum

lingua mordere uoluerint toxicata, dicentes quod interposiciones huiusmodi nil ad rem pertinerent, et bene poterat esse sine illis: non est uerum, quia hec discordia potissimus fomes fuit quare Hungaria sic uelociter est destructa.

(14) *De uulgari Hungarorum opinione.* Anno igitur domini euoluto, Hungaria ad regem in maleuolencia existente, circa natiuitatem domini fama fuit, quod confinia Hungarie, Ruscie contigua, Tartari deuastabant. et quia rex de hoc per suos nuncios certus erat, ad custodiendum portam Ruscie, que Montana dicitur, per quam in Hungariam patebat aditus, misit maiorem suum comitem cum exercitu palatinum, et fecit per totam Hungariam proclamari, ut tam nobiles, qui seruientes regis dicuntur, quam castrenses et pertinentes ad castra superius nominata, se ad exercicium prepararent, ut essent, quando rex mitteret, preparati. cum autem hoc per totam Hungariam clamaretur Hungari pre nimio gaudio non credebant, asserentes, quod de Tartaris multoties insonuerat talis rumor, et sic semper uiderent illum esse nullum: unde dicebant, multa renascentur, que iam cecidere. alii asserebant, quod quidam de prelatis ecclesiarum rumores huiusmodi procurabant, pro eo quod tunc temporis Romam non irent, ad concilium uocati a Romano pontifice celebrandum. et talis opinio erat eis. fuit tamen omnibus manifestum, quod Ugolinus Colocensis archiepiscopus, pro se ac quibusdam suffraganeis suis Uenecias miserat pro galeis, et fuerunt per regem, contra uoluntatem eorum, ab itinere reuocati. alii uero quamplurimi fatebantur, ut haberent de rege materiam obloquendi, quod Comani societatem contraxissent. cum Ruthenis, ut simul contra Hungaros, a quibus multa mala perceperant, et sepius destructi fuissent, dimicarent. et propter hoc, plus quam per annum, eos predictus Kuthen cum suis preuenerat, ut condiciones terre addisce-

rent, et linguam faceret sibi notam, et cum introitum illorum perciperet, pugnam inciperet contra regem, et sic facilius illi portam possent obtinere, et ad ipsius Kuthen auxilium festinare, et ita cicius aliquam partem Hungarie deuastare, gaudendo et mordendo regem, pro eo quod Comanos introduxerat, ut superius est expressum. et in hac opinione quamplurimi concordabant.

(15) *De consilio regis contra Tartaros.* Cum ergo postmodum uersus quadragesimam pergeret iter suum, magis ac magis fama huiusmodi crebrescente, rex ad quandam uillam, que Buda dicitur, super ripa Danubii positam, in qua consueuerat quadragesimam celebrare, pro eo, quod dicebatur locus communior, properauit. et archiepiscopis, episcopis et aliis regni maioribus conuocatis, deliberabat assidue, qualiter posset de tanto negocio prouidere, monens et hortans eos sepius, quod quilibet haberet suos stipendiarios milites preparatos. Kuthen uero, qui cum uxore, filiis, filiabus, et quibusdam suis maioribus, tanquam suspectus et sceleris conscius, a rege fuerant conuocati; communi deliberato consilio, curialiter, ne possent manus ipsorum effugere, custodie fuerunt mancipati.

(16) *Quid fecerit rex Bela, cum per Palatinum de introitu Tartarorum certificatus fuit.* Circa uero medium quadragesime uenit ad regem cursitando unus de militibus Palatini, ex parte ipsius referens, quod iam ad portam Ruscie peruenerant, et indagines destruebant, et non credebant quod Palatinus posset eis resistere, nisi rex mitteret ei auxilium festinum. rex adhuc incredulus, secum armatos milites non habebat. et dum in anxietate huiusmodi permaneret, quarto die postea, uenit idem solus, qui nocte dieque cursitauerat, Palatinus dicens: quod duodecimo die intrante Marcio, in porta congressum habuerat cum

eisdem, et suis pene omnibus sagittis et gladiis crudeliter trucidatis, cum paucis euaserat, et que facta erant sibi uenerat nunciare. sed licet rex de malis rumoribus non modicum obstuperet, licenciauit tamen archiepiscopos, episcopos, et alios suos comites et barones, eis precipiens firmiter et districte, ut quilibet aggregata sibi milicia iuxta posse, rediret ad ipsum, et sine dilacione temporis festinaret, prout urgens necessitas, et manifesta utilitas exigebat. et precepit magistro Stephano, episcopo Waciensi, Orodiensi et sancti Saluatoris Chanadiensi prepositis, quod ad reginam festinanter accederent, et ad confinium Austrie properarent, ibidem finem huius negocii expectantes. item per suas litteras rogauit ducem Austrie, ut ad ipsum accederet festinanter, et iussit Comanis omnibus, ut uenire ad ipsum aliquatenus non different. Ipse enim de Strigoniensi et Albensi ciuitatibus, que ad unam tantum dietam distabant, exercitu congregato confestim transiuit Danubium, et in magna et ditissima theutonica uilla, que Pesth dicitur, Bude opposita ex altera parte Danubii, moram traxit, suos ibidem cum exercitu expectans principes, comites, et barones.

(17) *Alia interlocucio.* Pater et domine aduertite reuerende! et quia cum multa simul occurrerint, nequeunt dici simul, oportet igitur ut uno dimisso negocio, in dicendo aliud assumatur.

(18) *Sequitur rursus interlocucio.* Notate itaque nomina dominorum Tartarorum, et qualiter intrauerunt in Hungariam, et astuciam eorundem, quia non dimittetur indiscussus articulus, quin quilibet sensus debitus imponatur.

(19) *Nomina regum Tartarorum in Hungariam intrancium.* Rex regum et dominus Tartarorum, qui Hungariam

intrauerunt, Bathus suo nomine uocabatur. rector erat sub ipso, in milicia potencior, Bochetor appellatus. Cadan in probitate melior dicebatur. Coacton, Feycan, Peta, Hermeus, Cheb, Ocadar, maiores reges inter Tartaros censebantur, quanquam essent inter eos alii reges quamplurimi, principes, et potentes, qui cum quinquies centenis millibus armatorum regnum Hungarie inuaserunt.

(20) *Quomodo Tartari Rusciam et Comaniam destruxerint.* Hi autem quando Rusciam et Comaniam totaliter et unanimiter destruxerunt, retrocedentes ad quatuor uel quinque dietas, intacta confinia Hungarie continuo dimiserunt, ut cum reuerterentur, tam pro equis, quam pro se, uictualia inuenirent, et rumores ad Hungaros minime peruenirent. cum quidam uictualia dictorum regnorum consumsissent, et Hungariam proponerent occupare; Bathus maior dominus, dimissa tota familia, solus cum suis militibus et non multis ad dictam portam Ruscie, que propior erat ad locum, in quo rex congregabat exercitum, recto tramite properauit, et expugnato exercitu comitis Palatini, eandem portam obtinuit, et intrauit. Peta rex per Poloniam dirigens gressus suos, uno ab ipso de ducibus Polonie interfecto, et destructa Uratislauia ciuitate nobilissima, et strage facta mirabili, ac in terram ducis Morauie, aliis ducibus prestare sibi auxilium nequeuntibus, simili crudelitate peruadens, ad portam Hungarie festinauit. rex Cadan inter Rusciam et Comaniam, per siluas trium dierum habens iter siue uiam; peruenit ad diuitem Rudanam, inter magnos montes positam Theutonicorum uillam, regis argentifodinam, in qua morabatur innumera populi multitudo. sed cum essent homines bellicosi, et armorum penuriam non haberent, audito ipsorum aduentu extra uillam, per siluas et montes eis obuiam exierunt. Cadan uero respiciens multitudinem armatorum, terga dedit, fingens

fugam ante eos. Tunc populi cum uictoria reuertentes, armis depositis, inebriari uino, prout Theutonicorum furia exigit, inceperunt. sed ipsi Tartari subito uenientes, cum fossata, muros, et municiones aliquas non haberent, uillam ex multis partibus intrauerunt. et licet hinc inde fieret magna strages, uidens populos quod eis resistere non ualebat, se ad fidem eorum totaliter reddiderunt. sed Cadan sub sua protectione uilla recepta, Ariscaldum comitem uille cum electis sexcentis armatis Theutonicis, suis militibus associauit sibi, uenire cum eis incipiens citra siluas. Bochetor autem cum aliis regibus, fluuium qui Zerech dicitur transeuntes peruenerunt ad terram episcopi Comanorum, et expugnatis hominibus, qui ad pugnam conuenerant, ceperunt terram totaliter occupare. reuertar igitur ad regem Hungarie, qui erat in dicta uilla Pesth, ut processus eius plenius describatur.

(21) *Qualiter Tartari processerint, postquam portam habuerunt.* Postquam autem maior dominus Bathus portam habuit, cepit uillas comburere, et gladius eius non parcebat sexui uel etati, et ad regem quantum poterat festinabat. et cum prope ad Pesth, ad mediam dietam, ante dominicam de passione domini, die ueneris peruenisset, statim quosdam usque ad uillam misit, comburendo, interficiendo, prout eis innata malicia ministrabat. sequenti die misit alios uel eosdem, qui peragebant similia uel peiora. sed rex exire ad eos aliquos, ad faciendum congressum, nullatenus dimittebat. et illi dum credebantur ire, reuertebantur, et dum putarentur reuerti, iterum ibant, diem in ludo totaliter expendentes. cumque die dominico facerent illud idem, Ugolinus Colocensis archiepiscopus hoc graue ferens quam plurimum, quod quidem quasi predones tot bonos homines confundebant, et grauius quod rex sibi et suis pusillanimus uidebatur. propter quod contra mandatum

regis cum paucis de suis foras exiens, congressum habere uoluit cum eisdem. sed illi terga uertentes, paulatim retrocedere inceperunt. hoc archiepiscopus intuens, incepit eos equorum insequi pleno cursu. tandem terra paludosa reperta, illi uelocius transierunt paludem. hoc archiepiscopus non aduertens, cum proximus illis esset, festinus intrauit, et cum esset cum suis armorum pondere pressus, transire uel retrocedere nequierunt. sed illi ad eos uelocius reuertentes, circumdederunt paludem, et in ipsos sagittas uelut pluuiam emittentes, eosdem ibidem totaliter necauerunt. cum tribus autem uel quatuor euadens archiepiscopus, sic confusus remeauit ad uillam, non modicam iram habens, tam de suis perditis, quam de eo quod rex non fecit aliquem in sui subsidium properare.

(22) *Quomodo fuit destructa ciuitas Waziensis.* In dominica de passione pars exercitus Bathi regis regum accessit ad Waciam ciuitatem, positam super ripa Danubii, ad mediam dietam prope ad uillam Pesth, in qua rex cum exercitu morabatur. et capta ciuitate penitus et debellata, qui ad ecclesiam et ad palacia ecclesie, que erant quasi castrum munita, recursum habuerant, tam de ciuitate, quam de circumpositis uillis, innumera populi multitudo eos uiriliter expugnauerunt, et thesauro ecclesie habito, canonicos et alias personas, dominas et puellas, quas noluerunt interimere gladio, in igne totaliter cremauerunt. et ita in dominica de passione Wacienses passi sunt; ut cum domino Iesu Christo partem habere mererentur.

(23) *Quomodo dux Austrie insultum fecerit in Tartaros.* Illud non est aliqualiter omittendum, quod dux Austrie, rogatus a rege, uenerat, sed cum paucis, tanquam facti nescius et inermis. Et cum aliqui ex Tartaris ad uillam Pesth more solito aduenissent, armis et equis sibi assum-

tis, obuius eis fuit. et cum simul congredi debuissent, illi terga dantes, prout assueuerunt, abibant. sed dux submisso equo subdens calcaria, quendam attigit, percuciens eum cum lancea taliter, quod lancee hasta fracta, de equo ipsum prostrauit ad terram. alteri uero ipsorum canesio, id est maiori, uolenti prostrato succurrere, armato more iuxta sellam confestim arrepto mucrone, uno ictu brachium illius amputauit. qui statim de sella corruens, expirauit. aliis in fugam conuersis prostratum ceperunt, ipsum uinctum cum equis ad exercitum adducentes. propter hoc Hungari, assumta materia, exprobrare regem, ac exaltare ipsum ducem unanimiter inceperunt.

(24) *Quomodo Kuthen rex Comanorum extiterit interfectus.* Cumque publica fama esset, quod Kuthen, qui cum suis, ut dictum est, prope ad regem in custodia tenebatur, esset tanti sceleris non immunis, et adhuc qui uenerant Comani, non Tartari crederentur, clamabat totus populus contra eum, moriatur! moriatur! ipse est qui destructionem Hungarie procurauit. et pro ipso regi sepius exprobrantes dicebant: pugnet rex noster, qui Comanos in nostrum odium introduxit. alii clamabant: pugnet rex cum illis, quibus nostra predia sunt collata. rex exprobracionibus frequenter auditis, misit hominem ad Kuthen, ut ad ipsum accedere non differet. sed Kuthen, qui crebro acclamaciones populi audiebat, timens penam, licet esset immunis a culpa, mandauit regi: quod ad ipsum nequaquam accederet, nisi ei talem hominem destinaret, cui esset potencia ipsum ad eundem ducere, ac ipsum eruere de manibus populorum. hoc regi nuncio referente, clamor factus est magnus in populo: moriatur, moriatur. ac sic subito Hungari et Theutonici armati intrantes palacium, in quo erat, uiolenter ad ipsum accedere uoluerunt. Kuthen uero cum suis, arreptis arcubus et sagittis, ad se ipsos accedere

non sinebant. sed populorum multitudine accedente, ceperunt eosdem. et cunctis in instanti capitibus amputatis, ea in populos per fenestras de palacio proiecerunt. quidam autem uolunt hoc facinus duci Austrie imputare, ab aliis uero de mandato regis dicitur esse factum. tamen postquam pro certo est compertum, quod Kuthen huius nequicie est expers, asserunt hoc uerisimile non esse, quod rex qui ipsum de sacro fonte leuauerat, et securitatem ei dederat prestito iuramento, tantum facinus perpetrasset. nolo quidem ego, qualiter hoc actum est diffinire; diffiniat ille, qui nouit, et penam uel graciam unicuique iuxta opera sua redet.

(25) *Quid fecerint Comani, audita morte regis ipsorum, et qualiter rex Bela contra Tartaros processerit.* Tartaris itaque die noctuque in circuitu uillas comburentibus, instabat Colocensis archiepiscopus apud regem, ut exiret cum exercitu contra eos. igitur duce Austrie reccedente, maxime cum maior regni exercitus aduenisset, rex cum exercitu motus exiens, incepit paulatim procedere contra eos. cumque Comani, uocati contra Tartaros ubicumque essent, in regis subsidium unanimiter aduenirent, audita morte ipsorum domini Kutheni, turbati sunt grauiter et commoti, quid deberent agere ignorantes. cum autem rumor de morte eiusdem increbuisset, Hungari uillani, odiosi eis, ubique contra eos insurgere ceperunt, spoliando et interficiendo eosdem, sine aliqua pietate. qui cum taliter inspicerent se perimi, insimul congregati non solum se defendere inceperunt, sed uillas comburere, et rusticos uiriliter expugnare.

(26) *Quomodo euaserit Chanadiensis episcopus manus Comanorum.* Sed cum Bulzo Chanadiensis episcopus, et Nicolaus filius Bore, cum nobilibus multis, uxores, filios,

filias, et familias ad partes superiores conducerent, ut postmodum ad regis exercitum festinantes accederent, contra obuiantes Comanos inceperunt pugnam durissimam, qui eis resistere nequeuntes, sunt quasi omnes gladio interemti. episcopus tamen cum paucis, in curru iacens infirmus, dum pugna fieret, est longius asportatus. Comani uero, ut Tartari, terram postmodum destruentes, et conuenientes in unum, ex ista parte Danubium transierunt, et sic destruendo inceperunt ad Marchiam properare. illi autem de Marchia hoc scientes, conuenerunt in unum, eis obuiam exeuntes, congressum cum eis in finibus Marchie habuerunt, et superati ab eis, preueniebant unus alium fugiendo, et sic Comani ceperunt Marchiam nequiter expugnare, mortem sui domini crudeliter uindicantes. nam cum interficiebant Hungaros, dicebant: hunc ictum sufferas pro Kutheno. et destructis melioribus uillis, scilicet Franka, uilla senatoria sancti Martini, et aliis, et recepta multa pecunia, equis et pecoribus, destruendo terram in Bulgariam transierunt.

(27) *Quomodo Waradiensis episcopus per Tartaros extitit deceptus.* Benedictus quidem Waradiensis episcopus, pro se de mandato regis magno exercitu congregato, uolens in ipsius subsidium accedere, intellexit quod Tartari ciuitatem Agriensem destruxerant: hominum de ciuitate et aliorum, qui ad defensionem ipsius conuenerant, aliis combustis, aliis gladio interemtis, spolia, thesaurum episcopi et ecclesie, exinde asportabant. unde sumens audaciam, pro eo, quod paucis diebus elapsis, congressum cum paucis eorum habuerant, et preualuerat contra eos, incepit post ipsos dimisso exercitu festinare, ut sibi posset fragmenta colligere, ne perirent. hoc Tartari prescientes, finxerunt se ire longius, et steterunt. et cum haberent equos plurimos, et ipsi pauci existerent, figmenta talia

ordinauerunt. fecerunt autem laruas et monstra quam plurima, ea super equos uacuos, tanquam si essent milites ordinando, et equos illos, sub quodam monticulo, paucis cum eis relictis seruientibus, dimiserunt mandantes eisdem, ut cum ipsi cum Hungaris ingrederentur ad pugnam, ipsi exirent acie ordinata, et paulatim procederent uersus eos. et ipsi in planicie Hungaros expectabant. quibus aduenientibus, Boch comes, et quidam alii, qui de melioribus militibus Hungarie putabantur, qui cum episcopo uenerant, ipsis uisis, habenis equorum dimissis, congressum habuerunt durissimum cum eisdem. et cum essent Tartari numero pauciores, terga eis dare fingentes, uersus monticulum retrocedere inceperunt. et dum ipsi cum laruis exierunt sub monte, et, ut condictum erat, acie ordinata. Hungari hoc uidentes, et opinantes eis insidias factas, terga dederunt, et fugam uelociter inierunt. Tartari autem mox in illos conuersi, illos sequebantur, eosdem prosternendo et interficiendo, prout nequius crudelitates poterant exercere. episcopus autem cum paucis reuersus est Waradinum, et aliquantula mora facta, collectis aliquibus militibus, transiuit Danubium et euasit.

(28) *De infelici bello regis Bele cum Tartaris commisso.* Cumque rex, ut dictum est, egressus de uilla Pesth, progrederetur contra Tartaros cum multitudine armatorum, illi de combustionibus uillarum reuersi, et subito insimul congregati, per uiam, per quam uenerant, retroibant. et sicut isti paulatim persequebantur eosdem, sic et illi tantum ante ipsos se fugere simulabant. et cum ad quandam aquam, que Sayo dicitur, et non multum longe de Agriensi ciuitate fluit, et intrat Ticiam, peruenissent, post aque transitum, qui fiebat per pontem, castra metati sunt, et steterunt, ponentes in ponte custodes, qui noctis uigilias custodirent. Tartari quidem post transitum eiusdem paludis, circa

aquam se in planicie posuerunt. et cum aqua magna existeret et lutosa, non erat eis credulitas, quod sine ponte transitus alicui esse posset. rex suos interim hortabatur, ut ad pugnam uiriliter se haberent, uexilla non pauca, manu propria maioribus assignando. Hungari autem habebant hec omnia in derisum, de multitudine confidentes ad pugnam tamen propter raciones superius assignatas cor et animum non habebant. uolebant quidem quod rex perderet, ut ipsi chariores postmodum haberentur, credentes plagam huiusmodi particularem quibusdam, et non omnibus generalem; sicut audierant quandoque in Hungaria esse factum. nam intrabant Comani subito, et aliquam partem terre, antequam conuenirent Hungari, destruebant, festinantes postmodum ad recessum, et interdum Hungari idem de Comania faciebant. sed non sic, quia hec ultima primis minime responderunt. tamen mille milites omni nocte ad custodiam exercitus ponebantur. quid plura? Tartari uadum inuenientes longe ab exercitu, una nocte unanimiter transierunt, et in aurora totum regis exercitum circumdantes, sagittas emittere in exercitum sicut grandines inceperunt. Hungari uero, quia fuerunt taliter occupati et illorum preuenti astucia, cum armati equos suos ascendebant, nequibant milites suos dominos, et domini suos milites inuenire. et cum ad pugnam accederent, tepide ac remisse accedebant. tanta enim erat crebrosa emissio sagittarum, quod fere umbram pugnantibus faciebant, et sagitte, sicut locuste et bruchus congregatim uadunt, per aera uolabant. et sic sagittarum ictus minime sufferre ualentes, infra circulum exercitus retroibant. rex uero acies non poterat ordinare. et si mixtim ex quacunque parte ibant Hungari ad pugnam, illi eis cum sagittis obuiam uenientes, ipsos infra exercitum retrocedere faciebant, ita quod ipsi ex calore nimio, et angustia maxima ad tantam lassitudinem uenerant, ut rex et Colocensis archi-

episcopus, qui anxii formidabant, nec minis neque adulacionibus ac monicionibus, iam ad pugnam poterant aliquos destinare, ab aurora usque ad meridiem in tali angustia existentes.

Tandem cum iam deficere uiderentur, dux Colomanus, frater regis, cum suis, quos in tanta pressura habere potuit, conflictum durissimum, ex una parte exercitus habuit cum eisdem, pugne per magnum spacium diei insistendo. et dum crederet se per residuam exercitus partem adiuuari, deceptus est. nam cum ex altera parte ad pugnam plurimi ire crederentur, ad pugnam non ibant, sed Tartaris ultro parum sedcedentibus, illis per sui medium uiam absque aliquali sagittarum emissione dabant. quare Hungari plures et plures tali uia potiti, ab exercitu se subtrahebant. et quanto plures transibant, tanto latior uia per Tartaros illis dabatur, et in tanto conflictu non erat rumor uel uerbum aliquod inter eos. et cum rex illos ad conflictum ire crederet, ipsi exibant ad fugam pocius quam ad pugnam. Tartari uero expectantes regis exercitum, nullatenus se mouebant. et cum iam de multis partibus exercitui regio exitus pateret, rex ab illis incognitus, cum paucis uiam habuit uersus siluam. dux autem Colomanus direxit per aliam partem exercitus suum iter, die noctuque in equis plurimis, usque ad dictam Pesth, non per uiam publicam, per quam Hungarica nacio lubricabat, sed per denium, laxatis equorum habenis, ad Portum Danubii festinabat. et quanquam a burgensibus rogaretur, ut morulam faceret quousque saltem pararentur naues ad transitum dominarum uxorum illorum, teneri tamen non potuit, nec ad id induci, dicebat enim, quod de se quilibet cogitaret. aduentum enim persequencium metuens, solus confestim transiuit, et fugit in Simigium, ad quendam locum qui dicitur Fegusd. et licet burgenses de Pesth cum familia ad transitum festinarent, prius tamen superuenerunt

Tartari, et qui non fuerunt in Danubio suffocati de burgensibus, extiterunt gladio interemti.

(29) *De fuga episcopi Quinqueecclesiensis.* Intuens autem Bartholomeus episcopus Quinqueecclesiensis, destructionem exercitus, et aduertens quod quidam de Tartaris in exercitum irruentes castra plurima comburerent, similiter non per uiam publicam, sed per campum, cum multis militibus fugam iniit. et cum pauci de Tartaris equos post eos mitterent pleno cursu, Ladislaus comes, qui ad regem multis uexillis extensis cum sua milicia ueniebat, nil de gestis ipsis presciens, superuenit. episcopus hungarica uexilla congnoscens, ad comitem declinauit, Tartari uero multitudinem aduertentes, abierunt retrorsum, et alios insequi curauerunt. et sic ipse comes cum episcopo abeuntes, ab ipsorum manibus euaserunt.

(30) *De episcopis et aliis clericis in dicto bello interfectis.* De fugientibus quoque per amplam uiam uersus Pesth, et in exercitu remanentibus, facta est tanta strages, totque millia sunt hominum interemta, quod estimacio fieri non ualet, nec referentibus fides, propter innumeram cladem leuiter adhibetur. maiores tamen de clericis cecidere, Matthias Strigoniensis archiepiscopus, quem rex, tum propter fidelitatem, tum quia insimul nutriti erant, magis diligebat, et eius consiliis, magna sub confidencia, in rebus arduis utebatur. Ugolinus Colocensis archiepiscopus, nobilissima ortus prosapia, magna et ardua mundi negocia, omissis minimis, disponens. Hic erat sub cuius fiducia nobiles Hungarie respirabant, hic erat sub cuius fiducia maiores et mediocres humiles se reddebant. Georgius episcopus Iauriensis, qui et nobilis fuit moribus, et peritus sciencia litterarum. Reynoldus Ultrasiluanus episcopus, et ecclesie Nitriensis episcopus, qui fuerat laudabilis uite, et morum

ıestate preclarus. Nicolaus Scibiniensis prepositus, regis
ecancellarius, nobilibus natalibus ortus, qui unum de
ioribus, antequam se necis necessitati subiiceret, cruen-
› gladio iugulauit. Eradius archidiaconus Bachiensis,
gister Albertus, Strigoniensis archidiaconus, qui circa
ınta iuris prelatus, alios meruit edocere. ipsorum quo-
› corpora diris mucronibus taliter sunt mactata, quod
:t recessum eorum, quanquam multum exquisitia fue-
t, nequierunt ullatenus reperiri. de numero uero lai-
um maiorum et minorum, qui suffocati fuerunt paludi-
; et aquis, igne concremati et gladio interemti, nulli
rtalium possit fieri certitudo. nam per campos et uias
ıbant corpora multorum mortuorum, aliqua capite dimi-
a, aliqua frustatim diuisa in uillis et in ecclesiis, ad
ıs recursum habuerant, plurima concremata. hoc exi-
m, hec pernicies, et hec strages tenebat duorum die-
ı itinera occupata, totaque terra erat sanguine rubri-
ı, et existebant corpora super terra, sicut stant ad
cua per deserta greges pecorum, ouium et porcorum,
sicut in lapicidinis secti lapides ad structuras. habuit
ur aqua corpora mortalium suffocata, hec sunt a pisci-
;, a uermibus, ab auibus in aquis degentibus deuorata.
:a illorum corporum dominium est adepta, que occu-
ırunt uenenatis lanceis, mucronibus et sagittis, hec
guine cruentate celi aues, et dentate bestie, tam do-
ıtice quam siluestres, morsu usque ad ossa nequissime
roserunt. ignis illa tenuit, que cremata sunt in eccles-
et in uillis. interdum ignem, ex cremacione huius-
di, pinguia extinguebant. hec consumi nequeunt mo-
o temporis interuallo. nam inueniuntur in locis pluri-
ı, usque ad tempora longiora, ossa denigratis pellibus
ı consumtis inuoluta, pro eo quod quibusdam bestiis
e placide non existunt, nisi aliter destruantur. cum au-
ı in dominium trium elementorum uniuersa corpora

transiuissent; uidendum est quid quarto reliquerint elemento. ad aerem igitur, qui quartum dicitur elementum, alia tria fetorem omnium corporum transmiserunt; et sic ex fetore corruptus est et infectus, quod homines, qui per campos, et uias, et siluas, ex uulneribus remanserant semiuiui, ex infectione aeris, qui forte uiuere poterant, exspirauerunt. et sic aer huius crudelis exicii non est expers, de auro igitur et de argento, equis, armis, uestibus et rebus aliis tot hominum, qui occubuerunt, tam in prelio, quam in fuga, quid dicetur? equi cum sellis et frenis, sine sessoribus, per prata et nemora discurrebant, et ex strepitu erant facti adeo furibundi, ut insanire penitus uiderentur. et sic eos territos, cum nequierint proprios dominos reperire, oportebant aut mori gladio, aut subiicere se dominio exterorum, quorum hinnitus haberi poterat pro gemitu atque fletu. argentea quoque uasa et aurea, sericee uestes, et alia hominibus opportuna, per campos et siluas a fugientibus proiecta, ut ipsi uelociori cursu manus insequencium euaderent, non habebant aliquos collectores. Tartari tantum interfectionibus hominum insistentes, de spoliis minime curare uidebantur.

(31) *Quomodo Tartari habita uictoria spolia diuiserint, et inuento regis sigillo ficticias litteras scripserint.* Habita de tanto exercitu uictoria et triumpho, captaque depredacione huiusmodi cum tumultu, et uestimentis mixtis sanguine, equis, auro et argento, effusa rubigine rubricatis, tanquam congeriebus lapidum, et aceruis frugum insimul adunatis, ad diuisionem et ad particionem eorum, herus cum elegancioribus de Tartaris, ex particione huiusmodi subsecuta, reperto sigillo regis penes cancellarium, cuius caput a corpore diro mucrone demerant, iam confisi de terra, et timentes ne populi profligacione regis audita, manus per

fugam effugerent eorundem, diligenter aduertite astuciam quam fecerunt.

Primo totam Hungariam ultra Danubium dimiserunt, et assignauerunt uni cuique de maioribus Tartarorum regibus, qui adhuc Hungariam non intrauerant, partem suam, significando eis rumores, et quod festinarent, quia iam eis obstaculum nullum erat. et fecerunt scribi per quosdam clericos Hungaros, quos adhuc ad uitam seruauerant, maioribus omnibus et popularibus per totam Hungariam existentibus, sub nomine regis multifaria ficticia litterarum, sub hac forma: Canum feritatem et rabiem non timeatis, nec uestris de domibus uos mouere audeatis. licet enim, propter quandam improuisionem, tum castra, tum tentoria reliquerimus, paulatim tamen, deo nobis propicio, eadem recuperare intendimus, contra illos prelium uirtuosum instaurantes. unde tantum oracioni uacetis, ut misericors deus aduersariorum nostrorum capita a nobis permittat malleari. he fuerunt littere, per quosdam Hungaros, qui iam eis adheserant, destinate, qui me, ac totam Hungariam destruxerunt. nam tantam illarum certitudini litterarum fidem dedimus, quod, licet omni die contrarium cerneretur, tamen, quia in terra illico guerrarum turbacio superuenit, ob hoc ad sciendum rumores nuncios mittere nullatenus poteramus, contrariumque credere nequibamus. et sic Hungaria occupata, uiam non potuit habere fugiendi. sed quia processum regis dimisimus indiscussum, reuertamur ad progressum suum, uel quod uerius est, ad egressum.

(32) *Quid fecerit rex Bela post debellacionem sui exercitus, et qualiter per ducem Austrie captus fuerit pariter et spoliatus.* Ipso itaque rege de exercitu profligato, die noctuque cum paucissimis uersus confinia Polonie habuit iter suum, et inde directo tramite, ut reginam posset attin-

gere, que in confinio Austrie morabatur, quantum poterat properabat. dux Austrie hoc audito iniqua in corde concipiens contra eum, sub nomine amicicie obuius ei fuit. sed rex armis exutus, dum prandium pararetur, modico temporis interuallo somnii quietem capessebat iuxta aquam, utpote qui fuerat itinere fatigatus. Qui tandem excitatus a somno, cum ducem uidit, letatus est ualde. dux autem regem inter alia consolatoria uerba peciit, ut Danubium transiret, ut ibidem securius quiescere et morari posset. rex uero his auditis, tanquam innocens, nihil mali suspicatus, dictis ducis acquieuit. dicebat enim dux, se castrum ex altera parte habere, et ibidem regem melius honorare posse, cum tamen in animo, non honorare, sed confundere illum haberet propositum. et cum se rex scyllam uitare crederet, incidit in charybdim, et sicut piscis, uolens uitare frixorium ne frigatur, ad assandum proiicit se ad prunas, credens malum effugere, inuenit nequius. nam dux Austrie astucia excogitata, cum rege suum ad libitum potitus extitit, ab eo quandam pecunie quantitatem, quam dicebat olim a se per ipsum extortatam fuisse, repeciit. quid plura? rex manus illius euadere nequiuit, quosque partem eiusdem pecunie in promto, partem in uasis aureis et argenteis illi persoluit: pro parte autem tres comitatus sui regni, illius terre contiguos illi obligauit. et licet ipsa uasa aurea et argentea maioris fuerint estimacionis, tamen dux illa solum in duobus millibus marcarum, simul cum lapidibus preciosis, recepit. dux autem illico castrorum illorum comitatus corporali possessione est adeptus, et illa ex propriis pecuniis contra Tartaros fecit reparare. si queratur quanta fuerit pecunie quantitas? est ignotum. nam alii de septem, quidam de nouem, ceteri de decem marcarum millibus referebant. sed de ueritate liquere non poterat, quia secrete contractus fecerant, et firmauerant propriis iuramentis. quibus expeditis ad reginam, que

non multum distabat, quantum potuit festinauit. et una cum ipsa, sine tractu more, Stephanum Waciensem episcopum, ad imperialem et Romanam curiam pro subsidio destinauit, et interim circa Segesdinum, cum illis quos aggregare potuit moram traxit.

(33) *Quomodo dux Austrie spoliauerit fugitiuos Hungaros, et de insultu Theutonorum in Hungariam facto.* Dux prospecto iam quod Hungari essent unanimiter in fuga, sibi multos milites aggregauit, eos contra Hungaros in Hungariam transmittendo, et sic Tartari ex illa parte Danubii destruebant, et ex ista Theutonici depredabantur, et uillas, prout poterant comburebant, ita ut ciuitatem Iauriensem intrantes, castrum ceperint, et illud moliti sint per uiolenciam obtinere. Hungari uero de partibus illis conuenientes in unum, ad ciuitatem manu armata euntes, ciuitatem ceperunt, et omnes in castro Theutonicos cremauerunt. dux nimio furore repletus, propter hoc candescens contra Hungaros, fugientes a facie Tartarorum, quos in Austria collegerat, et quibus fidem promiserat, non contentus de eo quod regi fecerat, peciit ab eis pro castrorum et ciuitatum custodia quandam pecunie quantitatem. et sic hac occasione inuenta, cum tam Theutonici quam Hungari essent multum diuites in pecunia et rebus, eos usque ad extremam exinanicionem nequiter spoliauit, et miseri Hungari deuorabantur ubique morsu amarissimo, a seuis bestiis dentatis, et postmodum nudi in aridam proiiciebantur et euomebantur. sed his expeditis referamus de regibus Tartarorum, qui postmodum Hungariam intrauerunt.

(34) *Quomodo Tartari Waradiensem ciuitatem expugnauerint, et quomodo amplius ad pontem Thome et alios processerint.* Cadan rex, ut in alia parte dictum est, Rudana

expugnata et capto Aristaldo comite, eleganciores sexcentos armatos Theutonicos elegit, qui sub iurisdictione dicti comitis extiterunt. hi prestantibus ducatum Tartaris per siluas et nemora, rupes et precipicia, prope Waradinum ciuitatem subito aduenerunt. et quia ciuitas multum erat in Hungaria nominata, undique illuc nobiles, tam domine quam mulieres populares innumerabiles conuenerant. et licet episcopus cum quibusdam canonicis exinde recessisset, ego tamen cum remanentibus eram ibi. et cum castrum ex una parte dirutum cerneretur, amplo muro illud fecimus reparari, ut si ciuitatem defendere non possemus, ad castrum refugium haberemus. et cum uno dierum subito aduenissent, et esset in ciuitate sub quodam dubio mora mea, castrum intrare nolui, sed aufugi in siluam, in qua diu, prout potui, latitaui. ipsi tamen subito ciuitatem capientes, et pro maiori parte comburentes, tandem nihil extra muros castri penitus dimiserunt, et receptis spoliis, tam uiros quam feminas, minores et maiores interfecerunt, in plateis, domibus et campis. quid plura? non peperce-runt sexui uel etati. quibus peractis subito exinde recesserunt, et omnia in recessu receperunt, et longe a castro se per quinque milliaria posuerunt; et ad castrum per multos dies nullatenus accesserunt, sic ut illi de castro cogitarent, eos propter castri fortitudinem recessisse. nam magnis munitum erat fossatis, et turribus ligneis super muros, et multi loricati milites erant ibi, ita ut dum Tartari ad respiciendum interdum accederent, milites Hungari uelociori cursu eos insequi procurarent. et cum plurimis diebus ad castrum non accederent, et crederetur quod ex toto exinde recessissent, milites et alii qui in castro erant, de recessu eorum habentes fiduciam, castro quamplurimi exierunt, et domos que remanserant extra castrum, ceperunt communiter habitare. et sic in aurora eos Tartari, qui ubi essent scire non poterant, inuadentes, magnam ipsorum partem,

qui nequierunt ad castrum fugere, necauerunt. et castrum illico circumdantes, ex opposito ad murum nouum septem machinas posuerunt, et die noctuque cum eis emittere lapides, quosque nouus murus dirutus est ex toto nullatenus cessauerunt, et turribus dirutis atque muris, congressum dederunt, et castro per uiolenciam occupato, ceperunt milites, et canonicos, et alios, qui non fuerunt in occupacione castri gladio interemti. domine uero, domicelle et puelle nobiles, se in ecclesiam cathedralem recipere uoluerunt.

Ipsi uero Tartari fecerunt arma a militibus sibi dari, et per tormenta durissima, quidquid habuerunt a canonicis extorserunt. et quia cathedralem ecclessiam subito intrare nequierunt, igne apposito ecclesiam, et dominas, et quidquid erat in ecclesia combusserunt. in aliis uero ecclesiis tot scelera de mulieribus patrarunt, ut tucius sit subticere, ne homines ad nequissima instruantur. nobiles, ciues, milites, et canonici, extra ciuitatem in campo fuerunt omnes sine aliqua pietate iugulati. post hec sanctorum sepulchra totaliter euerterunt, et pedibus sceleratis reliquias calcauerunt, thuribula, cruces, et calices aureos, et uasa aurea, et alia dedita ad altaris ministeria comminuerunt. introducebant in ecclesias mixtim uiros et mulieres; et post turpem illorum abusionem, eosdem ibidem necabant. postquam autem omnia euersa sunt, et fetor intolerabilis procederet ex corporibus defunctorum, exinde recesserunt, et tantum locus solus remansit. homines qui per siluas circumpositas latitabant, conuenerunt ibidem, ut aliqua comestibilia inuenirent. et cum uerterent lapides et corpora mortuorum, Tartari subito sunt reuersi, et uiuum de uiuentibus, quos ibi reperiebant, neminem dimiserunt. et sic usque ad extremum fiebant quotidie noue strages. et cum plures interficere non haberent, ex toto abinde recesserunt. nos uero, qui in siluis, inter indagines moraba-

mur, de nocte fugam iniuimus, uersus pontem Thome, magnam Theutonicorum uillam super fluuium Crisii positam. sed Theutonici nos transire per pontem nullatenus permiserunt, immo institerunt ut una eisdem uillam eorum bene munitam defenderemus, quod plurimum displicebat. tamen ad quandam diuertimus insulam, que contra Tartaros per homines de Agya, et Waydam de Geroth et de pluribus aliis circum iacentibus uillis, fortiter parabatur. ego cum ultra procedere non auderem, cepi ad procuratoris et omnium loci illius instanciam moram ibidem trahere cum eisdem. nam nullus in pretactam insulam intrare poterat, nisi per quandam uiam arctissimam et minutam, ita ut per milliare in illa uia tres porte cum turribus facte essent, et preter has ad milliare fortissime indagines circumquaque. et cum ita munitum locum aduerterem, placuit mihi et remansi. sed consuetudo insule illa erat ut ingressum preberet singulis, sed regressum omnibus denegaret. et cum aliquibus diebus ibi cum mea familia essem, per exploratores nostros percepimus, quod propius Tartari uenirent. exiui secrete insulam, ut uiderem quomodo equos possemus conseruare; et uno ductore conducto, et uno seruiente, quoniam quilibet nostrum tres equos habebat, de nocte, uersus Chanadinum ciuitatem, super fluuium Morisii positam, que distabat ab illo loco ad octo milliaria, properauimus. et cum per totam noctem iremus, quantum equi poterant nos portare, in aurora peruenimus Chanadinum. sed precedenti die, a Tartaris, qui per aliam partem intrauerant Hungariam captum fuerat et destructum, et partes illas totaliter occupauerant, ita ut fluuium nequiuerimus pertransire. et cum equi lassi essent, et homines huc et illuc de partibus illis se absconderent, retrocedere nullo modo poteramus. et sic in quibusdam domiculis, equis dimissis, in quibusdam foueis, illo die nos oportuit latitare. adueniente tandem nocte, ad locum pristinum,

ɔn sine difficultate nimia cepimus in timore transire per edium Tartarorum; curuatoque supercilio, cum pudore sulam reintrauimus. Et cum in tali periculo moraremur, ɪruientes mei qui ad equos exterius uigilabant, et alii qui ecum erant, cum pecunia quam habebam et uestibus, ɜ insula aufugerunt. et in fuga inuenti per Tartaros sunt adio interemti, me cum uno seruiente, quasi nudo in sula permanente. post hec statim inualuere rumores, ɪod dictum pontem Thome, Theutonicorum uillam, in ɪrora Tartari occupauerunt, et quos tenere noluerant, orrenda crudelitas acerbitatis gladio dire iugulauit. quo ɪdito inhorruerunt pili carnis mee, cepit corpus tremere ɜ pauere, lingua miserabiliter balbutire, perspiciens quod ire mortis articulus, qui iam uitari non poterat, immineɪt. trucidatores cordis oculis intuebar, caro sudorem ɪortis frigidissimum emittebat. uidebam et mortales morɪm expectantes assidue, non posse manus ad arma extenere, erigere brachia, pedes ad defensionis loca mouere, culis terram prospicere. et quid plura? homines conspiebam ex timore nimio semiuiuos. et cum essem in ecstasi ositus, affuit mihi misericordia Iesu Christi, et tanquam aus de maioribus, ut melius muniremur, insule populum ɔnuocaui. cuius rei occasione, cum populo sum egressus ɪsulam, et acceptis duobus pueris, procuratoris et hoɪitis mei filiis, et unico seruiente, qui mihi remanserat, ɔngius ire simulans, in silua, inter indagines latitaui, uerorum patri renuncians, quod propter timorem noleam insulam reintrare, et cogitans, quod si mecum abɔonsos suos tenerem filios, ipse mihi necessaria transmitɪret. et cum summo diluculo uictualia mitterentur, illico artari aduenerunt, insulam circumdantes. et cum darent ɪtelligere, quod uellent per aquam insulam expugnare, opulus insule deceptus, ad protegendum illas partes exus est. Tartari uero ex alia parte in portas presidio nu-

datas irruentes, illas expugnarunt, et in insulam intrantes, non inuenerunt aliquem de nostris qui sagittam emitteret, uel in equo uel pedibus obuius illis foret. que et qualia, quot et quanta iniqua ibi et crudelia perpetrauerunt, non solum uisui essent terribilia, sed perhorrescerent homines audire. et exinde spoliis asportatis, denudata mulierum et hominum corpora, quedam frustatim diuisa, quedam integra remanserunt. et cum plurimi, qui latitauerant, opinarentur, eos post diem tercium recessisse, pro acquirendis uictualibus recursum ad insulam habuerunt, et occupati a Tartaris, qui se ibi absconderant, paucissimi euaserunt. ego uero per siluas, tanquam profugus, omnium destitutus auxilio, mendicabam, et cui magna donaueram, uix mihi eleemosynam porrigebat, ita quod necessitate famis et sitis me acrius perurgente, de nocte compellebar intrare insulam, et corpora euertere mortuorum, ut sepultam farinam et carnes ad esum mihi, uel aliud comestibile inuenirem. et de nocte quidquid inueniebam id ad siluas longius asportabam. o attendite et uidete, quam illa pessima uita erat. post decimum uel uigesimum diem intraui insulam, euertere corpora mortuorum. quantus ibi poterat esse luctus, quantus ibi poterat esse fetor, quantus poterat esse timor, aduertite. non est homo, ut opinor, qui tantis in animum reductis penarum generibus, non terreretur. oportebat me inuenire cauernas, uel foueas facere, uel arbores querere perforatas, in quas me possem recipere, cum illi densitatem ueprium, opaca nemorum, aquarum profunda, intimia solitudinum, tanquam canes lepores et apros inuestigantes, percurrere uidebantur. siluas has per mensem et amplius quesierunt. et cum per ipsa loca populos nequierent interimere uniuersos; se ad nouum genus fraudis taliter conuerterunt.

(35) *Quomodo Tartari illos qui se in siluis absconderunt, deceperint.* Ceperunt aliquos per siluas latitantes, et eosdem sub hac uoce miserunt, quod quisquis uellet ad fidem eorum se dare, securus reditus, infra certum terminum, ad propria ueniendi daretur ei. quorum uerbis, cum homines iam propter uictualium penuriam morerentur, totaliter crediderunt, et sic omnes, qui remanserant ad domos proprias sunt reuersi. et cum silue magne essent, erat adhuc populus infinitus, qui latitabat; ita quod ad tres dietas terra facta est populosa et quelibet uilla elegit sibi regem de Tartaris, quem optauit. quo facto cum essent tempora messium, fruges unanimiter collegerunt, et eas ac stramina, et fenum et alia ad horrea congregabant. stabant nobiscum Tartari et Comani simul. uidebant quamplurimi et gaudebant, letabantur, quod patres per filias, mariti per uxores, fratres per sorores pulchras uitam redimebant, illas ad libitum eorum conseruantes, et pro quodam illis fiebat solacio, ut in conspectu patris uel mariti, uxor uel filia stuprabatur. constituerunt canesios, id est baliuos, qui iusticiam facerent, et eis equos, animalia, arma, xenia, et uestimenta utilia procurarent. et sic procurator meus de istis dominis erat unus et pene mille uillas regebat, et erant canesii fere centum. pacem habebamus, et fora; iustaque unicuique iusticia seruabatur. eis mittebantur pulcherrime puellarum; sed oues, boues uel equos ductores pro tali xenio reducebant. conueniebant canesii pene qualibet septimana. ego uero sepius ut uitam eorum aspicerem, et aliquos de maioribus noscerem, et ut addiscerem si uia redemcionis aliqua se offeret, ad eos cum meo canesio accedebam. quadam uice preceperunt omnes canesii in mandatis, ut de certis uillis uiri et mulieres puerique simul cum muneribus in eorum presenciam uenirent. timebamus de hoc rumore non modicum, causam rei pe-

nitus ignorantes. elegi igitur pocius cum ipsis canesiis ad exercitum ire, quam sub tali dubio in uilla remanere. quare nudi et discalceati, ad custodiam curruum in quibusdam tentoriis Hungarorum, qui iam Tartari in suis operibus effecti erant, remansimus. canesii uero ad recipienda munera accesserunt, qui muneribus receptis, omnes presentantes in quandam uallem duxerunt, enormiterque spoliatos et denudatos ibidem interfecerunt.

(36) *Quomodo presentis carminis auctor ad manus Tartarorum deuenerit.* Et cum ad me rumores huiusmodi peruenirent, dicioni cuiusdam Hungari, facti ut dixi operibus Tartari, me submisi, qui in suum seruum admittere, pro magna gracia me est dignatus. et cum per aliquot dies cum ipso permansissem, mortem semper pre corde preque oculis habebam. conspexi inter hec Comanos infinitos et Tartaros, cum curribus spoliis oneratis, pecoribus, iumentis et aliis utensilibus, undique reuertentes. et cum inquirerem quid hoc esset, responsum est, quod ipsi una nocte, dimissas omnes et singulas uillas circumdantes, inebriassent gladios in sanguine occisorum, ita ut in omnibus illis uillis paucissimi euasissent, qui in siluis et cauernis se abscondere potuissent, ita quod remansit prouincia totaliter desolata. ueruntamen nec fruges, nec stramina, nec domos aliquas combusserunt, sed in preseruacionem uite omnia hec induxerunt. pro eo conieci firmiter ipsos uelle in illis partibus hiemare, uel familias suas dimittere, ut in hieme pro equis domos et uictualia inuenirent. quód totum postmodum didici esse uerum. nam populos uiuere ad tempus dimiserant ad cautelam, ut in unum segetes congregarent, et uindemiarent uineas, sed nolebant ut illi consumerent congregata.

(37) *De destructione Nove-uille et monasterii de Egres.* Quid plura? uersus Orodinum et Chandinum procedere inceperunt, in medio eorum, Noua-uilli dimissa, nomen cuius Perg fuerat, in qua homines septuaginta uillarum fuerant congregati, et dimisso monasterio Egres Cisterciensis ordinis, in quod tanquam munitum castrum se milites et multe domine receperant. nec Tartari loca illa aggredi uoluerunt, quousque circumcirca esset terra totaliter desolata. sed interdum aliqui accedebant, et ab Hungaris militibus per magnum terre spacium fugabantur, ita quod credebant firmiter se intactos, propter suam potenciam remanere. tandem post tocius terre illius desolacionem, Ruthenorum, Comanorum, Hungarorum capituorum, paucorum eciam Tartarorum multitudine adunata, uillam magnam undique circumdantes, ad pugnam captiuos Hungaros premiserunt; et illis interemtis totaliter, Rutheni, Ismahelite, Comani postmodum pugnauerunt. Tartari uero retro post omnes stantes, ridebant de casu et ruina illorum, et retrocedentes a pugna suorum, dabant quamplurimos uoragini gladiorum, ita quod ipsis diebus et noctibus, pugnantibus per unam septimanam, et fossatis impletis, ceperant uillam. milites igitur et dominas, que multe erant extra in campo, in una parte, et rusticos in alia posuerunt, ac pecunia, armis, uestibus, et aliis bonis receptis ab eis, et quibusdam duabus puellis reseruatis ad uitam, et ad lusum eorum deductis, cum securibus et gladiis omnes crudeliter interfecerunt. illi quidem solummodo remanserant, qui inter mortuos repentino casu decidentes, alieno sanguine cruentati, se occultare ualuerunt. o dolor! o crudelitas et rabies immanis populi immensa! nam qui tante gentis cladem sana mente consideraret; hunc locum agrum sanguinis debite dicere posset. tandem post paucos dies, dictum claustrum seu monasterium Egres obsede-

runt, et appositis eidem multis machinis, cum in ipso existentes nequirent resistere, ad manus et fidem ipsorum se, ut uita potirentur, reddiderunt. sed de ipsis, quod et de aliis, factum est, exceptis quibusdam monachis, quos abire libenter permiserunt, et ad abusum eorum retentis quibusdam dominabus et pulcherrimis puellis. quid amplius? si describerentur singulariter pugne singule, et crudelitates nimie que fiebant, legencium corda perterrerent, et terribili sonitu tinnire facerent aures. si huiusmodi rumores horribiles essent diffusi per orbem, mundi principes aliter cogitarent. ecce per estatem illam, usque ad confinia Austrie, Bohemie, Morauie, Polonie, Slesie et Comanie, usque ad Danubium communiter omnia destruxerunt.

(38) *De astucia Tartarorum ad transeundum Danubium exquisita.* Sed cum Strigonium in Hungaria omnes et singulas precelleret ciuitates, maxime cogitabant transire Danubium, et ibi figere castra sua. et ecce, in hieme niuis et glaciei abundacia superuenit, ita quod Danubius, quod non acciderat a multis retroatis temporibus, gelabatur. sed Hungari ex ipsorum parte singulis diebus frangebant glacies, et custodiebant Danubium, ita quod assidue fiebat pugna peditum super gelu. Tamen cum dire glacies aduenerunt, totus Danubius congelatus est, sed isti transire cum equis nullatenus attentabant. aduertite igitur quid fecerint. multos equos et animalia super ripam Danubii adduxerunt, et neminem per tres dies ad eorum custodiam dimiserunt, ita quod bestie sine custodibus pergere uidebantur, nec aliquis eorum in illis partibus apparebat. tunc Hungari credentes Tartaros recessisse, subito transierunt, et omnia illa animalia per glacies transduxerunt. quod Tartari aduertentes, cogitarunt posse in equis transire libere super gelu. quod et factum est, et tot uno impetu transierunt, quod ex ista parte Danubii terre faciem impleuerunt,

rex autem Cadan post regem Hungarie properauit, qui in Sclauonia, tanquam qui nullum habebat subsidium, morabatur. sed ipse huius facti prescius, fugam iniit, et cum ipse maritima castra acceptare nequieret, ad insulas pertransiuit, ita quod usque ad recessum eorum, eum insule tenuerunt. Uidens Cadan rex, quod eum habere non posset, destruxit Boznam, regnum Rascie, et inde in Bulgariam pertransiuit.

(39) *Quomodo Tartari Strigonium destruxerunt.* Alia uero pars exercitus uersus nominatum Strigonium habuit iter suum, et usque ad illud paucissimi accesserunt; sed se longius posuerunt, et usque ad triginta machinas parauerunt. Strigonienses interim se cum fossatis, muris et turribus ligneis fortissime munierant. et erat in ciuitate illa populus infinitus, et burgenses ditissimi, milites nobiles, et domine que illic conuenerant, uelut ad presidium singulare; tantaque eorum erat superbia, quod credebant se resistere posse toti mundo. ecce una dierum ciuitatem Tartari circumdederunt; et captiui, qui cum eis erant, tot ramorum fasciculos portauerunt, quibus in una parte ciuitatis, supra fossati supercilium altum murum simul et semel de fasciculis construxerunt, et statim post murum illum dictas triginta machinas posuerunt, ita quod die noctuque ad ciuitatem et ad turres ligneas lapides emittebant. et propter hoc tantus in ciuitate cepit esse tumultus, et tanta fuerunt caligine obumbrati; quod iam memoriam amiserant se defendendi, et inter se tanquam ceci et fatui uexabantur. cum uero Tartari municiones ligneas destruxissent, saccos plenos terra ad implendum fossata, cum machinis emittebant. uerum nullus ex Hungaris et aliis, audebat in fossati supercilio comparere, propter lapides et sagittas. Hungari uero et Francigene ac Lombardi, qui quasi erant domini ciuitatis, se non posse de-

fendere aduertentes, combusserunt suburbia et domos ligneas, que multe erant, usque ad palacia ciuitatis. pannos quoque et uestes combusserunt in domibus infinitas; interfecerunt equos, aurum et argentum ad terram foderunt, et quidquid boni habuerunt absconderunt: et ut se in palaciis defenderent, in eadem se receperunt. sed Tartari prescientes quod combusta erant omnia, de quibus se ditari credebant, contra nos magnam succensi in iram, claudendo ciuitatem cum phalangis ligneis subito circumcirca, ut nullus euaderet, quin per os gladii pertransiret. ceperunt postmodum palacia expugnare. quibus uelociter expugnatis, non credo ut uerum fatear, quod quindecim de tota remanserunt ciuitate, qui non fuissent tam intus quam extra omnes nequiter interfecti. ibi inebriauerunt gladios suos in sanguine, et ex calore, quem conceperant contra eos, uiuos assabant homines sicut porcos.

(40) *Quomodo postea Tartari destructa pene omni Hungaria ad propria redierint.* Domine autem magne, sicut melius poterant ornate, in uno palacio se collegerant. et cum capi et interfici deberent, ad audienciam magni principis appellauerunt. omnes itaque sunt fere trecente extra ciuitatem ad principem adducte, que pro munere pecierunt, ut eas uite, sub suo dominio conseruaret. qui iratus, pro eo, quod nihil lucrati fuerant, precepit, ut receptis spoliis earum, capite truncarentur, quod subito factum fuit, castro ciuitatis non expugnato, in quo erat comes Symeon Hispanus, cum multis balistariis, qui se uiriliter defendebat. et cum ad Albam regiam ciuitatem accederent, que est paludibus circumsepta, cum esset in dissolucione niuis et glaciei, nequierunt eam occupare. et cum castrum sancti Martini de Pannonia expugnarent, abbate se uiriliter defendente, fuerunt subito reuocati, ita quod ista tria loca tantum inexpugnata in illis partibus remanserunt. et

terram tam ultra Danubium, quam citra eorum in manibus habuerunt, sed citra non fuit sic funditus desolata, quia ibi sua tentoria non fixerunt, sed transeundo quidquid inuenerunt unanimiter destruxerunt. auditis itaque rumoribus, quod Tartari aspernabantur Theutoniam expugnare, quamplurimum dolui, quia ibi manus occidencium euadere opinabar: et gauisus fui non modicum, quia Christianorum excidium uitabatur. sed maiorum regum de mandato incepimus per depopulatam terram retrocedere, cum curribus oneratis spoliis et armamentis, iumentorum et pecorum gregibus pedetentim latebras et opaca saltuum exquirendo, ut que reperta in progressibus non fuerant, in regressibus inuenirentur. et sic retrocedendo paulatim peruenimus ultra siluas, ubi remanserat populi multitudo, et erant ibi post eorum transitum castra plurima preparata. et quid ultra? exceptis castris quibusdam, terram totaliter occuparunt, et eam procedentes, desolatam et uacuam reliquerunt. iam cum exirent Hungariam, Comaniam intrare ceperunt. non sinebant, ut prius, quod sine delectu interficerentur bestie pro captiuis: sed intestina et pedes bestiarum, et capita tantum dabant eis. tunc cepimus cogitare, ut eciam interpretes referebant, quod nobis Hungariam exeuntibus daturi essent nos omnes uoragini gladiorum. et cum iam mihi uiuendi fiducia nulla esset, et mors dira et aspera in ianuis haberetur, cogitaui melius ibi mori, quam procedendo assiduis morsibus cruciari. et sic uia publica derelicta, ire ad opus naturale simulans, ad densitatem saltus festinis gressibus, cum seruiente unico, properaui, et subintrans cuiusdam riuuli concauum, me feci ramis et foliis cooperiri. absconditque se seruiens meus remocius, ne unius inopinata inuencio, mestam operaretur alterius capcionem. et sic iacuimus duobus diebus naturalibus, non leuantes capita, sicut in sepulchris, audientes uoces illorum horribiles, qui propius per saltum, post

eroneum iter pecorum abibant, captiuos sepius, qui se abscondebant acclamantes. non ualentibus autem nobis ulterius famis iustissimum appetitum et edendi auxiam uoluntatem intra claustra cordis taciturnitatis nodo perstringere, leuauimus capita, et more serpentium, pedibus et manibus reptauimus super terra. conuenimus tandem, et uoce debili ac submissa mestas querelas importune famis alternatim cepimus reserare, ac gemitibus et fletibus explicare, quod gladio mori minoris excidii fuisset, quam per inediam compagines membrorum ac unionem corporis et anime dissoluere. et cum pios sermones huiusmodi conferremus, affuit unus homo, ad quem cum se nostrorum acies extenderet oculorum, fugam iniuimus timorosam, nec auertimus oculos fugiendo, ut intueremur, si nobis preuius esse posset, uel foret nobis fugientibus subsequela. sed non minus ipsum uidimus uices assumere precursoris, credebat enim quod uirtus nostra preualida, insidias sibi poneret per obliquum. et cum communis inspector traderet et teneret, quod fugitiui conspicerent fugitiuum, armorumque delacio apud illos nulla foret, stetimus, aduocantes nos adinuicem, nutibus atque signis. et cum unus daret de se ipso alteri nocionem, prolixis sermonibus atque piis deliberando decreuimus, quid agere deberemus. sed angustia geminata, uidelicet fame execrabili, et timore mortis anxie torquebamur, ita quod priuari uidebamur penitus lumine oculorum. nam nequibamus succum herbarum siluestrium deglutire, uel ipsas herbas, uti faciunt bestie masticare. et licet nos tanta fames perurgeret, et stupende mortis aculeus immineret, prestabat tamen nobis uiuendi fiducia fulcimentum, et euadendi spes fortitudinem ministrabat. et sic assumta fiducia, in domino confortati, ad extrema silue peruenimus affectuose, ascendimusque arborem eminentem, et terram conspeximus a Tartaris desolatam, quam non destruxerant ueniendo. o dolor. terram depo-

pulatam et uacuam cepimus peragrare, quam in eundo dimiserant desolatam. basilicarum siquidem campanilia, de loco ad locum erant nobis signa ducencia, et ipsa uiam nobis fatis horridam presignabant. nam erant uie et semite antiquate, et ab herbis et uepribus totaliter occupate. porrum, cepe, et allia, que in rusticorum remanserant hortis, quando reperiri poterant, nihi pro maximis deliciis ferebantur, ceteri malua, cicardis, et cicutarum radicibus utebantur. his uentres famelici replebantur, et spiritus uegetabilis, in exsangui corpore refocillabatur. lassis requies non dabatur, utopte qui absque tecto operimentum, quo nostra tegeremus capita non habentes, nocturno tempore quiescebamus. tandem uix octauo die, a silue, recessu ad Albam uenimus ciuitatem, in qua nihil potuit reperiri, preterquam ossa et capita occisorum. basilicarum et palaciorum muros diruptos et subfossos, quos nimia Christiani cruoris effusio macularat. et licet terra, innoxium sanguinem, quem inebriata suxerat non monstraret, ostendebant se lapides adhuc cruore roseo purpurati, per quos absque continuato gemitu amaris suspiriis, festinus transitus non fiebat. et erat ibi ad decem milliaria iuxta siluam uilla, que Frata dicitur in uulgari; et infra siluam, ad quatuor milliaria, mons mirabilis et excelsus, in cuius summitate lapis et petra fundabatur terribilis. magna eo hominum et mulierum confugerat multitudo, qui nos gratanter cum fletu receperunt, interrogabantque nos de nostris periculis, que nos omnia illis paucis uerbis declarare nequibamus. obtulerunt tandem nobis nigrum panem, de farina et contritis corticibus quercuum pistum. sed nobis dulcor illius, supra similas, quandocunque per nos comestas suauior uidebatur. mansimus igitur ibidem uno mense, nec fuimus ausi discedere, sed mittebamus semper speculatores, ex hominibus leuioribus, uidere et rescire, si adhuc aliqua pars Tartarorum in Hungaria remansisset, aut si arte decepto-

ria, ut prius instructi, pro capiendis reliquiis fuga lapsis reuerterentur. et quamuis sepius, necessitate querendi uictualia cogente, loca peterimus quondam habitata, nunquam tamen noster tutus fuit descensus, donec rex Bela, maritimis de partibus, per cruciferos de insula Rhodi, et dominos de Frangapanibus, multis agminibus militum adiutus, certificatus prius per Hungaros de recessu Tartarorum, in Hungariam uenit. scripsi igitur hec paternitati uestre, absque admixtione falsitatis, ut eadem uestra paternitas, que prosperitatis mee si rota sciat, et aduersitatis ac periculi quidditatem. Ualeat p. u.

LEGES.

S. STEPHANI REGIS

DE

MORUM INSTITUTIONE AD EMERICUM DUCEM LIBER.

E codice chartaceo sæculi XV. bibliothecæ palatinæ Vindobonensis.

INCIPIT PROLOGUS.

Cum cuncta dei nutu condita, suaque euidentissim preordinacione disposita, tam in amplitudine celi, quam in istis aptissimis terrarum climatibus racione intelligam, ac funditus senciam uigere atque subsistere, cumque affatim uniuersa huius uite utilitati dignitatique gracia dei concessa, scilicet regna, consulatus, ducatus, comitatus, pontificatus, ceterasque dignitates partim diuinis preceptis atque institutis, partim legibus, partim iuridicalibus, partim ciuilibus ac nobiliorum etate prouectorum consiliis, suasionibus, regi, defendi, diuidi, coadunari uideam: et cum omnes ordines ubique terrarum, cuiuscumque sint dignitatis, non solum satellitibus, amicis, seruis precipere, consiliari, sed eciam filii pro certo sciam, tunc nec me piget fili amabilissime, hac uita comite tibi documenta, precepta, consilia suasionis ponere, quibus tue uite mores tibique subiectorum exornes, quando quidem summa concedente potencia post me regnabis, te autem studiose ad-

hibita audiencia patris precepta iuxta diuine sapiencie suasum condecet obseruare, dicentis per os Salamonis: audi fili mi disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tue, ut multiplicentur anni uite tue. ex hac ergo sentencia animaduertere poteris, si ea que paterna pietate tibi precipio contempseris, quod absit, quod iam amplius amicus dei et hominum non eris. audi uero inobediencium preuaricatorum precepti casum et precipicium. Adam quidem, quem dominus conditor tociusque creature plasmator ad suam formauit similitudinem, eumque uniuersalis fecit heredem dignitatis, uinculum fregit preceptorum, statimque dignitatum sublimitatem perdidit ac mansionem paradisi. antiquus quoque populus a deo electus uel dilectus, quia ligamina mandatorum dei, digitis conditoris lata disiecit, idcirco diuersis interiit modis. partem quidem terra deglutiuit, partem quoque exterminator mortificauit, et pars inuicem seuiter fecit. filius quoque Salamonis abiciens uerba pacifica patris, idcirco multa mala passus est in regno, et ad ultimum eiectus est. hoc tibi ne accidat obedi mihi fili mi. puer es diuiciarum uernula plurimarum accola, fotus educatusque in deliciis cunctis, tocius expedicionum laboris atque diuersarum gencium incursionis expers, in quibus ego iam fere meam totam contriui etatem. iam tempus adest in quo tibi non semper puluinum mollicie, que te hebetem et delicatum reddant, adhibende sunt, quod est dissipacio uirtutum et uiciorum fomentum, atque contempcio multorum mandatorum. sed interdum uimen et asperitas tribuenda est, que tuam intelligenciam ad ea que precipio reddant attentam. his ita perfectis redeamus ad propositum.

EXPLICIT PROLOGUS.

INCIPIT CAPITULACIO.

I. De obseruanda catholica fide.
II. De non contemnendo ecclesiastico statu.
III. De impendendo honore pontificum.
IV. De honore principum et militum.
V. De obseruacione iudicii et paciencie.
VI. De tencione hospitum et nutrimento.
VII. De magnitudine consilii.
VIII. De exsecucione filiorum.
IX. De obseruacione oracionis.
X. De pietate et misericordia ceterisque uirtutibus.

EXPLICIT CAPITULACIO. INCIPIT LIBER.

CAPITULUM I. *De obseruanda catholica fide.* Quoniam ad regalis dignitatis ordinem non oportet nisi fideles et catholica fide imbutos accedere, idcirco sancte fidei in nostris mandatis primum damus locum. imprimis precipio, consilior, suadeo fili carissime, si regalem cupis honestare coronam, ut fidem apostolicam et catholicam tali diligencia et custodia conserues, ut omnibus tibi a deo subiectis exemplum sis, cunctique ecclesiastici filii merito te uerum christiane professionis nominent uirum, sine qua pro certo scias Christianus non diceris uel ecclesie filius. qui enim falso credunt, uel fidem bonis non implent et ornant operibus, quia fides sine opere moritur, nec hic honeste regnant, nec eterno regno uel corona participant. si uero retinens scutum fidei, habeas eciam galeam salutis. his quidem armamentis contra uisibiles et inuisibiles legitime decertare poteris inimicos. nam ut ait apostolus: nemo coronabitur,

nisi qui legitime certauerit. ut patrem deum omnipotentem factorem tocius facture, et unigenitum eius filium dominum nostrum Iesum Christum, de Maria uirgine angelo nunciante natum, ac pro tocius mundi salute in crucis patibulo passum, et spiritum sanctum qui per prophetas et euangelistas et apostolos locutus est, unam deitatem perfectam, indissolubilem, incontaminatam esse firmiter credas, et sine omni ambiguitate teneas. hec est fides catholica, quam sicut Athanasius dixit nisi quis fideliter firmiterque crediderit, saluus esse non poterit. si aliquando infra tuam inuenies potenciam, quod absit, qui hanc collacionem sancte trinitatis diuidere, uel minuere siue augere conantur, hos ipsos scias certe heresiarche seruos et non sancte ecclesie filios. tales uero nec nutrias nec defendas, ne eciam inimicus dei uidearis. huiusmodi enim uiri sancte fidei filios omnino reddunt morbidos, et istam nouellam sancte ecclesie plebem miserabiliter destruunt. hoc ne fiat, principaliter cura.

Capitulum II. *De continendo ecclesiastico statu.* In regali quidem palacio post fidem ecclesia secundum tenet locum, a capite nostro scilicet Christo primitus seminata, deinde per eius membra, utpote apostolos sanctos et patres transplantata et firmitus edificata, atque per totum orbem diffusa. et quamuis semper nouam habeat prolem, in ceteris tamen locis quasi antiqua habetur, hic aut fili carissime in nostra monarchia adhuc quasi iuuenis et nouella predicatur. atque idcirco caucioribus euidencioribusque eget custodibus, ne bonum quod diuina clemencia per suam immensam misericordiam nobis concessit immeritis, per tuam desidiam et pigriciam et negligenciam destruatur et annichiletur. nam qui minuit aut fedat s. ecclesie dignitatem, ille Christi corpus mutilare nititur. ipse enim dominus dixit Petro, quem custodem magistrumque eidem po-

suit sancte ecclesie: tu es Petrus et super hanc petram edificabo eccclesiam meam. se ipsum quidem nominauit petram, uerum non ligneam neque lapideam super se edificatam ecclesiam dixit, scilicet populum acquisicionis et gentem electam, dominicum gregem, fide doctum, baptismate lotum, chrismate unctum, sanctam appellat super se edificatam ecclesiam, dixit et appellat. si quis infelix huius ecclesie sancte membra uel paruulos scandalizat, iuxta euangelium dignum est preceptum, ut suspendatur mola asinaria collo eius, et demergatur in profundum maris. id est deiciatur de potestate dignitatis et maneat extra ecclesiam iustorum, in illa mundiali miseria, sicut ethnicus et publicanus. ac per hoc fili mi florenti studio debes inuigilare in sancta ecclesia, de die in diem ut pocius augmentum accipiat, quam detrimentum paciatur. inde quidem imprimis reges Augusti dicebantur, quia augebant ecclesiam. hec et tu facias, ut et tua corona laudabilior et uita beacior et prolixior habeatur.

CAPITULUM III. *De impendendo honore pontificum.* Regum solium ornat ordo pontificum. per hoc in regali dignitate tercii possident locum pontifices. carissime fili! sint tibi seniores. illos ita custodias sicut oculorum pupillas. si illorum beneuolenciam habebis, neminem aduersariorum timebis. illis quidem te obseruantibus eris securus. in omnibus illorum precacio commendabit te omnipotenti deo, illos cum deus humani generis fecit custodes, fecitque deus speculatores animarum, ac tocius ecclesiastice dignitatis atque diuini sacramenti compositores et datores. sine enim illo nec constituuntur reges nec principatus, per illorum interuentum delicta delentur hominum. si illos perfecte amas, te ipsum sine dubio sanas, tuumque regnum honorifice gubernas. in manus enim illorum posita est potestas ligandi nos in peccatis, et a peccatis soluendi. testamentum enim

sempiternum statuit deus illis eosque segregauit ab hominibus, et sui nominis atque sanctitatis fecit participes, et ab humano die interdixit reprehendendos esse per Dauid deificum regem: nolite tangere Christos meos. ille autem tangit Christos dei, qui contra diuinum et canonum institutum, sacri ordinis uiros falsis criminacionibus fedat atque in publicum protrahit. quod te omnino fili mi agere prohibeo, si uis beatus uiuere et tuum regnum honestare, quia in his rebus imprimis offenditur deus. si accidente autem culpa reprehensione digna, quemquam horum de quibus sermo est ceciderit, quod absit, corripe eum ter, quater, inter te ipsum solum, iuxta preceptum euangelii. si tunc secreta renuit audire monita, adhibenda sunt tibi publica, secundum hec : si te non audierit, dic ecclesie. nam si tu ordinem seruabis, tuam gloriosam penitus exaltabis coronam.

Capitulum IV. *De honore principum et militum.* Quartus decor regni est fidelitas, fortitudo, agilitas, comitas, prouidencia, principum, comitum, militum. illi enim sunt regni repugnaculum, defensores imbecillium, expugnatores aduersariorum, augmentatores marchiarum. illi enim fili mi! sunt patres et fratres. ex his uero neminem in seruitutem redigas uel seruum nomines. illi tibi militent non seruiant. eorum omnibus sine ira et superbia atque inuidia pacifice, humiliter, mansuete dominare, memoria semper retinens, quod omnes homines unius sint condicionis, et quod nihil eleuat nisi humilitas, et quod nihil deicit nisi superbia et inuidia. si eris pacificus tunc diceris rex, et regis filius, atque amaberis a cunctis militibus. si iracundus, superbus, inuidus, inpacificus, super comites et principes ceruicem erexeris, sine dubio fortitudo militum hebetudo erit regalium dignitatum, et alienis tradetur regnum tuum. hoc timens cum regula uirtutum dirige uitam comitum, ut

tua dilectione angulati, semper regni dignitati adhereant inoffensi, ut tuum regnum sit semper pacificum.

CAPITULUM V. *De obseruacione iudicii et paciencie.* Paciencie et iudicii obseruacio quinta regalis corone ornacio. Dauid rex atque propheta dicit: deus iudicium tuum regi da. et alibi: honor regis iudicium tuum diligit. de paciencia Paulus apostolus ait: pacientes estote ad omnes. et dominus in euangelio: in paciencia uestra possidebitis animas uestras. hoc attende fili: si uis habere honorem regni, dilige iudicium. si animam tuam possidere uis, esto paciens. quociescumque fili carissime causa iudicari digna ad te uenerit, uel aliquis capitalis sentencie reus, noli impacienter portare, uel cum iuramento firmare illum punire — quod instabile et fragile debet esse, quia stulta uota frangenda sunt, — uel per te ipsum diiudicare, ne tua regalis dignitas inferioris negocii usurpacione fedatur, sed pocius huiusmodi negocium ad iudices mitte, quibus hoc commissum est, quo illi secundum suam hoc decernant legem. time esse iudex, gaude uere rex esse et nominari. reges uero pacientes regnant, impacientes autem tyranisant. quando quidem aliquid quod tue conuenit adiudicandum dignitati tibi uenerit, cum paciencia et misericordia siue miserando hoc iudica, ut tua corona laudabilis sit et decora.

CAPITULUM VI. *De tencione et nutrimento hospitum.* In hospitibus et uenticiis uiris tanta inest utilitas, ut digne sexto in loco regalis dignitatis possit haberi. inde enim imprimis romanum creuit imperium, et reges sublimati fuerunt et gloriosi, quod multi nobiles et sapientes ex diuersis illo confluebant partibus. Roma uero usque hodie esset ancilla, nisi Eneades fecissent illam liberam. sicut enim ex diuersis partibus et prouinciis ueniunt hospites,

ita diuersas linguas et consuetudines, diuersaque documenta et arma secum ducunt, que omnia regiam ornant et magnificant aulam, et perterritant exterorum arroganciam, nam unius lingue uniusque moris regnum imbecille et fragile est. propterea fili mi iubeo tibi ut bona uoluntate illos nutrias et honeste teneas, ut tecum libencius degant, quam alicubi habitent. si enim tu destruere, quod ego edificaui, aut dissipare, quod ego congregaui studueris, sine dubio maxime tuum pacietur regnum. quod ne fiat tuum quottidie auge regnum, ut tua corona ab omnibus habeatur augusta.

CAPITULUM VII. *De magnitudine consilii.* In tribunalibus regum consilium septimum sibi uendicat locum. consilio quidem constituuntur reges, determinantur regna, defenditur patria, componuntur prelia, sumitur uictoria, propelluntur inimici, appellantur amici, ciuitates construuntur, et castra aduersariorum destruuntur. quando uero consiliis inest utilitas? nam a stultis et arrogantibus, ac mediocribus, ut mihi uidetur non ualent componi uiris, sed a maioribus et melioribus, sapiencioribusque ac honestissimis senioribus exprimi debent et poliri. Idcirco fili mi, cum iuuenibus et minus sapientibus noli consiliari aut ab illis consilium querere, sed a senatoribus quibus illud negocium propter etatem et sapienciam sit aptum. nam consilia regum in precordiis sapientum debent claudi, non uentositate stultorum propagari. si enim gradieris cum sapientibus, sapiens efficieris, si uersaberis cum stultis, sociaberis illis, fatente spiritu sancto per Salamonem. et Dauid canit: cum sancto sanctus eris, et cum uiro innocente innocens eris, et cum electo electus eris, et cum peruerso peruerteris. ac preter hoc quidquid unicuique negocii conueniat etati, in hoc se exerceant, scilicet iuuenes in armis, senatores in consiliis. omnino tamen iuuenes non sunt de-

pellendi a consiliis, quocies uero cum illis consilium inibis, eciam si sit habile, tamen semper ad maiores deferas, ut omnes actus tuos norma sapiencie mensures.

Capitulum VIII. *Quod maiores imitari debeant, et filii obediant parentibus.* Imitacio maiorum in regali dignitate octauum possidet locum. regale ornamentum scis esse maximum antecessorum sequi leges, et honestos imitari parentes. qui enim antecessorum decreta spernit patrum, nec diuinas procurat leges. id enim circo sunt patres, ut nutriant filios, ideoque sunt filii, ut obediant parentibus. qui patri suo resistit, inimicus dei consistit. omnes enim inobedientes sunt deo resistentes. spiritus quidem inobediencie dispergit flores corone. inobediencia enim est tocius regni pestilencia. propterea fili carissime! edicta patris tui, scilicet mei, semper tibi sint promtuosa, ut prosperitas tua ubique regalibus dirigatur habenis. mores quidem meos, quos regali uides conuenire dignitati, sine uinculo tocius ambiguitatis sequere. graue enim tibi est huius climatis tenere regnum, nisi imitator consuetudinis ante regnancium extiteris regum. quis grecus regeret latinos grecis moribus, aut quis latinus regeret grecos latinis moribus. idcirco consuetudines sequere meas, ut inter tuos habearis precipuus et ante alienos laudabilis.

Capitulum IX. *De obseruacione oracionis.* Obseruacio oracionis maxima aquisicio est regalis salutis, et ideo nonum, in nonaria regie dignitatis canit regula: continua oracio est peccatorum ablucio uel remissio. tu autem fili mi, quociescunque ad templum dei curris, ut deum adores cum Salomone filio regis, et ipse rex, semper dicas: emitte domine sapienciam de sede magnitudinis tue, ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit coram te omni tempore. et iterum: domine pater et deus uite

mee, ne derelinquas me in cogitatu tuo maligno. extollenciam oculorum meorum non dederis mihi, et desiderium malignum auerte a me. domine aufer a me concupiscenciam, et animo irreuerenti, et in fremitu ne tradas me domine. hanc quidem oracionem antiqui utebantur orare. tu quoque eadem utere, ut deus cuncta uicia a te auferre dignetur, ut inuictissimus rex a cunctis nomineris. ora eciam ut desidiam et hebetudinem a te depellat, et supplementum omnium tibi tribuat uirtutum, quibus uisibiles et inuisibiles uincas inimicos, ut securus et expeditus ab omni incursione aduersariorum, cum omnibus tibi subditis cursum etatis tue uite cum pace possis finire.

Capitulum X. *De pietate et misericordia ceterisque uirtutibus.* Modus uirtutum finit coronam regum, et in preceptis ponitur decimus. nam dominus uirtutum ipse est rex regum, sicut sui exercitus celestis plenitudo in denis consistit choris, sic tue uite conuersacio in decem persistat mandatis. oportet regem esse pium, misericordem, et ceteris uirtutibus imbutum et ornatum. rex enim impietate et crudelitate fedatus, incassum sibi nomen uindicat regis, quia tyrannus est dicendus. Ob hoc ergo fili amabilissime, dulcedo cordis mei, spes future sobolis, precor, iubeo, ut per omnia et in omnibus pietate suffultus, non solum parentele et cognacioni, uel principibus siue ducibus, siue uicinis et incolis sis propicius, uerum eciam extraneis, et cunctis ad te uenientibus. nam opus pietatis ad summam ducit te beatitudinem. sis misericors omnibus uim pacientibus, semper illud diuinum in tuis precordiis habens exemplum: misericordiam uolo et non sacrificium. paciens esto ad omnes, non tantum in potentes, sed eciam potencia carentes. sis denique fortis, ne te prosperitas nimis eleuet, aut aduersitas te deiiciat. sis quoque humilis, ut deus te altum faciat hic et in futuro. sis uere modestus, ut

ultra modum neminem punias uel dampnes, sis mitis, ut nunquam iusticie resistas. sis honestus, ut nunquam alicui spontaneum inferas dedecus. sis pudicus, ut cunctos libidinis fetores sicut stimulum mortis euites.

Hec omnia superius libata regalem componunt coronam, sine quibus ualet nullus hic regnare, nec ad eternum pertingere regnum.

EXPLICIT.

S. STEPHANI REGIS DECRETORUM

LIBRI II.

E codice membranacco sæculi XII. monasterii Admontensis in Styria, et e codice chartaceo sæculi XV. bibliothecæ palatinæ Vindobonensis.

PREFACIO REGALIS DECRETI.

Regnante diuina clemencia opus regalis dignitatis alimonia katholice fidei effectum, amplius ac solidius alterius dignitatis operibus solet adesse. et quoniam una queque gens propriis utitur legibus, idcirco nos quoque dei nutu nostram gubernantes monarchiam, antiquos et modernos imitantes augustos, decretali meditacione nostre statuimus genti, quemadmodum honestam et inoffensam ducerent uitam. ut sicut diuinis legibus sunt ditati, similiter eciam secularibus addicti, ut quantum boni in his diuinitus ampliantur, tantum rei in istis multentur. que autem decreuimus, in sequentibus subnotauimus lineis.

CAPITULA HUIUS LIBRI.

I. De statu rerum ecclesiasticarum.

II. De potestate episcoporum super res ecclesiasticas eorumque conueniencia cum laicis.

III. Quales esse debeant accusatores et testes clericorum.

IV. Item de eodem.

V. De labore sacerdotum.

VI. De concessione regali propriarum rerum.
VII. De retentu regalium rerum.
VIII. De obseruacione dominici diei.
IX. Item alia.
X. De obseruacione IV temporum.
XI. De obseruacione sexte ferie.
XII. De his qui sine confessione moriuntur.
XIII. De obseruanda christianitate.
XIV. De homicidiis.
XV. De his qui suas uxores occidunt.
XVI. De euaginacione gladii.
XVII. De periuris.
XVIII. De libertis.
XIX. De conuentu ad ecclesiam et de his qui murmurant uel locuntur in ecclesia hora misse.
XX. De non recipiendis seruis uel ancillis in accusacionem et testimonio super dominos suos uel dominas.
XXI. De his qui alienis seruis libertatem querunt.
XXII. De his qui libertos in seruitutem redigunt.
XXIII. De his qui alterius milites sibi tollunt.
XXIV. De his qui alterius sibi hospites tollunt.
XXV. De his qui flagellantur sua querentes.
XXVI. De uiduis et orphanis.
XXVII. De raptu puellarum.
XXVIII. De fornicantibus cum ancillis alterius.
XXIX. De his qui petunt sibi ancillas alienas in uxores.
XXX. De his qui extra regnum suas fugiunt uxores.
XXXI. De furto mulierum.
XXXII. De incendiis mansionum.
XXXIII. De strigis.
XXXIV. De maleficis.
XXXV. De inuasione domorum.

I. *De statu rerum ecclesiasticarum.* Quisquis fastu superbie elatus domum dei ducit contemptibilem, et possessiones deo consecratas, atque ad honorem dei sub regia inmunitatis defensione constitutas inhoneste tractauerit, uel infringere presumpserit, quasi inuasor et uiolator do-

mus dei excommunicetur. decet enim ut indignacionem ipsius domini regis senciat, cuius beniuolencie contemptor et constitucionis preuaricator existit. nichilominus tamen rex sue concessionis immunitatem ab omnibus dicionis sue illesam conseruari precipiat, assensum uero non prebeat improuide affirmantibus, non debere esse res dominicas, id est domino dominancium traditas. ita sunt sub defensione regis, sicuti proprie sue hereditatis, magisque aduertat, quia quanto deus excellencior est homine, tanto prestancior est diuina causa mortalium possessione. quocirca decipitur, quisquis plus in propriis quam in dominicis rebus gloriatur. quarum diuinarum rerum defensor et custos diuinitate statutus, diligenti cura non solum eas seruare, sed eciam multiplicare debet, magisque illa, que diximus prestanciora, quam sua defendere oportet et augmentare. si quis igitur insanus inoportunitate improbitatis sue regem a recto peruertere temptauerit, nullisque remediis mitigari posse uisus fuerit, licet obsequiis aliquibus transitoriis sit necessarius, abscindendus ab eo proiciendusque est, iuxta illud euangelicum: si pes, manus uel oculus tuus scandalizat te, amputa uel erue eum, et proice abs te.

II. *De potestate episcoporum super res ecclesiasticas, eorumque conueniencia cum laicis.* Uolumus ut episcopi habeant potestatem res ecclesiasticas prouidere, regere et gubernare, atque dispensare secundum canonicam auctoritatem. Uolumus ut et laici in eorum ministerio obediant episcopis ad regendas ecclesias, uiduas et orphanos defensandos, et ut obedientes sint ad eorum christianitatem seruandam. consencientesque sint comites et iudices presulibus suis ad iusticias faciendas, iuxta precepta legis diuine. et nullatenus per aliquorum mendacium uel falsum testimonium, neque periurium, aut per premium lex iusta in aliquo deprauetur.

III. *Quales debeant esse testes et accusatores clericorum.* Testes autem et accusatores clericorum sine aliqua sint infamia, uxores et filios habentes, et omnino Christum predicantes.

IV. *Item de eodem.* Testimonia laici aduersus clericum nemo recipiat. nemo enim clericum quemlibet in publico examinare presumat, nisi in ecclesia.

V. *De labore sacerdotum.* Scitote fratres cuncti, quod super omnes uos laborat sacerdos. unusquisque enim uestrum suum fert laborem proprium, ille uero et suorum et singulorum. et ideo sicut ille pro omnibus uobis, ita et uos omnes pro eo summo opere laborare debetis, in tantum ut si necessitas fuerit, animas uestras pro eo ponatis.

VI. *De concessione regali propriarum rerum.* Decreuimus nostra regali potencia, ut unusquisque facultatem habeat sua diuidendi, tribuendi uxori, filiis filiabusque, atque parentibus siue ecclesie. nec post obitum eius quis hoc destruere audeat.

VII. *De retentu regalium rerum.* Uolumus quidem, ut sicut ceteris facultatem dedimus dominandi suarum rerum, ita eciam res, milites, seruos et quidquid ad nostram regalem dignitatem pertinet, permanere immobile, et a nemine quid inde rapiatur aut subtrahatur. nec quisquam in his predictis sibi fauorem acquirere audeat.

VIII. *De obseruacione dominici diei.* Si quis igitur presbiter uel comes, siue alia persona fidelis, die dominica inuenerit quemlibet laborantem, siue cum bubus, tollatur sibi bos, et ciuibus ad manducandum detur. si autem cum equis, tollatur equus, quem dominus boue redimat, si uelit, et idem bos manducetur ut dictum est. si quis aliis instrumentis, tollantur instrumenta et uestimenta, que, si uelit, cute redimat.

IX. *Item aliud.* A sacerdotibus uero et comitibus commendetur omnibus uilicis, ita ut illorum iussu o mnes

concurrant die dominica ad ecclesiam, maiores ac minores, uiri ac mulieres, exceptis qui ignes custodiunt. si quis uero non obseruacionis causa remanebit, per illorum negligenciam, uapulent ac depilentur.

X. *De obseruacione quatuor temporum.* Si quis quatuor temporum ieiunia, cunctis cognita, carnem manducans uiolauerit, per spacium unius ebdomade inclusus ieiunet.

XI. *De obseruacione sexte ferie.* Si quis in sexta feria ab omni christianitate obseruata carnem manducauerit, per unam ebdomadam luce inclusus ieiunet.

XII. *De his qui sine confessione moriuntur.* Si quis tam perdurato corde est, quod absit ab omni Christiano, ut nolit confiteri sua facinora, secundum suasum presbiteri, hic sine omni diuino officio et elemosynis iaceat, quemadmodum infidelis. si autem parentes et proximi neglexerint uocare presbiteros, et ita subiacet absque confessione morti, ditetur oracionibus et consoletur elemosinis. sed parentes lauent negligenciam ieiuniis, secundum arbitrium presbiterorum. qui uero subitanea periclitantur morte, cum omni ecclesiastico sepeliantur honore. nam diuina iudicia occulta nobis sunt et incognita.

XIII. *De obseruanda christianitate.* Si quis obseruacione christianitatis neglecta, et negligencie stoliditate elatus quid in eam commiserit, iuxta qualitatem offensionis ab episcopo per disciplinas canonum iudicetur. si uero rebellitate instructus renuerit sibi impositum eque sufferre, iterum eodem iudicio restringatur, et eciam usque sepcies. tandem super omnia si resistens et abnuens inuenitur, regali iudicio, scilicet defensori christianitatis, tradatur.

XIV. *De homicidis.* Si quis ira accensus aut superbia elatus spontaneum commiserit homicidium, sciat se secundum nostri senatus decretum centum et decem daturum pensas auri. ex quibus quinquaginta ad fiscum regis de-

ferantur, alie uero quinquaginta parentibus dentur, decem autem arbitris et mediatoribus condonentur. ipse quidem homicida secundum institucionem canonum ieiunet.

Item aliud. Si quis autem casu occiderit quemlibet, decem auri pensas persoluat, et sicut canones mandant, ieiunet.

Item de homicidiis seruorum. Si alicuius seruus seruum alterius occiderit, reddatur seruus pro seruo, aut redimatur. et penitenciam quod dictum est agat.

Item aliud. Si uero liber alicuius occiderit seruum, reddat alium seruum, uel precium componat, et secundum canones ieiunet.

XV. *De his qui suas uxores occidunt.* Si quis comitum obduratus corde, neglectusque anima, quod procul sit a cordibus fidelitatem obseruancium, uxoris homicidio polluetur, secundum decretum regalis senatus cum quinquaginta iuuencis parentibus mulieris concilietur, et ieiunet secundum mandata canonum. si autem miles uel alicuius uir ubertatis eandem culpam inciderit, iuxta eundem senatum soluat parentibus decem iuuencos, ieiunetque ut dictum est. si uero uulgaris in eodem crimine inuenietur, cum quinque iuuencis cognatis reconcilietur, et subdatur predictis ieiuniis.

XVI. *De euaginacione gladii.* Ut pax firma et incontaminata maneat, tam inter maiores natu quam inter minores, cuiuscunque condicionis sunt, interdiximus omnino, ut nullus ad ledendum aliquem euaginet gladium. quod si quis posthac stimulis audacie sue tactus temptauerit, eodem iuguletur gladio.

XVII. *De periuris.* Si quis ualencium fide commaculatus, corde pollutus, iuramento confracto periurio addictus inuenietur, perditus manu periurium luat, aut cum quinquaginta iuuencis manum redimat. si uero uulgaris

periurus exstiterit, manu amputata punietur, aut duodecim iuuencis redimetur, et ieiunet ut canones mandant.

XVIII. *De libertis.* Si quis misericordia ductus proprios seruos libertate feriauerit cum testimonio, decreuimus ut post obitum eius nemo inuidia tactus in seruitutem eos audeat reducere. si autem libertatem promiserit, et morte impediente non testificatus fuerit, habeat mulier illius uidua et filii potestatem hanc eandem libertatem testificari, et agapen facere pro redempcione anime sui mariti, qualitercunque uelit.

XIX. *De conuentu ad ecclesiam, et de his qui murmurant uel loquntur hora misse.* Si qui ad ecclesiam uenientes ad audiendum diuinum officium, et ibidem hora solemnitatis missarum inter se murmurant, et ceteros inquietant, exponentes fabulas ociosas, et non intendentes diuinas lectiones cum ecclesiastico incremento, si maiores sunt increpati cum dedecore expellantur de ecclesia, si uero minores uel uulgares, in atrio ecclesie pro tanta temeritate coram omnibus ligentur, et corripiantur flagellis ac cesura capillorum.

XX. *De non recipiendis seruis uel ancillis in accusacionem uel testimonium super dominos et dominas.* Ut gens huius monarchie ab omni incursu et accusacione seruorum et ancillarum remota et quieta maneat, secundum decretum regalis concilii penitus interdictum est, ut nullius causa culpe aliqua seruilis persona contra dominos uel dominas in accusacionem uel testimonium recipiatur.

XXI. *De his qui alienis seruis libertatem acquirunt.* Si quis improuidus alienum seruum sine consciencia senioris ante regem uel maiores natu et dignitate duxerit, ut soluto seruitutis iugo lenitatem libertatis sibi acquirat, sciat se, si diues est, quinquaginta iuuencos redditurum, ex quibus quadraginta debentur regi, decem uero seniori serui.

si uero pauper et tenuis, duodecim iuuencos, ex quibus decem regi, duo seniori serui.

XXII. *De his qui liberos in seruitutem redigunt.* Quoniam igitur dignum deo est et hominibus optimum, unumquemque sue industria libertatis uite cursum ducere, secundum regale decretum statutum est, ut nemo comitum uel militum post hac aliquam liberam personam seruituti subdere audeat. quod si elacionis audacia sue stimulis presumpserit, sciat se totidem ex proprio compositurum. que uero composicio inter regem et comites diuidatur ut cetera.

Item de eodem. Sed si quis hactenus in seruitute retentus, pro libertate sui tuenda iudicium legale faciens, securus exstiterit, tantummodo libertate fruatur, et ille a quo in seruitute tenebatur, nihil reddat.

XXIII. *De his qui alterius milites sibi tollunt.* Uolumus ut unusquisque senior suum habeat militem, nec aliquis alter illum suadeat antiquum deserere seniorem et ad se uenire, inde enim litigium habet inicium.

XXIV. *De his qui hospites alterius sibi tollunt.* Si quis hospitem cum benevolencia accipit et nutrimentum sibi honeste impendit, quamdiu secundum propositum nutritur, non deserat suum nutritorem, nec ad aliquem alium suam deferat hospitalitatem.

XXV. *De his qui flagellant sua querentes.* Si cuius miles aut seruus ad alium fugerit, et is cuius miles uel seruus fuga lapsus est, suum miserit legatum ad reducendos eos, et is legatus ibidem a quoquam percussus et flagellatus extiterit, decernimus nostrorum primatum conuentu, ut idem percussor decem soluat iuuencos.

XXVI. *De uiduis et orphanis.* Uolumus quidem ut et uidue et orphani nostre legis sint participes, tali tenore, ut si qua uidua cum filiis filiabusque remanserit, atque nutrire eos, et remanere cum illis quamdiu uixerit promiserit, habeat potestatem a nobis sibi concessam hoc fa-

ciendi, et a nemine iterum cogatur in coniugium. si uero mutato uoto iterato nubere uoluerit, et orphanos deserere, de rebus orphanorum nihil omnino sibi uendicet, nisi tantum congrua sibi uestimenta.

Item de uiduis. Si autem uidua sine prole remanserit, et se innuptam in sua uiduitate permanere promiserit, uolumus ut potestatem habeat omnium bonorum suorum, et quidquid uelit inde facere faciat. post obitum autem eius eadem bona ad sui redeant parentes mariti, si parentes habet, sin autem rex sit heres.

XXVII. *De raptu puellarum.* Si quis militum impudicicia fedatus puellam aliquam sine concessione parentum sibi in uxorem rapuerit, decreuimus puellam parentibus reddi, eciamsi ab illo aliqua uis sibi illata sit. et raptor decem soluat iuuencos pro raptu, licet postea reconcilietur parentibus puelle. si uero pauper quis hoc uulgaris agere agreditur, componat raptum quinque iuuencis.

XXVIII. *De fornicatoribus cum ancillis alterius.* Ut liberi suam custodiant libertatem incontaminatam, uolumus illis ponere caucionem ne cum alienis fornicentur ancillis. si quis autem improuidus hanc caucionem transgrediens, fornicatur cum ancilla alterius, sciat se reum criminis, et pro eodem crimine imprimis decoriari. si uero secundo cum eadem fornicatus fuerit, iterum decorietur ac depiletur. si autem tercio, sit seruus pariter cum ancilla, aut redimet se. si autem ancilla conceperit de eo et parere non potuerit, sed in partu moritur, componat eandem cum alia ancilla.

De seruorum fornicacione. Seruus quoque alterius, si cum ancilla alterius fornicatur, decorietur ac depiletur. et si ancilla de eo conceperit et in partu moritur, seruus uenumdetur, ac dimidia pars precii seniori ancille detur, altera pars uero seniori serui remaneat.

XXIX. *De his qui petunt sibi ancillas in uxores.* Ut

nemo eorum qui libero censentur nomine cuiquam quid iniurie facere audeat, terrorem et caucionem imposuimus, quia in hoc regali concilio decretum est, ut si quis liber connubium ancille alterius sciente domino ancille elegerit, perdita libertatis sue industria perpetuus efficiatur seruus.

XXX. *De his qui extra regnum suas fugiunt uxores.* Ut genus utriusque sexus certa lege et absque iniuriis maneat et uigeat, in hoc regale decretum statutum est, ut si quis proteruitate preditus, propter abominacionem uxoris patriam effugerit, uxor cuncta que in potestate mariti habebantur, possideat dum uelit exspectare uirum, et nemo in aliud coniugium cogere presumat. et si sponte nubere uelit, liceat sumtis uestimentis et dimissis ceteris bonis ad connubium ire. et si uir hoc audito redierit, ne liceat sibi aliam ducere, nisi cum licencia episcopi.

XXXI. *De furto mulierum.* Cum igitur cunctis horrendum et omnibus abominabile sit, uirilem sexum repertum furtum fecisse, et magis magisque sexum femineum, secundum regalem senatum decretum est, ut si aliqua mulier maritata furtum commiserit, a marito redimetur, et si secundo eandem culpam inciderit, similiter redimetur, si uero tercio, uenumdetur.

XXXII. *De incendiis mansionum.* Si quis per inimicicias alterius edificia igne cremauerit, decreuimus ut et edificia restituat, et quidquid suppellectilis arsum fuerit, et insuper sedecim iuuencos, qui ualent XL solidos.

XXXIII. *De strigis.* Si qua striga inuenta fuerit, secundum iudicialem legem ducatur ad ecclesiam, et commendetur sacerdoti ad ieiunandum fidemque docendum. post ieiunium uero domum redeat. si secundo in eodem crimine inuenietur, simili ieiunio subiciatur. post ieiunium uero in modum crucis, in pectore et in fronte, atque inter scapulas incensa claue ecclesiastica, domum redeat. si uero tercio, iudicibus tradatur.

XXXIV. *De maleficis.* Ut creatura dei ab omni lesione malignorum remota, et a nullo detrimentum sui passura maneat, nisi a deo, a quo et augmentatur, secundum decretum senatus statuimus magni caucionem terroris ueneficis ac maleficis, ut nulla persona maleficio aut ueneficio quemquam hominum a statu mentis aut interficere audeat. ast si quis uel que post hac hoc presumpserit, tradatur in manus maleficio lesi, aut in manus parentum eius, secundum uelle eorum diiudicandum. si uero sortilegio utentes inuenientur, ut faciunt in cinere aut his similibus, ab episcopis flagellis emendentur.

XXXV. *De inuasione domorum.* Uolumus ut firma pax et unanimitas sit inter maiores et minores, secundum apostolum: unanimes estote, et cetera. nec aliquis alium inuadere audeat. nam si quis comitum post diffinicionem huius communis concilii tam contumax extiterit, ut alium domi querat ad perdendum eum atque sua dissipare, si dominus domi est, et secum pugnauerit uel interfecerit, luat secundum legem de euaginacione gladii confectam. si autem comes ibidem occubuerit, sine composicione iaceat. si uero ille non superuenerit, sed suos milites miserit, centum iuuencis componat inuasionem.

si uero miles quis curtim uel domum alterius militis inuaserit, decem iuuencis componat inuasionem. si uulgaris quidem alterius sui similis mansiunculas inuaserit, quinque iuuencis soluat incursionem.

EXPLICIT LIBER PRIMUS.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

I. *De regali dote ad ecclesiam.* Decem uille ecclesiam edificent, quam duobus mansis totidemque mancipiis dotent, equo et iumento, sex bubus et duabus uaccis, triginta minutis bestiis. uestimenta uero et coopertoria rex prouideat, presbiterum et libros episcopi.

II. *De successoribus regalium beneficiorum.* Consensimus igitur peticioni tocius senatus, ut unusquisque propriorum simul et donorum regis dominetur, dum uiuit, excepto quod ad episcopatum pertinet et comitatum. ac post obitum eius filii simili dominio succedant. nec pro ullius causa reatus detrimentum bonorum suorum paciatur quis, nisi consiliatus mortem regis aut tradicionem regni fuerit, uel in aliam fugerit prouinciam. tunc uero bona illius in regiam ueniant potestatem. ast si quis in consilio regie mortis aut tradicionis regni legaliter inuentus fuerit, ipse uero capitali subiaceat sentencie, bona uero illius filiis innocentibus inremota sint, remanentibus saluis.

III. *De seruis et seruorum occisoribus.* Si alicuius seruus seruum alterius occiderit, senior homicide medietatem serui componat seniori interfecti, si potest. sin autem, peracta una quadragesima, uenumdetur seruus et precium diuidatur.

IV. *De liberacione eiusdem.* Seruum liberi homicidam, si seniori placuerit, cum centum et decem iuuencis aut redimat, aut tradat.

V. *De libertate seruorum.* Si quis alienis seruis libertatem acquirere nititur, quot serui erunt, totidem mancipia

soluat, ex quibus due partes regi, tercia seniori seruorum. rex autem ex sua parte terciam tribuat comiti.

VI. *De furto seruorum.* Si quis seruorum semel furtum commiserit, reddat furtum et componat nasum quinque iuuencis, si potest. sin autem, abscindatur.

Si abscisso naso iterum commiserit furtum, componat aures quinque iuuencis, si potest. sin autem, abscindantur.

Si idem tercio furtum commiserit, careat uita.

VII. *De furto liberorum.* Si quis liberorum furtum commiserit, hac lege componere decreuimus. si semel, redimat se si potest. sin autem uenumdetur. si autem idem uenumdatus furtum commiserit, legibus seruorum subiaceat. si secundo simili legi subiaceat. si uero tercio, dispendio uite diiudicetur.

VIII. *De composicione regis.* Si quis comitum partem regis defraudauerit, reddat fraudem et duplo componat.

IX. *De iniusta appellacione.* Si quis militum iudicium a suo comite recte iudicatum spernens, regem appellauerit, cupiens comitem suum reddere iniustum, sit debitor decem pensarum suo comiti.

X. *De uiolencia comitis.* Si quis comitum inuenta aliqua occasione quid iniuste militi abstulerit, reddat, et insuper ex proprio tantum.

XI. *De solucione mendacii.* Si quis autem militum suum spontaneum donum dicens sibi ui ablatum, mendax extiterit, ex hoc careat, et insuper tantundem soluat.

XII. *De iudicio gladii.* Si quis gladio hominem occiderit, eodem gladio iuguletur.

XIII. *De debilitacione membrorum.* Si quis autem gladio euaginato alium quemlibet debilitauerit, uel in oculo, uel in pede, uel in manu, consimile damnum sui corporis paciatur.

XIV. *De gladii uulneracione.* Si quis uero gladio uulnerauerit aliquem, et uulneratus de eodem uulnere sanus et incolumis euaserit, homicidii composicionem uulneris illator componat.

XV. *De gladii euaginacione sine uulnere.* Si quis furore repletus euaginauerit gladium, et tamen non leserit, pro sola euaginacione mediam homicidii composicionem absoluat.

XVI. *De testimonio seruorum regali curie uel ciuitati propositorum.* Si quis senior curti regali uel ciuitati preficitur, testimonium eius inter comites recipiatur. item si seruus seniorem, si miles suum comitem interfecerit.

XVII. *De conspiracione regis et regni.* Si quis in regem aut in regnum conspirauerit, refugium nullum habeat ad ecclesiam. et si quis circa regis salutem aut dignitatem quolibet modo aliquid conspirauerit, aut conspirare aliquid tentauerit, seu tentari sciens consenserit, anathematizetur et omnium fidelium communione priuetur. et si quis huiusmodi aliquem nouerit, et post hec ualens non edicauerit, predicte subiaceat damnacioni.

XVIII. *De decimacione.* Si cui deus decem dederit in anno, decimam deo det. et si quis decimam suam abscondit, nouem det. et si quis decimacionem episcopo separatam furatus fuerit, diiudicetur ut fur. ac huiusmodi composicio tota pertineat ad episcopum.

XIX. *De uersucia comitum.* Si quis uersuciis alicui comitum uel alteri persone fideli dixerit : audiui regem ad tuam perdicionem loqui, et hic inuentus fuerit, pereat.

XX. *De adulatoribus.* Si quis falsum testimonium uel adulacionis sermonem contra aliquos protulerit, tacereque eos deprecatus fuerit, ut astucia diaboli ad inuicem eos separet, soluat duas composiciones fallacis lingue pro reatu mendacii. si uni soli adulatus fuerit, priuetur lingua.

XXI. *Ne furis testimonium recipiatur.* Si quis illorum qui uulgo uduornich uocantur furtum commiserit, lege liberorum diiudicentur, testimonium autem eorum inter liberos non recipiatur.

EXPLICIT DECRETUM STEPHANI REGIS.

S. LADISLAI REGIS DECRETUM I.

ANNO MXCII.

E codice chartaceo sæculi XV. bibliothecæ palatinæ Vindobonensis.

INCIPIT DECRETUM S. LADISLAI REGIS.

(1) De bigamis presbyteris et diaconibus.
(2) De hys qui ancillam in locum subrogauerunt uxoris.
(3) De indulgencia presbyterorum.
(4) De consensu episcoporum nolentibus separari ab illicito coniugio.
(5) De dote ecclesiarum non expleta.
(6) De perdicione ecclesiasticarum rerum ob sacerdotis incuriam.
(7) De restauracione desolatarum ecclesiarum propter sedicionem.
(8) De desolacione propter uetustatem.
(9) De negociatoribus quos Ismaelitas appellant.
(10) De coniugio Iudeorum et christianarum mulierum.
(11) De negligencia ecclesiarum in dominicis et festiuis diebus.
(12) De ueneracione supra dictorum dierum.
(13) De interfectione adultere.
(14) De subtractione kalendarum absque licencia.
(15) De negligencia festiuitatum ob negocium.
(16) De negligencia fidei uel dominice diei.
(17) De hospitibus aduenientibus clericis.
(18) De coherencia clericorum.
(19) De sprecione ecclesiarum propriarum.
(20) De muliere in adulterio deprehensa.
(21) De procuracione erga proprios episcopos abbatum.
(22) De ritu gentilium.
(23) De dacione propriarum rerum alicui ecclesie.
(24) De inuencione rerum ecclesiasticarum.
(25) De negligencia.
(26) De negligencia fidelium cadauerum.

(27) De laboribus Iudcorum in festiuitatibus.
(28) De decimacione liberorum abbatum.
(29) De testibus iudicii ferri uel aque.
(30) De celebracione missarum extra ecclesiam.
(31) De dimissione carnis.
(32) De illata uiolencia uirginis uel mulieris.
(33) De decimacione pecorum in alio episcopatu nascencium.
(34) De satisfactione meretricum et strigarum.
(35) De abbatis uel monachi osculo erga regem uel episcopum.
(36) De salutacione abbatis uel monachi euntis ad regem.
(37) De uigiliarum obseruacione sanctarum.
(38) De sanctarum ueneracione festiuitatum.
(39) De abbatibus uel monachis in kalendis sedentibus.
(40) De decimacionem negantibus.
(41) De litigantibus uel uenientibus ad regale palacium.
(42) De spretu sigilli regis uel iudicis.

EXPLICIUNT CAPITULA.

INCIPIT PROLOGUS.

Regnante creatore et saluatore nostro domino Iesu Christo anno incarnacionis eius MXCII. XII. kalend. Iunii, in ciuitate Zabolcz sancta synodus habita est, presidente christianissimo Ungarorum rege Ladislao, cum uniuersis regni sui pontificibus et abbatibus, nec non cum cunctis optimatibus, cum testimonio tocius cleri et populi. in qua sancta synodo canonice et laudabiliter decreta hec inuenta sunt.

(1) *De bigamis presbiteris et diaconibus.* Bigamos presbiteros et diaconos, et uiduarum uel repudiatarum maritos iubemus separari, et peracta penitencia ad ordinem suum reuerti. et qui noluerint illicita coniugia dimittere, secundum instituta canonum debent degradari. separatas autem feminas parentibus suis iubemus reddi, et quia non erant legitime, si uoluerint liceat eis maritari.

(2) *De his qui ancillam in locum subrogauerunt uxoris.* quis autem presbiter ancillam suam uxoris in locum sibi ciauerit, uendat, et si noluerit, uenumdetur tamen, et ecium eius ad episcopum transferatur.

(3) *De indulgencia presbiterorum ad tempus.* Presbiteris item qui prima et legitima duxere coniugia, indulgencia l tempus datur, propter uinculum pacis et unitatem sancti iritus, quousque nobis in hoc domini apostolici patertas consilietur.

(4) *De consensu episcoporum nolentibus separari ab illito coniugio.* Si quis autem episcopus aut archiepiscopus illicitis coniugiis separari nolentibus, aut consensum ebuerit, aut ecclesiam dederit, aut aliquid, quod ad dinem pertinet agere permiserit, a rege et episcopis, cundum quod racionabile uidetur eis, diiudicetur. si uero chipresbiter, et per consilium illius in tali uicio permanrit, iudicio episcopi uoluntario subiacebit.

(5) *De dote ecclesiarum non expleta.* Quicunque eccleam deo edificauerit, et dotem nominauerit, nominatam n dederit, ad illud explendum transmisso nuncio preleat episcopale iudicium. cui si quis contradixerit, et ntradicendo uerberauerit, ipse regali iudicio subiacebit.

(6) *De perdicione rerum ecclesiasticarum ob sacerdotis curiam.* Si quis presbiterorum res ecclesie ad propria ca duxerit et ibi uendiderit, aut per incuriam suam perderit, tripliciter ecclesie restituat.

(7) *De restauracione desolatarum ecclesiarum propter secionem.* Ecclesias propter sedicionem desolatas aut comistas, iussu regis parochiani restituant. calices uel uestienta ex sumptu regis dentur. libros episcopus prouideat.

(8) *De desolacione propter uetustatem.* Ecclesias ex uestate desolatas episcopus reedificet.

(9) *De negociatoribus quos Ismaelitas appellant.* De neciatoribus quos appellant Ismaelitas, si post baptismum

ad legem suam antiquam inuenti fuerint rediuisse, a sedibus suis separati ad alias uillas transferantur. illi uero qui inculpabiles per iudicium apparuerunt, in propriis sedibus remaneant.

(10) *De coniugio Iudeorum et christianarum mulierum.* Si Iudei uxores christianas sibi associauerint, aut aliquam personam christianam in seruicio apud se detinuerint, ablate ab eis libertati reddantur.

(11) *De negligencia ecclesiarum in dominicis.* Si quis in dominicis diebus uel in maioribus festiuitatibus ad ecclesiam non uenerit parochialem, uerberibus corripiatur. si uero uille remote fuerint, et ad ecclesiam parochianam uillani uenire non potuerint, unus tamen ex eis nomine omnium cum baculo ad ecclesiam ueniat, et tres panes et candelam ad altare afferat.

(12) *De ueneracione supra dictarum dierum.* Si quis in his diebus uenatus fuerit, canibus et equo careat, sed equum boue redimat. si uero presbiter aut clericus fuerit uenatus, ab ordine descendat usque ad satisfactionem.

(13) *De interfectione adultere.* Si quis uxorem cum alio uiro adulterante necauerit, deo racionem reddat, et si uoluerit aliam ducat. si uero ex propinguis aliquis femine in eum insurrexerit, quod iniuste interfecisset, iudicio discuciatur. et illud a uicinis eorum omnimodis inuestigetur, si in despectione et contemptu apud uirum suum esset, aut aliqua suspicio fornicacionis de illa prius orta fuisset. et hoc secundum quod racionabile uidetur diiudicetur.

(14) *De subtractione kalende.* Si quis de kalendis sine presbiteri sui et fratrum licencia subtraxerit, manum cum qua fraternitatem promisit, cum decem pensis redimat.

(15) *De negligencia festiuitatum ob negocium.* Si quis in dominicis diebus uel in maioribus festiuitatibus ecclesiam negligens mercatum frequentauerit, equo careat.

(16) *De negligencia dominice diei.* Si quis in dominicis diebus mercatum constituerit, precipit sancta synodus, ut sicut construxit, ita destruat. sin autem, quia reus nouit, quinquaginta quinque pensas soluat clericis aduenientibus.

(17) *De hospitibus.* Si quis hospes clericus in hanc patriam sine commendaticiis litteris episcopi sui uenerit, ne forte monachus aut homicida fuerit, iudicio sub testimonio discuciatur.

(18) *De coherencia clericorum.* Si quis clericus in patriam suam ueniens, alicui episcoporum uel comitum adheserit, et eum dominus suus bene habuerit, et secundum quod cum eo conuenit, tractauerit, si discedere ab illo uoluerit, nequaquam discedat, donec prius de iniusticia sibi illata in audiencia regis declamauerit.

(19) *De sprecione propriarum ecclesiarum.* Si derelicta ecclesia ad alias transiuerint, pontificali iure et regali mandato, unde transierunt ibi redire cogantur.

(20) *De muliere in adulterio deprehensa.* Si quis uxorem suam in adulterio deprehenderit, et in iudicium statuerit, secundum canonum instituta penitencia imponatur, et peracta penitencia, si maritus uoluerit, iterum recipiat, sin autem, quamdiu ambo uixerint, innupti permaneant.

(21) *De procuracione abbatum erga proprios episcopos.* Abbates secundum decreta patrum in procuracione episcoporum suorum, in cuius territorio sunt, humiliter permaneant. et non semel in anno sed sepe monasteria eorum episcopi uisitent, et regulariter uitam et conuersacionem fratrum discuciant. conuersi uero monachi cui monasterio monachorum uoluerint, se cum rebus suis commendent, similiter et monache in monasterio monacharum. deinceps autem aliquis episcopus aut abbas sine titulo certi loci monachum aut monacham non audeat ordinare.

(22) *De ritu gentilium.* Quicumque ritu gentilium iuxta puteos sacrificauerit, uel ad arbores et ad fontes et lapides oblaciones obtulerit, reatum suum boue luat.

(23) *De donacione propriarum rerum alicui ecclesie.* Si quis res suas aut predia uni dederit ecclesie, nulla interueniente causa subtrahere audeat, et alii dare.

(24) *De inuencione rerum ecclesiasticarum.* Res ecclesiarum, ubicunque inueniantur, siue apud ecclesias alias uel apud dominos, ad priorem ecclesiam suam redeant.

(25) *De negligencia.* Si quis dominicum diem non obseruauerit, aut quatuor tempora non ieiunauerit, aut mortuos suos ad ecclesiam non sepeliuerit, duodecim dies in pane et in aqua peniteat in cippo.

(26) *De negligencia fidelium cadauerum.* Si dominus serui sui corpus, aut uillanus pauperis uillani uel hospitis ad ecclesiam non detulerit, tantundem peniteat.

(27) *De laboribus Iudeorum in festiuitatibus.* Si in die dominico aut aliis maioribus festiuitatibus Iudeum laborantem aliquis inuenerit, ne scandalizetur christianitas, cum quibus instrumentis laborauerit, illa amittat.

(28) *De decimacione liberorum abbatum.* Abbates de liberis suis dent decimacionem episcopis.

(29) *De testibus iudicii ferri et aque.* Quociescunque uel aqua uel ferro iudicium factum fuerit, intersint ibi tres idonei testes iureiurando probati, qui et innocentis innocenciam, et e contra culpabilis culpam perhibeant. presbiter de ferro duas pensas et de aqua unam pensam accipiat.

(30) *De celebracione misse extra ecclesiam.* Nullus presbiter missam audeat celebrare extra ecclesiam, nisi forte itineris causa necessitas cogat eum. si uero a comite suo coactus fuerit, ab ordine cessabit, et qui eum ad hoc coegerit, quinquaginta quinque pensas soluat. in itinere uero diuinum officium celebrare liceat in tentorio.

(31) *De decimacione liberorum.* Episcopi de liberis

accipiant decimam, liberti uero quicunque episcopo uel comiti adheserint, sicut eis placuerit ita habeantur, salua tamen libertate. qui autem emancipati fuerint, eo tenore tamen ut ecclesie seruiant, ipsi nemini nisi solo presbitero administrent.

(32) *De carnis dimissione.* Statutum: qui Ungarorum consuetudini legitime consentire noluerint, scilicet postquam Ungari carnes dimiserunt, ipsi iterum in secunda et tercia feria comederint, si se nostre consuetudini meliori non consentire dixerint, quocunque uoluerint eo uadant. pecuniam uero quam hic acquisierunt hic relinquant, nisi forte resipuerint, et carnes nobiscum dimiserint.

(33) *De illata uiolencia uirginis uel mulieris.* Si quis uel uirgini uel mulieri de uilla in uillam eunti uim intulerit, quantum pro homicidio tantundem peniteat.

(34) *De decimacione pecorum in alio episcopatu nascencium.* Episcopi qui decimacionem pecorum in alio episcopatu accipiunt, terciam partem presbiteris in suo episcopatu manentibus tribuant.

(35) *De satisfactione meretricum uel strigarum.* Meretrices et strige, secundum quod episcopo iuste uisum fuerit, ita diiudicentur.

(36) *De abbatum uel monachi osculo erga regem uel episcopum.* Si contigerit regem uel episcopum ad quamlibet abbaciam uenire, abbas et monachi ad regis uel episcopi osculum non accedant in ecclesia, sed egressi in claustrum, ordinatim stantes, regis uel episcopi osculum prestolentur. regem autem uel episcopum cum quot et qualibus sibi placuerit, abbas claustrum intrare permittat.

(37) *De salutacione abbatis uel monachi euntis ad regem.* Si autem contigerit abbatem uel monachum ad curiam regis uenire, in ecclesia dei ad salutandum regem non eat, sed postquam exiuerit de ecclesia, in domo uel in tentorio salutet eum.

(38) *De uigiliarum sanctarum obseruacione.* In hac nostra sancta synodo a uenerabili rege Ladizlao statutum est, et ab uniuersis collaudatum et canonisatum, ut uigilie celebrentur beati Stephani regis et Gerardy martiris, quo die passus est, et tres dies ad festiuitatem sancti Martini. et quod patruus suus Andreas rex cum omnibus, qui tunc erant episcopi, uouit et statuit, iste rex christianissimus destruere noluit, sed firmius roborauit, scilicet trium dierum uigiliam ad festiuitatem sancti Petri.

(39) *De sanctarum ueneracione festiuitatum.* Iste uero festiuitates feriande sunt per annum. natiuitas domini. sancti Stephani protomartiris. sancti Ioannis euangeliste. sanctorum innocencium. circumcisio domini. epiphania cum uigilia. purificacio sancte Marie. in pascha quatuor dies. sancti Georgii martiris. Philippi et Iacobi cum uigilia. inuencio sancte crucis. in penthecosten quatuor dies. sancti Ioannis baptiste. sanctorum Petri et Pauli una die. sancti Iacobi. sancti Laurencii. assumpcio sancte Marie. sancti Stephani regis. sancti Bartholomei apostoli. natiuitas sancte Marie. exaltacio sancte crucis. sancti Mathei. sancti Gerardi. sancti Michaelis. sanctorum Simonis et Iude. omnium sanctorum. sancti Hainrici. sancti Mauricii. sancti Andree. sancti Nycolay. sancti Thome. et una quaque parochia suum patronum et dedicacionem ecclesie celebret.

(40) *De abbatibus in kalendis sedentibus.* Abbates et monachi inter fratres kalendarum non sedeant, sed abbas oblaciones fratrum in claustrum recipiat, et secundum regulam fratribus administret.

(41) *De decimacionem negantibus.* Episcopus accipiat decimacionem in omnibus, sed eo tenore: pristaldus episcopi interroget possessorem annonarum seu bestiarum quantum habeat. si uero crediderit, accipiat hoc quod dixit, si autem non crediderit, faciat illum iurare, et accipiat. in annona uero commixtum non accipiat, sed sepa-

ratim. si uero post iuramentum dominum annone quis alienus periurum dixerit, preter pristaldum episcopi, ante pristaldum et comites numeretur annona. si culpabilis inuentus fuerit dominus annone, ei autem decima pars detur, et nouem partes dentur episcopo. si autem ipse qui insurrexerat mendax erit, eodem iudicio persoluat culpam. si non habuerit unde se redimat, solus uendatur exceptis liberis. decimacio autem tota colligatur usque ad natiuitatem domini. filius qui in domo patris est, seu filius seu seruus non separetur, sed simul dent decimacionem cum patre. a filiis uero aut seruis, qui per se habent domos, accipiant decimam de omnibus que habent. si autem contumax aliquis interogatus decimam noluerit indicare pristaldo episcopi, tum pristaldus coram idoneis testibus designat, quantum uidetur esse iustum.

linum uel canabum quantum potest pugillus digitis pressis ad terram premere, accipiat. si trituratam annonam inuenerit, si decem idrie fuerint, nihil accipiat, si uiginti uel plures, accipiat decimam partem.

(42) *De litigatoribus uenientibus ad regale palacium.* Si quis nobilium seu militum in curiam causa licium uenien ad regale palacium cum suo litigatore non steterit, et regio nuncio uocatus sine regis licencia domum perexerit, racionem perdat, et insuper si quid ab eo abstulerit, dupliciter reddat.

(43) *De spretu sigilli regis uel iudicis.* Si quis autem regis sigillum super aliquem proiciens, et ipse in curiam uenire neglexerit, racionem perdat et quinque pensas persoluat, et quociescunque renouauerit, tocies quinque pensas persoluat. si uero iudicis sigillum proiciens non uenerit, centum nummos soluat.

EXPLICIT LIBER PRIMUS.

S. LADISLAI REGIS DECRETUM II.

E codice chartaceo sæculi XV. bibliothecæ palatinæ Vindobonensis.

RECAPITULACIO.

(1) De furto proximi quorumlibet principum.
(2) De furto serui.
(3) De serui ligacione.
(4) De purgacione furti, si quem furem tota uilla proclamauerit.
(5) De inquisicione furtiue rei.
(6) De iudicis iudicio erga seruum uel liberum.
(7) De negociatoribus sine mercato.
(8) De iugulato homine.
(9) De quolibet eiusdem prosapie furtum faciente.
(10) De cuiusuis seruo in furto capto.
(11) De furto clericorum.
(12) De libero in furto reperto.
(13) Ut nulli negociatori liceat emere uel uendere equos aut boues, nisi quantum ei necessitas fuerit.
(14) De uendicione equorum uel boum sine licencia regis.
(15) De priuacione honoris comitum, si permittunt emere uel uendere.
(16) De cuiusuis hospitis negociacione.

(1) Temporibus piissimi regis Ladisclaui omnes nos regni Pannonici optimates in Monte sancto fecimus conuentus, et quesiuimus qualiter malorum hominum impedirentur studia et gentis nostre expedirentur negocia. primo omnium iureiurando constituimus ut qualiscunque proximus principum reperiretur in furti culpa ultra precium gallinarum, nullatenus possit abscondi uel defendi a quolibet eorum. placuit quoque ut iste fur nisi ceciderit in

ecclesiam suspendatur, et omnis familia depereat. et si inprudencia eius qui ceperat eum euaserit in ecclesiam uel in curiam regis uel ad pedes episcopi, careat qui non cauit uendicacione furti. si de manu fideiussoris euaserit, de patibulo quidem liberatus, uerum tamen cum eodem fideiussore in aliam regionem uenumdetur, et bona ipsius regali fisco uendicentur.

(2) *De furto serui.* Si seruus fur inuentus fuerit, non possit precio commutari nasus eius, nisi ceciderit in ecclesiam uel in curiam regis uel ad pedes episcopi. et si ceciderit careat custos eius uendicacione furti. si uero secundo homo captus fuerit, suspendatur.

(3) *De ligacione furis.* Si quis autem furem ligauerit, habeat potestatem eum ligandi et ducendi ad iudicem, siue iuste siue iniuste ligauerit. si autem eum ligare quis prohiberet, persoluat LV pensas, et eandem noxam reddat in ligamine.

(4) *De purgacione furti.* Si quempiam denique tota uilla furem esse proclamauerit, probetur iudicio. unde si mundus apparuerit, persoluat solummodo unam pensam presbytero. si autem reus, omnis substancia eius uindicetur regi, unde detur IV pars uillanis. si uero aliquem personaliter furem esse proclamauerit, accipiant unam pensam. si autem una pars accusauerit furem, alia uero defenderit, non recipiatur eorum defensio. et probato fure iudicio, si culpabilis fuerit inuentus, non habeant partem in quarta parte uindicacionis.

(5) *De inquisicione furtiue rei.* Si quis uestigia sequitur furtiue rei, nuncium premittat in uillam, in quam dirigunt uestigia. quod si contumaciter fecerint, perditas res persoluant. si autem priusquam nuncius uenerit uillani excusserint bestias suas, tum inuestigatores perscrutentur singulas domos ut ipsis placuerit. si cui perierit res, eat cum testibus idoneis inuestigare rem, ubi putauerit esse.

et si prohibitus fuerit, prohibitores probentur iudicio. et si culpabiles effecti fuerint, pereant ut fures. si uero mundati, propter prohibicionem quinquaginta quinque pensas persoluant. si autem instinctu comitis sui milites inuestigacionem impediuerint, pro ipsis quinquaginta pensas comes persoluat, et post hec probetur iudicio.

(6) *De iudicis iudicio erga seruum uel liberum.* Si iudex nasum serui non inciderit uel liberum non suspenderit, pereant omnia sua preter filios suos, et ipse iudex uenumdetur.

si uero suspenderit iustum, expensas et omnia bona suspensi restituat. et si se cum duobus idoneis testibus liberauerit, ab eo qui duxerat eum in concilium tollat LV pensas. et si ad iudicium peruenerit, et iustus iudex apparuerit, introductor eadem pena pereat, qua iudex periturus erat. et si maioris facultatis fuerit quam iudex, ammittat eciam libertatem.

(7) *De negociatoribus sine mercato.* Nemo emat uel uendat preter mercatum. si qui uero hoc contra egerint de furtiua re pereant omnes, et emptor et uenditor et testes. si uero propriam rem protraxerint, perdant rem et precium, et testes tantundem. si uero in mercatu fit contractus, fiat coram iudice et theloneario et testibus. et si res empta furtiua esse apparuerit, emptor quidem testimonio iudicis et thelonearii euadat, testes autem reddant uenditorem.

(8) *De iugulato homine.* Si quis extracto gladio iugulauerit hominem, regali iudicio tradatur in carcerem, et omnia sua diuidantur in tria, scilicet uinee, terre, lixe, serui. unde due partes dentur cognatis iugulati, tercia uero filiis et uxori iugulatoris. si uero minoris facultatis sit quam CX pense, amittat eciam libertatem.

(9) *De quolibet eiusdem prosapie furtum faciente.* Si quis eodem decreto et diuina propiciante gracia prolem uel

cognatum, siue quemlibet propinquum in furti condicione preoccupauerit, suspensionem uel carceris perdicionem non subeat, sed ut exul uenumeat si uulgaris fuerit. si uero nobilis in eadem culpa captus a parentibus fuerit, non uenumdetur, sed ergastulorum custodie mandetur.

(10) *De cuiusuis seruo in furto deprehenso.* Si quis uero seruum suum uel in proprio siue aliorum in furto culpabilem inuenerit, prefato testante eloquio, iudicibus ne parcat ad incendendum largiri nasum.

(10a) *De nobili uel milite inuadente.* Si quis nobilium uel militum alterius nobilis domum inuaserit, et ibi pugnam fecerit, et uxorem eius flagellauerit, si tantam substanciam habuerit, due partes eiusdem substancie pro reatu comisso dentur, tercia uxori filiisque suis remaneat. si autem substancia defuerit, raso capite ligatus et flagellatus circa forum ducatur, et sic uendatur. alii uero qui cum eo erant liberi reatum suum LV bizanciis redimant, serui uero eadem pena dampnentur ut dominus eorum. serui uero alieni qui ad hanc pugnam insciis dominis conuenerint, uenumdentur, et dimidium precium pro reatu detur, dimidium uero ad dominos illorum redeat.

(10b) *De libero uel seruo in furto capto.* Si quis liber uel seruus in furto capti fuerint, suspendantur. si ergo pro euadendo patibulo ad ecclesiam effugerit, eductus ab ecclesia obcecetur. seruus in furto captus, si ad ecclesiam non fugerit, sicut liber suspendatur. domino serui illius detrimentum sit in seruo suspenso, domino uero rerum perditarum detrimentum sit in rebus perditis. liber in furto captus si ad ecclesiam confugerit, et inde eductus obcecatus fuerit, filii sui et filie sue si X annorum fuerint aut minoris etatis *in libertate permaneant, si uero maioris etatis* quam X annorum fuerint, in seruitutem redigantur, et omnis substancia eorum auferatur. seruus autem uel liber

si anserem uel galinam furatus fuerit, monoculus efficiatur, et quod furatus est reddat.

(11) *De furto clericorum.* Ordo clericalis si anserem et gallinam, aut poma uel hys similia furatus fuerit, scopis tantum a magistro corrigatur, sed quod furatus est restituat. maius hys si furatus fuerit, ab episcopo suo degradetur et iudicio uulgari damnetur.

(12) *De libero in furto reperto.* Si quis liber X denariorum precium furatus fuerit, furtum duodecies reddat, et unum bouem persoluat. seruus autem si tale furtum fecerit, duplum reddat et nasum amittat. seruus profugus si alicubi in furto deprehensus fuerit obcecetur. et ideo ne suspendatur nec lingua abscindatur decernimus, ut si postea dominus suus eum inuenerit, requirat per eum siquid perdidit.

(13) *Ut nulli negociatorum liceat emere uel uendere equos uel boues nisi quantum ei necesse fuerit capitulum.* Nullus mercator in aliquo huius terre confinio equum aut bouem uendere uel emere presumat, sed equum solummodo sibimet ad expedicionem necessarium, aut boues ad arandum aptos si uoluerit emat.

(14) *De uendicione equorum uel boum sine licencia.* Si quis equum ad uendendum sine licencia regis in confinium duxerit, equus ab eiusdem confinii comite auferatur, uel equi dominus in carcerem mittatur, donec testimonio comitis sui comprobetur. et si reus extiterit sicut fur pereat, sin autem liber et sospes euadat, et equum quem adduxit amittat.

(15) *De priuacione honoris comitum.* Comites confiniorum si equos uel boues ultra fines huius patrie sine licencia regis uendi permiserint, comitatus honore priuentur. custodes ergo confiniorum, qui uulgo Ewri uocantur, si absque sciencia comitum tale quid consenserint, libertatem amittant si pauperes fuerint. illis uero custodibus

qui presunt, si in culpa eadem rei inuenti fuerint, cum omnibus que habuerint pereant. soli filii et filie in libertate permaneant.

(16) *De cuiusuis hospitis negociacione.* Hospes ex aliis regionibus in confinio pro equo emendo uel aliis rebus negociandi si uenerit, cum nuncio eiusdem confinii comite ad regem eat, et per licenciam regis quidquid et quantum ei concessum fuerit, coram pristaldo regis emat.

EXPLICIT LIBER SECUNDUS.

S. LADISLAI REGIS DECRETUM III.

E codice chartaceo sæculi XV. bibliothecæ palatinæ Vindobonensis.

INCIPIUNT CAPITULA.

(1) De centurionibus ciuitatum et decurionibus fugiencium.
(2) De his qui aliorum seruientes detinent.
(3) De Palatino comite.
(4) De quolibet fure ad ecclesiam fugiente.
(5) De seruo uel libero in eadem culpa ad ecclesiam fugiente.
(6) De puella in furto inuenta.
(7) De puella furtum faciente.
(8) De furibus decem uel sedecim denariorum ualencium.
(9) De his qui capiunt furem.
(10) De his qui in expedicione furantur.
(11) De eadem re.
(12) De negociatoribus de ciuitate in ciuitatem euntibus.
(13) De fure in curia nobilium capto.
(14) De collectoribus furtiuarum rerum.
(15) De his qui equos a cursoribus dimissos retinent.
(16) De his qui decretum regis spernunt.
(17) De iudicibus.
(18) De furibus ad ecclesiam fugientibus et se innocentes proclamantibus.
(19) Ut nullus cum fure conuenire audeat.
(20) Nemo ducat furem ad alium iudicem.
(21) De usucapionibus.
(22) De his qui recipiunt seruum uel lixas alienos.
(23) De iudice erecto et constituto.
(24) De falsis iudicibus.
(25) De iudice litigium differente.
(26) De iudicibus sigillum mittentibus.
(27) De despicientibus sigillum iudicum.
(28) De his qui domi fecerunt pugnam.
(29) De cursoribus qui ultra terciam uillam equum duxerint.
(30) De requirentibus perditarum rerum.

EXPLICIUNT CAPITULA.

(1) *De centurionibus comitatuum et decurionibus.* Hoc decreuerunt, hanc legem constituerunt:

ut nuncius regis per omnes ciuitates dirigatur, qui congreget centuriones et decuriones eorum qui uulgo Ewri uocantur, cum omnibus sibi commissis, et precipiat eis, ut si quem furti culpabilem sciant, ostendant. et qui pro culpabilibus ostensi fuerint, si quod non sint culpabiles, iudicium portare uoluerint, iudicium detur illis. quosque nominauerint Ewri, illi parciantur sub decenario numero, quorum unus pro decem portat iudicium. qui si fuerit saluus, reliqui nouem salui fiant. sin autem, nouem portent iudicium unusquisque pro se. ille autem qui pro nouem iudicium portauerit, ipse eciam pro se portet aeque iudicium·

post hec inquiratur a cunctis optimatibus et populo, si quam uillam sciant furto diffamatam. et si quam dixerint, dicat nuncius regis uillanis, ut quos fures sciant in illa, illos reddant. quos autem reddiderint, si iudicio se uelle defendere dixerint, ne prohibeantur. sed qui fures multo antea auditi fuerant, illis nequaquam detur iudicium.

preterea eiusdem uille uillani per decem et decem diuidantur, et decimus pro nouem portet iudicium. si fuerit ipse mundus, reliqui nouem mundi sint. si culpabilis sicut supra diximus unusquisque pro se portet, decimus autem qui pro nouem portauerat, ipsemet aeque iudicio probetur.

deinde nuncius regis de uilla in uillam uadat, sciscitando a uillanis, ut ubi furem sciunt, monstrent. notum eciam faciat, tocius Ungarie principes sacramentum fecisse, quod neque furi parcant, neque celent eum. ipsi quoque similiter faciant. et si rustici dixerint iusiurandum se uelle obseruare, tum ostendant fures, ubi sciunt. sed si postea aliquis fures celasse eos accusauerit, et ita periuri inuenti fuerint, pro commutacione lingue decem pensas soluant, et cannonice peniteant.

(2) *De his qui seruientem aliorum detinent.* Precipimus eciam, ut idem regis nuncius palam faciat omnibus tam nobilibus quam ignobilibus, imprimis episcopis, abbatibus, comitibus, postea uero minoribus:

quod a tempore regis Andree et ducis Bele, et a descriptione iudicis Sarchas nomine, apud quemcunque aliqui ciuium uel uillarum, qui dicuntur Evvrek, uel serui detinentur, in assumpcione s. Marie omnes regi presententur. quod si quis forte detinuerit, dupliciter reddat. uel is qui defendere uoluerit, in predicta festiuitate ueniat ad curiam et defendat.

Ueniant et illi omnes qui dicuntur Wzbeg ad curiam in eadem festiuitate, et secundum quod regale iudicium ordinauerit, postmodum ratum permaneat. et quisquis ultra terminum predictum aliquem illorum, quos tunc reddi precipimus detinuerit, dupliciter reddat, et quinquaginta quinque pensas propter transgressionem soluat. et si qua suspicio de illo qui alterius rem detinebat habita fuerit, eo quia ille quem retinuerat, fur et latro diffamabatur, ipse expurget se iudicio. si culpabilis fuerit, ut fur et ipse diiudicetur.

Illi qui dicuntur uulgo Wzbeg, cuicunque persone adheserint, representent eos regi in assumpcione s. Marie uirginis. quod si quis transgressus fuerit, bis totidem reddat, et insuper propter legis fractionem quinquaginta quinque pensas adhibeat.

(3) *De Palatino comite.* Placuit eciam, ut si aliquando Palatinus comes domum iuerit, regis et curie sigillum, qui in uice eius remanserit, illi dimittat, ut sicut regis una est curia, et ita unum sigillum persistat. domi uero comes idem quamdiu permanserit, super neminem sigillum mittat, nisi super eos duntaxat qui uocantur uduornik. et qui spontanea uoluntate iuerint ad eum, illos ei liceat iudicare. quod si aliter fecerit, quinquaginta quinque pensas soluat.

militer et ducis comites, qui super alios quam suos iucauerint, eadem sentencia corrigantur.

(4) *De quolibet fure ad ecclesiam fugiente.* Si quis liber ratus fuerit, et ad ecclesiam fugerit, cuius ecclesie regium quesiuit, illius seruus sit. ille autem cuius suasione rasit, parte sua careat. si presbiter postea eum emanciuerit, et ipse uice eiusdem seruus sit ecclesie. ille uero ii furatus fuerat, uenumdetur in aliam patriam, et si ostmodum huc reuersus fuerit, tollantur ei oculi.

(5) *De seruo uel libero in eadem culpa ad ecclesiam fuente.* Seruus qui furatus fuerit, et ad ecclesiam fugierit, omino suo reddatur, et cuius consilio fugit, det ecclesie uas pensas. et si liber furtum fecerit, sed neque captus, eque ligatus ad ecclesiam fugerit, ipse similiter sit seruus ecclesie, et cuius erat fur, parte sua non careat. eo odo si seruus ad ecclesiam fugerit, una pensa dominus us eum redimat, cuiusque res furatus fuerat, illi totum stauret. item si seruus magnum quid, et tantum furatus ierit, quantum dominus eius restaurare non poterit, cuius at, unam pensam ecclesie det, et seruus sit eius.

(6) *De muliere in furto inuenta.* Si que mulier habens aritum furtum fecerit, nasum perdat et uenundetur, et im tota substancia sua, cum qua post uiri sui mortem aritari alii posset, pereat. et si uidua idem fecerit, alteim perdat oculum, et exceptis partibus filiorum suorum, im parte sua annichiletur.

(7) *De puella furtum faciente.* Si que innupta puella irtum fecerit, uenundetur et nunquam ad libertatem reeat. et si quis emancipauerit, precio careat, et illa in iriam regis ducatur.

(8) *De furibus decem uel sex denariorum.* Si liber quod ecem denarios ualeat furatus fuerit, cum omni substancia ereat. si minus alter oculus eruatur, et secundum sancti tephani regis decreta diiudicetur. item si seruus sex dena-

riorum precium furatus fuerit, careat oculis, si minus semioculo, et quod furatus fuit dominus eius dupliciter restituat.

(9) *De his qui capiunt furem.* Quociescumque quis furem ceperit et ligauerit, per tres dies tantum teneat, in quarto ante iudicem statuat, et si forte se furti conscios inuenturum promiserit, sex septimanarum spacio indulgenciam habeat, et interim quos furti conscios se inuenturum promiserat, inueniat, si autem non inuenerit, legali sentencia damnetur. si uero plus quam per tres dies eum tenuerit, et in quarto, sicut diximus, iudici non presentauerit, et postea uel a parentibus ipsius furis, uel a domino si dominum habet, declamacio uenerit, ante iudicem statuatur, quod eum uinculatum tenuit, et secundum legem tercia uel quarta die non representauerit, ipse eciam ante iudicem statuatur. et quia iniuste tenuit furem, decem pensas persoluat, fur autem secundum legem diiudicetur. et si quis contumax iudicium iudicis transgredietur, sex pensas soluat. iudex uero per uim furem capiat, et si fur iudicium quesierit, iudicioque dato inculpabilis fuerit, de his sex pensis unam sancte ecclesie donet. et si quis culpabilis fuerit, cum omni substancia sua in substanciam regis exportetur.

(10) *De his qui in expedicione furantur.* Si rex in expedicione fuerit, et interim furem capi contigerit, qui cepit firmiter teneat. sed postquam rex et sui primates redibunt, ultra quem terminum dixi, tenere non presumat. quod si aliter fecerit, sex pensas enumeret. item si quis in expedicione furtum fecerit, cum omnibus rebus suis exstirpetur.

(12) *De negociatoribus euntibus de ciuitate in ciuitatem.* Si quis de ciuitate uadens in ciuitatem, emerit uel uendiderit, et si quod prius uendidit, postea furatum esse apparuerit, ille qui uendidit, sicut fur diiudicetur, et qui

testes fuerint, iudicio discuciantur. si culpabiles inuenti fuerint, sicut fures ita diiudicentur.

(12) *De fure in curia nobilium capto.* Si quis in curia nobilium furtum fecerit, nuncietur uel eiusdem domino curtis uel pristaldo eius. et si forte contigerit, quod neuter domi sit, expectetur per decem dies. si in undecima neuter illorum uenerit, ante iudicem statuatur, et secundum legem tractetur.

(13) *De collectoribus fugitiuarum rerum.* Rerum fugitiuarum collector, quem uulgariter joccerydech dicunt, quidquid colligit, ad ciuitatem eiusdem prouincie congreget, et regis agaso et comitis eiusdem ciuitatis in suburbio stabulum faciat, ubi usque ad festiuitatem sancti Michaelis archangeli quidquid pecorum collectum est, seruatur. due partes fugitiuorum hominum donentur regis pristaldo, tercia pars comiti, et usque ad pronunciatam festiuitatem detineantur et reseruentur. de quibus post festiuitatem sancti Michaelis, quando diuiduntur, nuncius episcopi decimam partem accipiat. a festiuitate sancti Martini usque ad festiuitatem sancti Georgii congregentur oues et boues, et simili modo diuidantur. et si iterum rerum fugitiuarum collector, quem dixi, hoc transgressus fuerit, exceptis filiis et uxore eius, cum omni substancia perdatur. si comitis collector fugitiuorum liber fuerit, simili modo disperdatur, si seruus, comiti auferatur. si regis fugitiuorum collector, de his que collegit aliquid denegauerit, alicui dederit, tam qui recipit, quam qui dederit, ambo perdantur. et si quis ei quidquam de talibus negauerit, quantum negauit, duodecies tantum reddat.

(14) *De his qui equos a cursoribus dimissos retinent.* Si quis equos, quos cursores dimittunt, habuerit, per tres septimanas ad ecclesiam uel ad mercatum, causa monstrandi ducat. et si dominus eius non inuenerit, donet eos collectori regis. similiter de equis fiat a furibus dimissis.

et qui furem cum equo comprehenderit, furem det iudici, equus uero suus sit sibi.

(15) *De his qui decretum regis spernunt.* Quicunque uero regis et principum decreta fregerit, si episcopus est, secundum uoluntatem regis diiudicetur, si comes, a comitatu degradetur, si centurio, honore priuetur, et insuper quinquaginta quinque pensas soluat. miles consimiliter quinquaginta quinque pensas soluat.

(16) *De iudicibus.* Uolumus ut unus quisque iudex in parochia sua iudicet, *id est nemo iudicum extra suam iurisdictionem iudicet.*

(17) *De furibus ad ecclesiam fugientibus et se innocentes proclamantibus.* Si qui serui uel liberi fures ad ecclesiam subintrauerint, et se innocentes esse proclamauerint, iudicio probentur. quod si rei apparuerint, quasi qui ecclesiam non intrassent iudicentur. si uero culpam confessi fuerint, lege beati Stephani discuciantur.

(19) *Ut nullus cum fure audeat conuenire.* Nemo cum fure audeat conuenire. si autem quis fuerit talis, quinquaginta quinque pensas perdat.

(20) *Nemo ducat furem ad alium iudicem.* Uolumus eciam ut si quis furem ceperit, ante illum iudicem discuciatur causa, in cuius termino captus fuerit fur.

(21) *De usucapcionibus.* Usucapciones capiantur a festo s. Georgii usque ad festum s. Ioannis Baptiste. et ducantur in ciuitatem, teneanturque usque ad festum sancti Michaelis, ac presententur assidue in mercatu, ut si quispiam suam repererit personam, redimat nonaginta denariis, equum duodecim, bouem quinque. ex quibus due partes regi, tres comiti tribuantur. si uero usque festum s. Michaelis inuenti non fuerint, diuidantur predicto modo. tamen nullo pacto uendantur uel celentur, sed tantum labore eorum utantur. si collector uendiderit uel celauerit, triplum reddat, ipseque decem pensas persoluat. comes

uero si itidem fecisse probabitur, quinquaginta quinque pensas persoluat. simili modo iubemus, ut qui usucapciones tenuerint a tempore regis Bele, usque ad festum s. Stephani dimittant.

(22) *De his qui recipiunt seruum uel lixas alterius.* Interdicimus eciam ut nullus recipiat seruum alterius uel lixas. si quispiam autem receperit, si comes fuerit, sciat se dupliciter cum quinquaginta quinque pensis redditurum, si minister, dupliciter cum uiginti quinque pensis, si plebeius, dupliciter cum quinque pensis. quod si receptus uel pro furto uel aliquo crimine latuerit, et receptor conscius reatus illius fuerit, et negauerit se fuisse conscium, si comes est, iuramento se purget, et insuper quinquaginta quinque pensas persoluat. si uero plebeius, simili iuramento purgetur, et quinque pensas componat. et si quid contra eum latro proclamauerit, exaudiatur.

(23) *De iudice erecto et constituto.* Si quis iudicum non diffiniuit litigium, antequam eius potestas auferatur, ueniat ad iudicem constitutum, et sicut iudicare disposuerat cum eo discernat, et exinde recipiat nonam partem iudicii, iudex uero decimam.

(24) *De falsis iudicibus.* Si qui falsi iudices in occulto iudicare aliquid cognoscerentur, presententur iudici in cuius termino reperti fuerint, inquisitaque ab eis commissi causa, quod diiudicauerint duplum reddant, ipsique decem pensas persoluant.

(25) *De iudice litigium differente.* Si quis iudicum distulerit litigia ultra triginta dies, uapuletur.

(26) *De iudicibus sigillum mittentibus.* Possit iudex sigillum suum mittere super quoscunque, exceptis presbiteris et clericis, nec non comitibus.

si quis autem iudicem iniuste iudicasse proclamauerit, et non probauerit, quinque pensas perdat. si uero iudex conuictus fuerit, iudicatum in duplo restituat, et insuper

quinque pensas persoluat. iudex uero pro suo iudicatu, nisi in uno anno, postea non introducatur.

(27) *De spernentibus sigillum iudicis.* Si quis sigillum iudicis negligens, ad causam non uenerit, primo quinque pensis puniatur, si secundo, totidem, si tercio, racionem perdat, et tonsus reddatur pro debito.

(28) *De his qui domi fecerunt pugnam.* Si qui domi pugnauerint, et ad iudicem non uenerint, nil querat iudex. si uenerint ad ius eius, fiat libitum. quod si concordati aliquid iudici inde dederint, terciam sibi, duas partes regi seruet.

(29) *De cursoribus, qui ultra terciam uillam equos duxerint.* Nemo cursorum audeat ducere equum ultra terciam uillam, uel accipere ad ecclesiam euncium, uel uendencium, siue ad curiam episcoporum uel comitum, nec de presbiteris aut clericis, ac curribus eorum. accipiat autem qualescunque inuenerit equos, ut regis legacio cicius expediatur. si quis autem cursorem uerberauerit, quinquaginta pensis, si lora eius retinuerit, decem pensis puniatur.

(30) *De querentibus perditarum rerum.* Si quis seruum fugitiuum, uel quodcunque perditum querere uoluerit, a nemine prohibeatur. si quis autem prohibuerit, uel querentem uerberauerit, decem iuuencis mulctabitur, ualentibus decem pensas.

EXPLICIUNT DECRETA S. LADISLAI.

SYNODUS STRIGONIENSIS PRIOR

HABITA SUB

COLOMANNO REGE.

E codice sæculi XII. ecclesiæ collegiatæ ad S. Martinum Posonii, premittuntur

CAPITULA SYNODALIA

e codice chartaceo sæculi XV. bibliothecæ palatinæ Vindobonensis.

INCIPIUNT CAPITULA

de synodalibus decretis domini archiepiscopi Laurencii strigoniensis metropolitani et decem suffraganeorum suorum.

(1) de causis ecclesiarum et clericorum.
(2) de sermone ad populum.
(3) de communicacione cleri et populi.
(4) de ecclesiasticis ordinibus.
(5) de locucione clericorum.
(6) de ydeotis clericis.
(7) de ritu gentilitatis.
(8) de annuis festis.
(9) de negligentibus penitenciam.
(10) de mortuis sine confessione.
(11) de uxoratis in episcopatum promouendis.
(12) de porcionibus ecclesie, quando debet fieri.
(13) de monasteriis episcoporum qui obierunt.
(14) de his qui res ecclesie dissipauerunt.
(15) de famulis ecclesie.
(16) de parochiis ecclesiarum.
(17) de ecclesia sine dote non consecranda.
(18) de presbiteris ad titulum ordinandis.
(19) de clericis sine litteris non suscipiendis licencia.
(20) de legacionibus episcoporum.

(21) de aduenis clericis et infamatis.
(22) de his qui in ecclesia alterius celebrant sine licencia.
(23) de professis clericis ad titulum ordinandis.
(24) de oppressis clericis uel iniuria afflictis.
(25) de clericis uel abbatibus seculare iudicium querentibus.
(26) de concordia diuinorum officiorum.
(28) de uita et uictu canonicorum.
(29) de libertis canonicis et filiis eorum.
(30) de seruis non ordinandis.
(31) de sacerdotibus ante presbiteratum uxoratis.
(32) de clericis non uxorandis.
(33) de uxoribus episcoporum.
(34) de excomunicatis.
(35) ubi debeant missam celebrare.
(36) item de abbatibus.
(37) de eisdem abbatibus.
(38) de eisdem abbatibus.
(39) de ordinandis monachis.
(40) de his qui monachatum habitum accipiunt.
(41) de conuencione oblacionis pro missa ne fiat.
(42) de non emendis uel uendendis ecclesiis, et uenditoribus ecclesiarum.
(43) de baptismo et sepultura.
(44) de festiuitatibus.
(45) de iudicio quando uel quomodo dari debeat.
(46) quid in ecclesia legi uel cantari debeat.
(47) quomodo in kalendis et conuiuiis conuiuari debent.
(48) item de eodem.
(49) de domibus penitencialibus.
(50) de maleficis.
(51) de accusatoribus et accusatis.
(52) de uxoribus a maritis fugientibus.
(53) de bigamis et uiduarum uel repudiatarum maritis.
(54) si presbiteri bigami recipiant ordines.
(55) de presbiteris qui concubinas habent.
(56) ut canonici suam regulam sciant.
(57) de clericis pro furto accusatis.
(58) de thabernariis clericis.
(59) de testimoniis clericorum.
(60) de iudeis qui christianos habent famulos.

(61) de decimis clericorum.
(62) de archidiaconis.
(63) de presbiteris et seruis ecclesiarum.
(64) de congregandis clericis ad sanctam synodum.

EXPLICIUNT CAPITULA.

SANCTI SPIRITUS ADSIT NOBIS GRACIA.

Inprimis interpellandus est rex :

(1) ut cause clericorum uel ecclesiasticarum rerum canonice finiantur.

(2) ut omni dominico die in maioribus ecclesiis euangelium et epistola et fides exponantur populo, in minoribus uero ecclesiis fides et oracio dominica.

(3) ut omnis populus in pascha et pentecosten et natale domini penitenciam agat et communicet. clerici uero in omnibus maioribus festis communicent.

(4) ut omnes ecclesiastici ordines in maioribus ecclesiis habeantur, et officium suum exhibeant.

(5) ut canonici in claustro et canonici in curia literatorie loquantur.

(6) ut ydiote presbiteri non ordinentur. qui uero ordinati sunt, discant aut deponantur.

(7) ut nullus aliquid de ritu gentilitatis obseruet. qui uero fecerit, si de maioribus est XI dies districte peniteat, si autem de minoribus septem dies cum plagis.

(8) si quis descriptas festiuitates non feriauerit, eadem lege iudicetur.

(9) si quis pro facinore commisso iniunctam penitenciam negligens, ab episcopo excommunicatus in eadem peruersitate obierit, in cimiterio ecclesie non sepeliatur, nec a presbiteris.

(10) si quis infirmatus presbiterum non uocauerit, nisi subitanea causa fuerit, eodem modo fiat de eo. parentes uero eius aut uxor XL dierum penitencia multentur. si autem parentes non habuerit, uillicus cum duobus senioribus uille idem iudicium subeat.

(11) ut hi qui ad episcopatum promouendi sunt, si matrimonio legitimo iuncti sunt, nisi ex consensu uxorum non assumantur.

(12) episcopus si tres partes de acquisitis ad utilitatem ecclesie contulisse uidetur, liceat ei agere de quarta quod uoluerit.

(13) episcopi qui iam obierunt, neque ecclesie sue prouiderunt, sed tantum filios suos ditauerunt, placuit inde medietatem auferre et ecclesie reddere. monasteria uero talium in potestatem succedentis episcopi transeant, et faciat quod inde melius uisum fuerit.

(14) si quis eorum qui ecclesiis presunt res earum dissipauerit, duplo restituat. si non habet deponatur, donec emendet.

(15) nullus episcopus aut presbiter in propriis locis seruos ecclesie teneat.

(16) una quecunque ecclesia circa se in proximo habeat parochiam suam.

(17) ecclesia non consecretur, si dos et terra non dantur.

(18) nullus habeatur in clero, qui non est adtitulatus alicui ecclesie.

(19) nullus clericus de alio episcopatu uel prouincia sine commendaticiis litteris suscipiatur.

(20) episcopus ad episcopum sine literis sigillo legacionem non mittat.

(21) hospites clerici, qui de alienis partibus uenerunt, aut legitimos testes producant, aut ad ferendam for-

matam redeant. si uero infamati sunt omnino discedant, nec redeant nisi cum formata.

(22) nullus episcopus aut presbiter aut abbas missam celebrare audeat contra uoluntatem presbiteri ecclesie.

(23) quicunque ad titulum ordinatus est uel cum professione susceptus, non priuetur ordine uel honore, nisi super certis criminibus iudicio canonico. sed neque ipse recedere audeat, nisi forte ad maiorem promouendus gradum, quod eciam episcopus suus benigne debet consentire.

(24) si quis se oppressum existimat, liceat sibi concilium episcopale appellare.

(25) si quis uero clericorum aut abbatum in causis ecclesiasticis relicto episcopali iudicio regalem curiam aut seculare iudicium adierit, causam perdat et penitencia emendet.

(26) ordo diuinorum officiorum et ieiuniorum secundum libellum, quem conlaudauimus, ab omnibus teneatur.

(27) uita et uictus canonicorum secundum regulam ipsorum ab episcopo disponantur.

(28) si quis hospitum canonice regule se sponte subdiderit, nichil ad filium eius pertineat, nisi forte et ipse uoluerit.

(29) si uero clericus seruus ecclesie fuerit, filii eius ad pristinam seruitutem non redeant, sed inter liberos ecclesie habeantur.

(30) nullius seruus clericus ordinetur, nisi antea dominus eius plenam sibi dederit libertatem.

(31) presbiteris uxores, quas in legitimis ordinibus acceperunt, moderacius habendas prouisa fragilitate indulsimus.

(32) qui diaconum uel presbiteratum sine matrimonio adepti sunt, uxorem ducere non licet.

(33) uxores episcoporum episcopalia predia non inhabitent.

(34) si quem episcopus excommunicauerit, hoc regi et fratribus suis datis litteris indicet.

(35) nullus extra ecclesiam in tentorio uel in aliqua domo missam celebrare aut audire audeat, nisi rex aut episcopi, uel comites et abbates illi, qui tentorium aut aliquid huiusmodi, diuino solummodo cultui preparatum habere possunt, et hoc tantummodo quando sunt in uia.

(36) abbates mitram, sandalia, cirothecas, nolam ad capellam uel cetera episcopalia insignia non habeant, neque baptizent, neque penitenciam dent, neque ad populum sermonem faciant.

(37) abbas prouisa facultate monasterii cum episcopo, ad duo aratra unum monachum regulariter uestitum et instructum teneat, et regulam beati benedicti omnes monachi sciant et intelligant.

(38) ut abbates raro de monasteriis egrediantur, neque ad regem, neque ad remotas possessiones sine consciencia episcopi pergant, uerum tamen diucius immorari non debent.

abbates parentibus suis non plus quam ceteris pauperibus solacium faciant. quod si abbas inuentus fuerit bona monasterii dissipare, ipse deponatur, et substancia illa ecclesie reddatur.

(39) nullus episcopus aut presbiter monachum ordinet.

(40) si quis monachum habitum habet, aut monasterium intret aut habitum perdat, et penitencie subiaceat.

(41) nullus presbiter conuencionem de missa pro oblacione faciat.

(42) nullus ecclesiam emere uendere presumat. si quis ecclesiam uendiderit, aut presbiterum suum sine culpa abiecerit, delator illius culpe partem magistri illius eo anno accipiat.

(43) nullus de baptismo uel sepultura precium exigat.

(44) nullus festiuitates uendere presumat.

(45) ut iudicium ferri in quadragesima sicut in aliis ebus, excepta causa effusionis sanguinis detur.

ut qui ferrum accipit in designato loco ponat.

(46) nichil legatur neque cantetur in ecclesia, nisi iod fuerit in synodo collaudatum.

(47) si quis presbiter in conuiuio uel kalendis cogens ad potum uiderit, arguat eos, et si eum non audierint, se exeat et archidiacono eos accuset. quod si ipse presbiter non exierit, ab officio suspendatur et XL dies peniat. si presbiter coegerit uel coactus fuerit inebriatus, deonatur.

(48) si quis presbiterum inebriatum inuenerit, unam ensam, uel archidiaconum, tres pensas ab eo accipiat. et idem presbiter secundo inebriatus inuentus fuerit, depotur.

si quis de nobilibus ad potum coegerit, uel coactus erit inebriatus, XL dies peniteat. si uero in hoc perseerauerit, excommunicetur.

(49) episcopi in unaquaque ciuitate duas domos ad ercendos penitentes faciant.

(50) si quis de maleficio accusatus conuictus fuerit, cundum canones peniteat.

(51) si accusator quod iniecit probare non poterit, dem penitencie subiaceat.

(52) si qua mulier a uiro suo fugerit, reddatur mato suo semel et bis. tercia uice si nobilis est adiciatur enitencie sine spe coniugii, si de plebe uenundetur sine e libertatis.

si quis uxorem suam adulteram probauerit, si uoluet ducat aliam. illa uero si nobilis est sine spe coniugii eniteat. si plebeia sine spe libertatis uenundetur.

quod si probare non poterit, idem iudicium maritus iciatur, et illa si uoluerit, maritetur.

eodem modo qui cum alterius uxore, uel que cum marito alterius peccat iudicetur.

si quis puellam rapuerit uel uiolauerit, si nobilis est canonice penitencie cum composicione subiaceat. qui uero hoc persoluere non poterit, tonso capite secundum iudicium regis Ladislay uenundetur.

si quis sponsam rapuerit alterius, si illa non consensit, reddatur proprio sponso. raptor uero si nobilis est composicionem canonicam faciat, et sine spe coniugii peniteat. si non poterit composicionem dare, sine spe libertatis uenundetur.

si quis uxorem fugiens se sponte debitorem fecit, unde se expedire nolit propter odium quod in uxorem habet, semper in seruitute permaneat. et si unquam liber uideatur, iterum uenundetur. uxor uero eius cui uult nubat.

(53) si quis de clero secundam uxorem uel uiduam uel repudiatam duxerit, deponatur.

(54) bigami presbiteri, qui ad ordines suos redire uoluerint, ex consensu uxorum suarum recipiantur.

(55) similiter si presbiter concubinam habuerit, deponatur.

(56) ut canonici regulam canonicam sciant et intelligant.

(57) si quis clericorum furti arguitur, ab episcopo uel archidiacono iudicetur. si reus inuentus fuerit deponatur, et bona sua perdat, si uero nichil habuerit, uendatur.

(58) ne clerici tabernarii uel feneratores sint. quicunque in tabernaria domo biberit, si clericus est deponatur, si laicus in testimonio non recipiatur.

(59) ut clerici testes non sint, nec in testamento morientis, uel pro sacramento, uel pro iudicio.

(60) Iudei seruos uel ancillas neque proprios neque uenales, neque mercenarios Christianos habere audeant.

nullus Christianus carnes ab eis spretas emere presuat.

(61) decretum est et sancti concilii auctoritate sancim, ut de propriis horreis seu cellariis aut ouilibus mosteriorum et ecclesiarum omnium, que in clero sunt, cime non exigantur, excepta quarta parte parrochiani esbiteri.

(62) ut omnes archidiaconi breuiarium canonum haant.

(63) presbiteri quoque ecclesiarum iuxta ecclesiam mum habeant.

serui ecclesiarum si boues proprios habuerint, mastri sui dimidiam partem de his, que arauerint, si autem m bubus magistrorum suorum arauerint, duas partes de magister ecclesiarum habeat.

(64) quicunque de his qui in clero sunt ad sinodum iscopi sui non uenerit, usque ad laicum deponatur.

(65) si quis alterius seruum uel seruientem talem, i domino suo sine ipsius uoluntate alienari non potest, l quemlibet de ciuili populo literas docuerit, seu clerium fecerit, absque consciencia et confessione domini sui, sum redimat et insuper quinquaginta pensas persoluat.

(66) si quis homicidium fecerit, secundum decreta ncirani concilii peniteat.

(67) clerici repudiatarum uiduarumque mariti, nec n et bigami ab ordine deponantur, et si tenent ecclesiam, ireant ecclesia.

(68) nullus clericus, nullus comes quemlibet clerium suscipiat ad diuinum officium tenendum, nisi per mam parrochiani episcopi.

DECRETUM COLOMANNI REGIS

AB ALBRICO COMPILATUM.

E codice chartaceo sæculi XV. bibliothecæ palatinæ Vindobonensis.

Dei gracia Seraphin archipresuli, diuinarum igne uirtutum ardenti, Albricus quamuis unus ex minimis, tamen seruus sanctitatis nuncupatus in palacio celestis contemplacionis.

Quoniam fiduciam talem habemus per Christum, non quod sufficientes simus cogitare aliquid quasi ex nobis, sed sufficiencia nostra ex deo est: cum spiritualis gracia inspiracionis mentem tuam celestis sapiencie thesauro ditauerit, et quamplurimis exsertis ac didascalici meriti uiris lucidas contubernii tui officinas, quasi totidem gemmis ornauerit, aut parui ingenioli mei reformidat rusticitas, dum me ut ita dicam elinguem ac pene tocius urbanitatis exsortem, iubeas o presul regalium instituta collacionum recolere, uel senatoria regni tocius decreta, quasi ieiunelascente oracionis nostre recapitulare. neque enim ad regia consilia me consultricis prudencie inculta prouehit materies, nec tenuis rei pro foribus stantem intromittit despecta pauperies. quia uero obediencie eligo magis operam dare, quam caritati omnia speranti aliquid denegare, malo eciam ultra uires obtemperare presumere, quam presumtuose minime obtemperare. quamuis enim impericia michi dictandi non prestat fecundiam, caritas tamen obedienciam non negat. porro nec in hoc opere proprii arbitrii uestigia figo, uerum preuiis alieni itineris nisibus insisto. ob quam uidelicet

causam, si quid in errabundo uestigia liberius euagatus meus deuiauerit calamus, nec ambigo quam facilis aput te sit uenie locus, que res pigram eciam inpellit huius consilii moram. sed sunt fortasse nonnulli, qui sine racionis circumspectione, idem unde sermo est, concilium cursollinum autumnent esse superfluum, minus prouide asserentes, antiquis pocius priorum insistendum esse relatibus. quorum profecto quam friuola, quamque sit inconsulta coniectio, non est superuacuum paulisper commemorari. quia hii regni detractores magis proprio consulunt arbitrio, quam communiter regni prouectui administrando. nam quis ambigat a sancto patre nostro Stephano, uiro quippe apostolico legem populo nostro datam in quibusdam austeriorem, in quibusdam uero tollerabiliorem, in hiis quoque intensius uindicantem, atque in aliis remissius indulgentem, nec quemquam tamen absque discipline uerbere dimittentem, cum predestinacionis tempus nullum adhuc uerum adduxisset fidei sponsorem. nec hoc quidem preter diuine dispensacionis respectum credi nephas est. nam cum tempore predicti patris uniuersum regnum eius barbaricis seruiret in cultibus, ac rudis coactusque Christianus contra commonitorium sancte fidei stimulum adhuc recalcitraret, adhuc contra penitencialia ultricis uirge uerbera remorderet, opere precipuo fuit, ut sancte discipline coactio infidelibus quidem ad conuersionem fidei, sed conuersis fieret ad iusticiam penitudo peccati. at christianissimus rex noster Conlumbanus, columbine gracia simplicitatis cum omni uirtutum discrecione preditus, postquam uidit adultam fidem perfecti religionis robur accepisse, legalis uinculum cathene cogitauit relaxare, prudenter utpote perpendens, indignum esse, si iam spontaneum fidei militem legalis pene timor torqueret, quem nec ipsa mors ab agnite iam confessione ueritatis abstergere potuisset. hic nimirum cum uideret propter ciuilia bella usque ad

tempus ipsius ingrauescencia, paternis tradicionibus iam magna ex parte solutis, regni consultum labefactare, curie honorem uilescere, timens ne miles insolens pacis, domesticus tamen ueritatis hospes irreuocabilis fieret iniquitatis, regni principibus congregatis, tocius senatusconsultu, prefati regis sancte memorie Stephani legalem textum recensuit, de quo si rem consideres nichil comminuit sed auxit, non tamen quasi fundator sed superedificator, quatenus primitiua plantaria, salubri ueluti respersionis infusione irrigata, iusticie percipiant incrementa. et ille quidem indistrictus fuit infidelium reactor legis pro transgressione, iste iam fidelium recte conuersacionis argumentator in iustificacionem. ille loricam fidei populum induerat, iste terrene ambicionis superfluenta cingulo iusticie precingebat, ille gladio spiritus uerbi dei perterruit, iste galea salutis decorauit. postremo hunc uterque regum semper finem rebus imposuit, ut dum debita ultrix pena filios perdicionis consummeret, filios predestinacionis refoueret. non enim sine causa rex gladium portat. dei enim minister est uindex in iram, eius qui malum agit. nam principes non sunt timori boni operis sed mali. qui est enim qui noceat uobis si boni emulatores fueritis. hactenus hec. contra supradictos autem huius concilii detractores, de singulis capitulis que abs re esse menciuntur, possem eciam scribendo satisfacere, nisi epistolaris ego sermonis modum excedens, modestie tue o presulum decus aures timuissem fastidire. possunt tamen illa ex his colligi, que moderata satis breuitate prescripsi. uerum tamen tu domine, qui in huius populi lingue genere minus me promptum consideras, si quid calamus a suscepti itineris tramite declinauerit, tua queso solita in me beniuolencia et superuacua reseces, et imperfecta suppleas, errata corrigas, commode dicta paterna gracia prouehas, et antequam in aures prodeant publicas, cure tue digitum dignanter imponas, ut que tuo

ımtaxat digna constitui examine, tuo eciam iudicio a de-
ahencium muniantur liuore.

(1) Placuit regi et omnium concilio ut dotis cuiusli-
ıt possessiones monasteriis seu ecclesiis a beato Stephano
ge disposite inconuulse remaneant et cetera.

(2) Quia populus noster magnis sepe tam uie quam
opie laboribus pregrauatus pro qualibet necessitate cu-
am regalem adire non potest, bis in anno, id est in festi-
tate apostolorum Philippi et Iacobi, et in octauis sancti
ichaelis, synodum in uno quoque episcopatu celebrari
ınstituimus, in qua tam comes et comites, quam reliquo-
ım magistratuum potestates ad suum episcopum conue-
ent, ad quam quicunque eciam sine sigillo uocatus non
ınerit, reus iudicii erit.

(3) Alienigena presbiter uel dyaconus cum commen-
ıneiis literis recipiantur. qui uero hactenus recepti sunt,
iure uenerint examinentur, quatenus de quibus aliqua
ıres nostras pulsat infamia, hi ab officio cessent, donec
el iudicio purgentur uel de terra eliminentur.

(4) Nullus indigne sine fideiussore recipiatur.

(5) Episcoporum et comitum capellani uel reliquo-
ım, per sigillum episcopi uel archiepiscopi ad causandum
ıgantur.

(6) Si clericus cum laicis causam habet, per sigillum
dicis laicus cogatur. si uero laicus habet causam cum
erico, per sigillum episcopi uel archipresbiteri clericus
ıgatur, ab eisque cum iudice suo examinentur.

(7) Si duo comites pro causa aliqua dissedeant, in
ıpradicta synodo uentilentur.

(8) Si duo abbates contenderint, in eadem synodo
dicentur.

(9) Maiores ministri regis uel ducis et capellani, quo-
ım personis indignum est coram iudice infra se conferre,
eadem synodo iudicentur.

(10) Si quis superbus iudex ad predictam synodum uenire neglexerit, suo accusatore iudicetur.

(11) Si maiores ministri regis et ducis uel inter se uel cum maioribus contenderint, et ad iudicem uenire contempserint, comes parochianus cum iudice causas eorum discuciant.

(12) *Ducis ministri qui in mega regis sunt, et regis qui in mega sunt ducis, ante comitem et iudicem, minores uero ante iudicem delitigent.*

(13) *Si comes cum comite contenderit, uel populus eius, seu synodica discrecio seu uicinus comes causas eorum discuciat.*

(14) Nullus presumat secularis iudicis sigillum clerico dare.

(15) Quia eo minus uidetur ualere curia, quo minus suppetunt necessaria, ne nostra habundancia in eius superfluat penuria, placuit omnes piscinas, preter quas sanctus Stephanus donauerat, sumptui regali reddere, quia indignum erat nobis recedentibus curialem nobiscum honorem recedere, ubi prestat nos uenientes copiam honoris inuenire.

(16) Similiter decreuimus piscinas monasteriis uel ecclesie datas alias quidem reddere, sed necessarias cottidiano fratrum usui relinquere, nullas uero nisi superfluas aufferre.

(17) Uinee, mansiones, terre, a regalibus quibuslibet date, perseueranter his quibus dabantur, permaneant.

(18) Siluas ecclesiis datas minime aufferri concedimus.

(19) Ueteres coloni eiecti, terram non habentes alibi, ad suam reuertantur. si terra eorum data est monasteriis uel ecclesiis, et ipsi aliam habent, hoc inuiolabiliter ita permaneat.

(20) Possessiones quelibet a sancto Stephano date, humane successionis quoslibet contingat successores uel

ɜredes. possessio uero ab aliis regibus data de patre ɜscendat ad filium. qui si defuerint succedat germanus, ıius filii eciam post mortem illius non exheredentur. germanus autem predictus si non inueniatur, regi hereditas ɜputetur.

(21) Hereditas empticia nulli heredi auferatur, sed ntum eodem testimonio confirmetur.

(22) Iudicium ferri et aque in aliqua ecclesia fieri inrdicimus, nisi in sede episcopali et maioribus prepositis, nec non Posonii et Nitrie.

(23) Iudex iniuste causas discuciens ad curiam regis ım sigillo cogatur, sed sine sigillo ad synodum.

(24) Si quis ad conuentum episcoporum et comitum ɜmire neglexerit, iudicetur. ipsi uero sic sollicite conueant, sic subnixa cura confidant, sicque summa diligenıa equi libraminis trutinam compensent, quatenus nec nc quidem per odium innocenciam condempnent, nec inc per amiciciam culpam defendant.

(25) De tributis autem uectigalibus sicut comitibus rciam partem dare decreuimus, ita decimam quoque ɜiscopis censemus. quia cum tam noui quam ueteris testaenti pagina decimas dandas esse proclamet, incautum inconsultum est, si instituta sanctorum presumamus iniıngere, que summa pocius deuocione debemus adimere.

(26) Si quis in testimonium adductus alicuius ueritam sua nititur attestacione probare, huius testimonium ɜ recipi iubemus, si presertim sit confessus peccata sardotibus. si denique contrarium habeat, ut et sit cautela ɜri testimonii per sacerdotem in confessione, et mendaı culpe redemptio fiat in possessione.

(27) Nullus audeat perhibere testimonium nisi consıus peccata. cuiuscumque testimonium falsum inueniar, eius testimonium amplius non recipiatur.

(28) Si pristaldus iudicis pro causa diiudicata ab aliquo uerberabitur, ad hunc à comite ciuitatis mittatur, et quidquid deliberatum est totum aufferatur.

(29) Iudicis pristaldos tales esse precipimus, quales idoneos testes fieri iusseramus supra.

(30) Si pristaldus iudicis in legacione eius iniuste quid egerit, dampnetur cum iudice ex iniquo mandato.

(31) Damnum a iudice per pristaldum alicui iniuste illatum, de rebus iudicis restituatur.

(32) Si quis terram alterius ad possidendum sibi iniuste usurpauerit, cum in iudicio reus fuerit, tantundem de propria terra perdat, insuper decem pensas persoluat.

(33) Mercatores, ob id solum ut ditescant uenalium rerum dediti studiis, pristina duplicent tributa. pauperes uero qui de mercato uiuunt, persoluta tributa persoluant.

(34) Si quis de propriis et domesticis rebus quid in foro uendiderit, lege sancti Stephani tributum reddat.

(35) Si quis hospitum accola terram ciuium cohabitat, aut iuxta medietatem substancie ciuilium expedicionem faciat, aut octo denarios soluat.

(36) Quando rex uel dux in comitatum aliquem intrauerit, tunc legalis equus exercitualis prestetur. qui si quo casu mortuus fuerit, XV pense domino equi donentur. si uero aliquomodo, sed non usque ad mortem lesus fuerit, predicti precii pars dimidia pro equo reddatur.

Si magna fama in marchiam intrauerit, comes nuncios duos, equis exercitualibus quatuor ad regem dirigat. qui cum proprio cibo illuc peruenientes, precium uiatici sui a Palatino comite exigant, et tantundem ad reditum suum. si uero equi illorum mortui uel lesi fuerint, tot pense quot supra diximus pro equis reddantur. sed si sani redeant, pro una uia exercituali deputetur.

(37) In quamcumque ciuitatis megam rex digrediatur, ibi iudices duos megales cum eo comigrent, qui con-

tenciones populi illius discreto examine dirimant. et ipsi, cum clamor populi ingrauescat, a comite Palatino diiudicentur.

(38) Si rex forte cuiquam comiti uel ministro aliquem de ciuibus dimiserit, solus in expedicionem pergat. sin autem, ad populum unde exiit, reuertatur.

(39) Omnibus interdicimus tenere quemquam de ciuilibus ad fugam facientem absque regis licencia. at si quis tenuerit, quasi legis fracturam emendet.

(40) Comites si propria in uilla suos liberos habuerint, de quibus equos accipere, et centum pensas possint colligere, loricatum unum regi de sumptu illo procurent. si uero quadraginta pensas, militem absque lorica educent. ac si minus, suis hoc propriis usibus reseruent.

(41) Si rex aliquem uagum seruum alicui donauerit, hic medium caput eius tondat. quod si non fecerit, decem pensas amittat. cui si uxorem dederat, eciam illam cum eo perdat.

(42) Quicunque absque regis licencia uagum tenuerit, quinquaginta quinque pensas soluat. et si apud dominum quidquid sit furatus, dominus a crimine iudicio purgetur. et qui fideiussor eius fuerat, illum ostendat, idemque si inculpatus fuerat, eandem legem persoluat, quam retentor eius. et si non habet, propriam libertatem amittat.

(43) Cum quis uagum apprehensum tenuerit, a domino eius una pensa exigatur.

(44) Si quis iokuscidarius uagum quem tenet pro nonaginta denariis, alicui dederit aut uendiderit, decem pensas persoluat, et totidem emptor illius. ubicunque equites, emptores, uiatores uenerint quinque, si uoluerint minimis tantum capecium comparent. qui uero minoris precii acceperit, aut qui maioris fecerit, quinquagintaquinque pensas persoluat.

(45) Denarii octo qui de liberis singulis colligebantur, a modo non accipiantur. de ciuilibus hebdomadariis octo denarios precipimus colligi, inter quos scilicet si quis liber, non a rege, sed ab ipsius ciuibus. si autem liberi, qui regi per fines eorum transmigranti equos, currus subductorios et seruicia stipendiaria suppeditabant, quatuor denarios persoluant. et similiter liberi, qui cum eis cohabitare consenserint, antea exeant.

(46) Si quis Ismaelitas in ieiunio seu comestione porcine quoque carnis uescencia, uel in ablucione aut in quolibet sue secte facinore deprehenderit, Ismalite regi deputentur. qui uero eos accusabat, de substancia eorum partem accipiat.

(47) Unicuique uille Ismaelitarum ecclesiam edificare, de eademque uilla dotem dare precipimus. que postquam edificata fuerit, media pars uille Ismaelitarum uillam emigret, sicque altrinsecus sedeant, et quasi unius moris in domo, nunc nobiscum in una eademque ecclesia Christi in diuina unanimiter consistant.

(48) Ismaelitarum uero nullus audeat filiam suam iungere matrimonio alicuius de gente sua, sed nostra.

(49) Si quis Ismaelitarum hospites habuerit, uel aliquem in conuiuium erogauerit, tam ipse quam conuiue eius de porcina tantum carne uescantur.

(50) Si quis homicida aput comitem uel quemlibet inueniatur, per nuncium episcopi ad penitenciam queratur, quam si mittere renuerit, eadem cum homicida sentencia feriatur.

Patricidia et cetera que pretitulauimus homicidia episcoporum censure uacare decreuimus, qui iuxta qualitatem facinorum et personarum, prout ipsis uisum fuerit, canonice finiantur, simplicia uero huiusmodi homicidia ab archidiacono et iudice seculari iudicentur, de quibus et ipsi nonam et decimam partem inter se disperciant.

(51) Fur captus per triduum ligatus sine manuum siccacione et ignis concremacione teneatur, quarta autem die ad iudicem ducatur.

Fur quando ducitur a prestaldo domini sui, si una ibi tantum familia sit, inde unus cum fure eat, qui si ire noluerit, iudex iudicare non formidet. si uero ibi nulla familia fuerit, ad uiciniorem domini illius locum iudex ligatum dirigat. lege autem fur iudicetur.

(52) Si fur ductus saluus in iudicio apparuerit, captor eius iudicetur sentencia, sed non aboculetur.

(53) Si furi capto furtum proponi non possit, detur iudicium. in quo si saluus appareat, captor illius priuetur substancia, quantam ipse fur dictus habere dinoscitur, non autem aboculetur. fur inuentus in iudicio culpabilis aboculetur.

(54) Si quis furatus quadrupes animal uel precium eius, aut uestimentum precii uiginti denariorum furetur, ut fur iudicetur.

(55) Si quis sola suspicione furem ceperit, ut fur culpabilis in iudicio iudicetur.

(56) Uxor furis, que particeps est sceleris mariti, merito mancipetur seruituti. filii quoque eorum quindecim annorum et ultra, matris penam sorciantur. qui uero infra quindecim annos fuerint, impune dimittantur.

(57) De strigis uero que non sunt, ne ulla questio fiat.

(58) Mulieres partum suum necantes, archidiacono oblate penitenciam agant.

(59) Raptus mulierum episcopus seu archidiaconus diiudicet.

(60) Malefici per nuncium archidiaconi et comitis inuenti iudicentur.

(61) Adulteri episcopo uel archidiacono adducti, debitis penarum iudiciis deputentur.

(62) Si in uilla in qua rex fuerit equus perdatur, nul-

lus de uilla illa emendet. sed si circa partes illas latronum uilla fuerit, hi ligentur.

(63) Si equites uiatores in uilla iacuerint, et equos perdiderint, a uillanis hec emendentur, si uero extra uillam, nullus de uilla persoluat.

(64) Qui in tribus conciliis causam suam legalibus diffinire noluerit, eius querimonia amplius non audiatur.

(65) Nullus comitum uel militum in ecclesiam presumat sibi uendicare potestatem, preter solum episcopum.

(66) Presbiteri et abbates, seu cuiuslibet persona dignitatis, ecclesie decimacionem persoluant, in cuius territorio agriculturam exercent aut uindemiam.

(67) Bigami et uiduarum uel repudiatarum mariti a coniugiis cessent illicitis, uel a cleri excludentur consortiis.

(68) Missa non celebretur nisi consecratis in locis, nisi causa necessitatis aliqua existente, et tunc in tentorio seu alio mundo loco. sed uie tantum ac itineri hec uacet necessitas, non uenacioni, nec sine tabula itineraria.

(69) Reliquie sanctorum per uiam non portentur, nisi a bono et religioso clerico.

(70) Nullus qui in clero estimatur uestibus utatur laicalibus, utpote fisso pellicio uel tunica sparsa, manica gilua, rubra stragula uel uiridi clamide, caliga seu cappa, calceo picto uel sericato. camisia quoque tunica et serico in pectore, non conserantur nodis uel fibulis, sed amplexentur collum quasi.

(71) Quatuor tempora in suis ut hactenus mos fuit locis celebrentur.

(72) Officium de sancta trinitate post octauas pentecostes celebretur.

(73) Sepulture Christianorum non nisi in atriis ecclesiarum fiant.

(74) Nullus Iudeus christianum mancipium emere uel uendere audeat, aut in suo seruicio tenere sinatur. nunc

uero qui habet, si interea datis sibi induciis non uendat, amittat.

(75) Agriculturam autem si quis eorum habet, paganis hanc mancipiis exerceat. possessiones quidem Iudei qui possunt emere, habeant, sed ipsi nusquam nisi ubi sedes episcopalis est, manere sinantur.

(76) Nullus habitancium in Hungaria adiacentibus Hungarie regionibus hungaricum equum emere audeat. quod si quis emeret, ac ut eum furatus sit sibi impositum fuerit infra Hungariam, et usque ad fines Hungarie tantum causam sue excusacionis protendere ei liceat. cum uero equi uenditorem in extrema querere uoluerit patria, non illuc ire permittatur, sed ferri iudicium portet. si reus apparuerit pro fure iudicetur, si mundus non ut fur teneatur, sed precio quo emerat solummodo careat.

(77) Nemo seruum in genere Hungarorum, uel quemlibet in Hungaria natum alienigenam, nec ancillam, exceptis lingue alterius seruis, qui ab aliis ducti sunt regionibus, uendat, nec aliud animal preter boues masculos extra Hungariam uendere uel ducere audeat. quod si quis comitum infringeret, aut honore suo priuetur, aut duas rerum suarum partes amittat, tercia uero substancie porcio uxori atque heredibus suis remaneat.

(78) Quisquis comitum in comitatu suo terciam ubique partem habeant de tributo. rex uero ad plenum de tributo omnium similiter duas partes habeat.

(79) Singuli comites per quemcumque suorum uoluerint denarios, qui per uniuersas Hungarie partes colliguntur, quantum super uno quoque centurionatu fuerit collectum, nominatim sub certo scribentes numero, Strigonium usque ad festum sancti Michaelis mittant. neque prius rege comites uel centuriones partem accipiant, sed in eodem loco, uidelicet Strigonii, fiat omnium parcium diuisio. si quis autem usque ad tempus presignatum

nummos illos cum pleno numero non attulerit, dupliciter reddat.

(80) Liberi quique ac hospites, sicut Sclaui uel ceteri sunt extranei, qui in terris laborant aliorum, pro libertate tantum denarios dent, non alios eciam denarios insuper pro opere aliquo dare cogantur.

(81) De castellanis autem tam pro opere quam pro libertate denarii accipiantur.

(82) Egressuri de Hungaria a thelonariis tam regis quam comitis, qui exitus tenent, sigillum querant. quod thelonarius regis ab una parte cum sigillo comprimat, ab altera parte thelonarius comitis figura comitis sui concludat. si quis absque tali sigillo egredi temptauerit, ut legis preuaricator quinquaginta pensas persoluat.

(83) Si quispiam falsum testimonium alicui imposuerit, id est de eo pluribus ex uillis sine rixe uel odii causa attestantibus, ferreo probetur iudicio. ac si mundus fuerit impositor culpe decem pensas soluat. quod si reus erit, sane quidem res eius permaneant, sed ad modum crucis ferro in genis excoquatur, ut amplius testimonium eius refutetur.

(84) Si quis autem de furto accusatus ad ecclesiam fugeret, non illico teneri pro fure culpabili eum iudicamus. sed iudex cum presbitero ecclesie ipsius eum interroget, utrum culpabilis sit, nec ne, et si reum se esse fatebitur, pro ecclesia pro obcecacione occulorum seu aliorum detruncacione membrorum liberetur. si uero se non esse furem dixerit, excusandi se potestas ei non negetur, sed non de periculis supradictis eum ecclesia liberabit, si reus postea esse probabitur.

Item si quis fur esse ab aliquo accusabitur, fur furti signo aput ipsum reperto uel comprobato, quod pro tali causa aliquid ulli restaurauerit, unde de uillis aliis plures eum criminabuntur.

EXPLICIT ALBRICI COMPILACIO.

COLOMANNI REGIS LEX

DATA

IUDÆIS IN SUO REGNO COMMORANTIBUS.

E codice chartaceo sæculi XV. bibliothecæ palatinæ Vindobonensis.

Colomannus gracia dei rex Hungarorum hanc legem dedit Iudeis in regno suo commorantibus.

(1) Ut nullus Iudeus deinceps presumat christianum mancipium cuiuscumque lingue uel nacionis emere aut uendere, aut in seruicio suo retinere. et si quis decretum transgrediatur, dampnum christiani mancipii aput eum inuenti paciatur.

(2) Si Christianus Iudeo, aut Iudeus Christiano duarum uel trium pensarum precium accomodare uoluerit, mutuator a mutuante uadimonium recipiat, et testes Christiani et Iudei in testimonium assummantur, ut si forte alter alteri quod mutuauerat denegauerit, uadimonio tantum et testibus utriusque comprobetur.

(3) Si autem ultra tres pensas alter alteri quicquam accomodauerit, uadimonium et testes ut predictum est assumant, et quantitatem peccunie et nomina testium in cartulam scribere, ac sigillo utriusque, mutuatoris scilicet et mutuantis sigillare faciant, ut si quando alter alteri uim inferre uoluerit, scripto ac sigillo utriusque ueritas comprobetur.

(4) Si Iudeus a Christiano aut Christianus a Iudeo aliquid emere uoluerit, coram idoneis testibus Christianis

et Iudeis rem uenalem emat, eandemque rem et nomina testium in cartula scribere faciat, et cartulam illam sigillo utriusque, uenditoris scilicet et emptoris aput se custodiat, ut si quando in hac emptione furti reus aliquo arguatur, dominum rei furtiue que aput se recognita est, et testes prenominatos producat et liberetur.

(5) Si autem dominum furtiue rei et recognite producere non poterit, cartulam uero sigillatam ostenderit, iuramento testium inscriptorum purgatus euadat.

(6) Si autem testes christianos non habuerit, et Iudeus idoneos produxerit, et iuramento eorum secundum legem Iudeorum purgatus fuerit, furti composicionem quadruplo persoluat.

(7) Quod si nec dominum recognite rei inuenerit, nec cartulam sigillatam produxerit, more patrie diiudicatus, composicionem furti duodecies persoluat.

YNODUS ALTERA HABITA SUB COLOMANNO REGE.

E codice membranaceo sæculi XIII. ecclesiæ collegiatæ ad s. Martinum Posonii.

---

(1) Ex auctoritate Apostoli pro regis nostri salute et ıgni eius stabilitate in omnibus cotidie ecclesiis orandum ınsemus et districte precipimus.

(2) ut si quis contra regis salutem aut dignitatem ıolibet modo aliquid conspirauerit, aut conspirare aliquid ımptauerit, seu temptandi sciens consenserit, anathe-ıtizetur, et omnium fidelium communione priuetur.

(3) ut si quis huiusmodi aliquem nouerit, et probare ılens non indicauerit, predicte subiaceat dampnacioni.

(4) ut si qua mulier a uiro suo fugerit, reddatur ei, quociens fugerit, restituatur ei, quia scriptum est, quod ıus coniunxit homo non separet.

(5) ut si quis uxorem suam coram legibus adulteram ·obauerit, ipsa penitencie subiaceat, et postea si uoluet-ıt reconcilientur, aliter innupti permaneant.

(6) ut si quis sponsam alterius rapuerit, sponso red-ıtur, raptor uero legibus subiaceat.

(7) ut si quis uxorem exosam habens sponte se serui-ıti subdiderit, ut ab exosa separetur, uxor eum salua ɔertate sequatur, aliter innupti permaneant.

(8) ut clerici bigami et uiduarum ac repudiatarum ıariti, temporalibus ecclesie beneficiis et cunctis dignita-bus ecclesiasticis priuentur.

(9) ut nullus episcopus aliquem promoueat clericorum ad diaconatum uel ultra, nisi prius continenciam uouerit, et si uxorem habuerit, ex eius fiat consensu idem promittentis.

(10) ut nullus coniugatus presbiter aut diaconus altari deseruiat, nisi prius uxori concedenti et continenciam uouenti locum separatum et necessaria uite temporalis prouideat, et secundum apostolum habens quasi non habentem se esse intelligat.

(11) ut nullus laicus ecclesie potestatem habeat.

(12) si presbiter altari deseruiens concubinam habuerit, illa auferatur, ille uero iuxta preceptum episcopi fructu peracto penitencie ad ministrandum alteri restituatur ecclesie.

(13) ut uilla in qua est ecclesia, ab ecclesia longius non recedat, quod si recesserit X pensas persoluat et redeat.

(14) si quis festa uendiderit precium acceptum quadruplo restituat, ipse uero penitencie subiaceat.

(15) si quis descriptas festiuitates non celebrauerit, sic uindicetur in eum: si liber est tribus diebus peniteat, si seruus septem plagis multetur.

(16) placuit sancte synodo, ut omnis coniugalis desponsacio in conspectu ecclesie, presente sacerdote, coram ydoneis testibus aliquo signo subarracionis ex consensu utriusque fieret, aliter non coniugium, sed opus fornicarium reputetur.

CAPITULA SYNODALIA SUB COLOMANNO REGE.

E codice chartaceo sæculi XV. bibliothecæ palatinæ Vindobonensis.

---

(1) Si quis presbiter bigamus propter uxorem diuinum officium reliquerit, omni ecclesiastica dignitate priuetur, et inter laicos deputetur.

(2) Decretum est in sancta synodo ab omnibus episcopis, ut populus sancte ecclesie decimas omnium que possident, serui uero ecclesie parochiano presbitero tres denarios impendant.

COLOMANNI REGIS

REFUTATIO INVESTITURÆ EPISCOPORUM

FACTA IN CONCILIO GUASTALLENSI.

MCVI.

Ex actis concilii Guastallensis.

Refutacio inuestiture episcoporum, quam fecit rex Ungarie ad mandatum pape.

Denunciamus uobis pater uenerande, nos legi diuine subditos, ac secundum eam uobis seruire paratos. unde et inuestituram episcoporum hactenus a maioribus habitam, et si quem in electione huiusmodi minus canonice retroactum est, de cetero, deo uolente cauebimus.

COLOMANNI REGIS

SACRAMENTUM PRO CIVIBUS TRAGURINIS.

MCVIII.

E Lucio de regno Dalmatiæ.

Anno dominice incarnacionis MCVIII. mense V. die XXV. anno XII. regni mei.

Ego Colomannus rex Hungarie, Chroacie atque Dalmacie

(1) iuro super sanctam crucem uobis Tragurinis meis fidelibus ciuibus firmam pacem.

(2) mihi et filio meo, aut successoribus meis tributarii ne sitis,

(3) episcopum uero aut comitem, quem clerus et populus elegerit, ordinabo.

(4) et lege antiquitus constituta uos uti permittam.

(5) preterquam introitus ciuitatis de extraneis duas partes rex habeat, terciam uero comes ciuitatis. decimam autem episcopus.

(6) in ciuitate quoque uestra neminem Hungarorum uel alienigenarum habitare permittam, nisi quem uoluntas uestra expecierit.

(7) quum ad uos coronandus, aut uobiscum regni negocia tractaturus aduenero, nemini uis inferatur domorum suorum, nisi quem dilectio uestra receperit.

(8) at si forte aliquando dominium meum aliquem aggrauare uidebitur, et alias ire uoluerit, secure cum uxore

et filiis et familia et omnibus suis, quocunque sibi placuerit eat.

Hoc autem sacramentum a rege et ab archiepiscopo Laurencio et comitibus Hungarie confirmatum est.

ego Ioannes palatinus comes laudo et confirmo. ego Appa comes laudo et confirmo. ego Thomas Albanensis comes laudo et confirmo. ego Iacobus Borsodiensis comes laudo et confirmo. ego Ugudi Uuasuariensis comes laudo et confirmo. ego Slauiz comes Neogradiensis laudo et confirmo.

COLOMANNI REGIS
CONSTITUTIO PRO CLERO ECCLESIÆ ARBENSIS.
MCXI.

E Lucio de regno Dalmatiæ.

Anno dominice incarnacionis MCXI. indictione IV. epacta nona concorrentibus.

Ego Colomannus dei gracia rex Hungarorum, per misericordiam dei potitus regno Dalmacie atque Croacie, assentimus et quantum ad nos pertinet confirmamus Arbensi ecclesie suas parochias, Iuppam sub alpibus, suis cum terminis, a castro latine Murula uocato, slauonice autem Stenice, usque ad fluuium Copriue, Clissam suis cum terminis, Iuppam Liche, Iuppam Buchani et Bochachi, sicut semper didicimus habuisse per priuilegium Crescimiri regis, et idoneos testes, quos Paullus eiusdem ecclesie presul induxit, cognouimus.

(1) Decreuimus quoque ad honorem et dignitatem illius ecclesie inuestituras tam ecclesiarum quam episcoporum et abbatum absque regis consilio, quemadmodum fuisse probauimus, fieri debere.

(2) Postea necessarium duximus cum utriusque regni uniuerso consilio, ut qua libertate fruuntur clerici Hugarie, fruantur et clerici Dalmacie, scilicet ut qualiscumque potencie sigillo non stringantur, sed solo episcoporum et archidiaconorum suorum sigillo et iudicio lege canonum cogantur et iudicentur.

(3) Hoc modo decimacionem, quemadmodum in Hungaria, accipiant prestaldus regis cum prestaldis episcoporum. ex decimacione episcopi ipsi accipiant decimam partem, ex qua prestaldus regis dimidiam partem illius decimacionis accipiat. prestaldi uero aliam dimidiam cum curiali comite sui episcopi per medium diuidant. et sic curialis comes dimidiam sibi habeat, prestaldi uero aliam dimidiam inter se diuidant.

Indictione IV. datum est hoc priuilegium dicte Arbensi ecclesie per manus uenerabilis Laurencii Strigoniensis archiepiscopi, perpetuo ex concessione Colomani regis Hungarie, Dalmacie atque Croacie, in presencia suorum episcoporum ac comitum, quorum nomina hec sunt: Marcelli Uaciensis episcopi, Simonis Quinqueecclesiensis episcopi. Mathei Uespremensis episcopi. Georgii Georensis episcopi. Sixti Uaradiensis episcopi. Tulberti Colocensis episcopi. Comitum uero: Ioannis palatini comitis. Claodini, Marci, Sauli, Saunici, Ugareni, Theobaldi, Iandini et quam plurimorum aliorum Dalmatinorum episcoporum, et asserencium et testificancium, per quorum testimonium probauit predictus presul dicta Arbensis ecclesia semper ita habuisset. Crescencii Spalatensis archiepiscopi, Anastasii Tinniensis episcopi, Ioannis Traguriensis episcopi, Bani Albensis episcopi. Marci Iadrensis episcopi. Dominici Uegliensis episcopi. Petri Absarensis episcopi et generalis domini regis curie. et ut hoc priuilegium statutum et stabile perpetuo permaneat, nostro iubemus sigillo imprimi atque roborari.

GEYZÆ REGIS
SACRAMENTUM PRO CIVIBUS SPALATENSIBUS.

MCXLII.

E Farlati Illyrico sacro III. 174.

Anno dominice incarnacionis MCXLII. indictione V. epacta XXII. concurrentibus III. ... mensis Maii, anno secundo regni mei.

Ego Geyza, rex Hungarie, Chroacie atque Dalmacie

(1) iuro super sanctam crucem urbis Spalatensis principibus firmam pacem et libertatem.

(2) mihi quoque et successoribus meis tributarii aut angariarii ne sitis.

(3) episcopum uero et comitem, quem clerus et populus elegerit confirmabo.

(4) et lege antiquitus constituta, cum uestro iudice uti permittam uos.

(5) preter quod introitus portus ciuitatis de extraneis duas partes rex habeat, terciam comes ciuitatis.

(6) in ciuitate uestra neminem Hungarorum uel alienigenarum habitare permittam, nisi quem uoluntas uestra expecierit.

(7) quum autem ad uos coronandus, aut uobiscum regni comicia tractaturus uenero, nemini ciuium uis inferatur domorum suarum, nisi quem dilectio uestra susceperit.

(8) iudicem in uos et extraneos a me constitutum, uobiscum in ciuitate sedulo commorari uolo. nec eum extra urbem alias proficiscentem, sui precepto aut sigillo a uobis causa placitandi sequendum concedo.

(9) si quis uestrorum per meum regnum terra marique negocia exercuerit, mihi aut alicui nostrorum hominum ex proprio commercio nullum persoluat debitum.

(10) obsides a uobis nullo modo recipiam, sed in curia nostra regia seruientibus rogam impendam, et morandi siue discedendi, ad suum uelle facultatem obtineant, nullamque super hoc molestiam inferam.

(11) ac si forte quempiam dominium meum aggrauare uidebitur, et urbem uestram exire uoluerit, securus cum uxore et filiis et familia, et omnibus suis bonis, quocunque sibi placuerit, eat.

(12) hec autem omnia absque fraude et ingenio, ad detrimentum ciuium et ciuitatis in aliquo attinente, obseruabo.

Sacramentum hoc a rege et archiepiscopo Muchia confirmatum est.

ego Bachiensis archiepiscopus laudo et confirmo. ego Martinus Agriensis episcopus laudo et confirmo. ego Paullus Uesprimiensis episcopus laudo et confirmo. ego Uerblen Zagrabiensis episcopus laudo et confirmo. ego Zacheus Iauar episcopus laudo et confirmo. ego Ioannes Quinque-ecclesiensis episcopus laudo et confirmo. ego Paullus Canadiensis laudo et confirmo.

STEPHANI III. REGIS
SACRAMENTUM PRO CIVIBUS SIBINICENSIBUS.

MCLXVII.

Ex apographo coævo.

Anno dominice incarnacionis MCLXVII. anno octauo regni mei.

Ego Stephanus rex Hungarie, Chroacie atque Dalmacie.

(1) iuro per sanctam crucem uobis Sebenicensibus meis fidelibus firmam pacem.

(2) mihi et filio meo aut successoribus meis tributarii ne sitis.

(3) comitem uero aut iudicem quem clerus et populus elegerit ordinabo,

(4) et lege antiqua constituta uos uti permittam.

(5) preter quod introitus portus ciuitatis duas partes rex habeat de extraneis, terciam uero comes ciuitatis, decimam uero clerus.

(6) in ciuitate quoque uestra neminem Hungarorum uel alienigenarum habitare permittam, nisi quem uoluntas uestra expecierit.

(7) cum autem ad uos coronandus aut uobiscum regni negocia curaturus aduenero, nemini ciuium uis inferatur domorum suarum, nisi quem dilectio uestra susceperit.

(8) aut si dominium meum aliquando aliquem aggrauare uidebitur, et alias ire uoluerit, secure cum uxore, filiis et familia et omnibus suis quorsumcunque sibi placuerit, eat.

(9) et hoc illis concedo per regale iudicium et sigillum, quod extra ciuitatem non exeant. si de ciuibus iudicare uoluerint in ciuitate cum comite et nobilibus iudicentur.

Hoc autem sacramentum a rege Stephano secundi Geyse regis filio et a principibus Hungarie confirmatum est. † ego Sayna Colocensis archiepiscopus laudo et confirmo. ego Wulcina Ultrasyluanus laudo et confirmo. ego Stephanus Morisene sedis electus laudo et confirmo. ego Ompodinus comes palatinus atque banus laudo et confirmo. ego Iulcus laudo et confirmo. ego Gurg laudo et confirmo. ego Smaragdus laudo et confirmo. ego Tupko laudo et confirmo.

STEPHANI III. REGIS CONSTITUTIO ECCLESIASTICA.

MCLXIX.

E regesto Romano.

Stephanus dei gracia rex Hungarie, Dalmacie, Croacie Rameque, Luce eadem gracia Strigoniensi, Cosme Colocensi archiepiscopis atque omnibus eorum suffraganeis, prepositis quoque regalibus nec non omnibus uniuersaliter ecclesiasticis personis in predictis archiepiscopatibus constitutis, tam presentibus quam futuris.

Iustum ac racioni consentaneum esse dinoscitur ac sanctarum scripturarum testimoniis comprobatur, ut qui regie celsitudinis culmen ab eterno rege merentur accipere, iis que ad ecclesie et christianitatis noscuntur in aliquo

pertinere, tanto teneantur prouida sollicitudine et cautela intendere, quanto pro honore a diuina disposicione collato debent suo creatori uberiorem deuocionem pre ceteris exhibere. ea propter propria racione inducti et saluberrimis exhortacionibus M. uenerabilis sancte romane ecclesie cardinalis propensius attenciusque commoniti, deuocionem quoque uenerande memorie regis Geyse patris nostri, quam circa sacrosanctam Romanam ecclesiam et sanctum nostrum dominum Alexandrum pontificem studuit per omnia exhibere, modis omnibus quibus possumus imitari uolentes,

(1) constitucionem super deposicione et transmutacione episcoporum, quod in suis posteris domino Alexandro pape et suis successoribus noscitur concessisse, uidelicet: quod absque auctoritate et consilio eius et successorum suorum deposicionem seu translacionem episcoporum non faceret uel fieri permitteret, confirmamus, et tam in nobis quam in posteris perpetuo inuiolabiliter duraturam censemus.

(2) Preterea antecessorum nostrorum consuetudinem retro temporibus habitam relinquentes, in nobis et nostris posteris immobili firmitate ualiturum sancimus, quod decedentibus episcopis, in rebus episcopalibus procuratores laicos de cetero non ponemus atque poni nullatenus permittemus, sed honestos clericos, qui non ad uoluptatem, sed ad necessitatem uictus de ipsarum ecclesiarum rebus moderate accipiant, ibidem instituemus, qui reliqua omnia bona fide et sine fraude aliqua ad reedificacionem ipsarum ecclesiarum et domorum episcopalium seu canonicorum, ad usus quoque pauperum, uiduarum et orphanorum fideliter debeant asseruare.

(3) Nos uero et posteri nostri nihil unquam de iisdem rebus in usus proprios ulterius redigemus, nisi forte, quod absit, hostes regni in manu ualida fines ipsius regni intra-

uerint, uel aliqua alia urgentissima necessitas postulauerit, et tunc quoque id sine episcoporum consilio non faciemus.

(4) Addimus eciam, et robore inconcusso tam in nobis quam in posteris nostris perpetuo obseruandum statuimus, quod regales prepositi uel abbates de suis preposituris uel abbatiis seu dignitatibus non a modo deponentur, in hac parte consuetudini nostre antique per nos et posteros nostros renunciantes, nisi infausto casu contingeret, eos super certo crimine canonico ordine conuinci, uel crimen suum publice confiteri.

(5) Ad hec Cosmas archiepiscopus Colocensis, omnes episcopi et electi, regales propositi et abbates, munificenciam ac libertatem, quam pro reuerencia beati Petri et sanctissimi pape nostri Alexandri, nec non et M. uenerabilis diaconi cardinalis apostolice sedis legati sibi concessimus, attendentes, prauam suam consuetudinem et omnibus canonibus obuiantem, quam in instruendis et destruendis prepositis et aliis dignitatibus, et ecclesiasticis beneficiis subtrahendis exercebant, in manus predicti cardinalis penitus reliquerunt.

(6) Unde communi consensu et libera eorum omnium uoluntate decernimus et inuiolabiliter presenti priuilegio ualituro perpetuo stabilimus, quod nulli archiepiscoporum, episcoporum, electorum, prepositorum, abbatum, deinceps licencia pateat de prepositurís suos prepositos remouere, uel alias ecclesiasticas personas suis dignitatibus aut ecclesiasticis beneficiis priuare, nisi forte de crimine fuerint conuicti canonice uel confessi.

Hec autem omnia de consilio gloriose regine matris nostre et archiepiscoporum, episcoporum omnium, electorum, prepositorum regalium atque abbatum, comitum omnium procerum et aliorum principum stabilita ac firmiter corroborata noscantur. Actum in ciuitate W. anno MCLXIX.

PETRI ARCHIEPISCOPI SPALATENSIS
CONSTITUTIO SYNODALIS.

MCLXXXV.

E Farlati Illyrico sacro III. 213.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. anno ab incarnacione domini MCLXXXV. indictione III. domino Lucio papa III. apostolice sedi presidente, ac domino Bela III. Hungarie regnum gubernante, et domino Henrico filio eius, eo uiuo coronato, hoc actum est.

Quoniam pastoralis officii cura, quibus spiritualium rerum summa committitur, admonet uniuersos ac paterna sollicitudo inuitat, ut gregibus sibi creditis ita quisque prouideat, quod luporum morsibus non exponatur incaute, et ne incongrua abutentes licencia, terrenis commodis inhiare uideantur, et ne animarum lucra omittant, diligenter inquirere. ideo ego Petrus, diuina fauente gracia Spalatine sedis archiepiscopus, uidens multa enormia per nostrum archiepiscopatum emersisse, multiplicesque subditorum errores considerans grauiter pullulare, ut domino prouidente excessibus tantis congruum finem imponere, atque salutaribus monitis audientes possem informare, de mandato et uoluntate summi pontificis in nostra Spalatensi ciuitate, cum omnibus suffraganeis et abbatibus, nec non clericorum copia, generalem synodum, inuocata s. spiritus gracia kalendis Maii celebrauimus, ubi uero

(1) anathematizauimus omnes sectas hereticorum et eorum complices, contra sacrosanctam Romanam ecclesiam et eius doctrinam oblatrantes, et omnes indebite ecclesiastici officii uerberatores, et decimarum redituumque ecclesiasticorum raptores, inuasores ac illicite retentores, nisi digna satisfecerint satisfactione.

(2) Ubi et statuimus ut omnes usualitates antique, quas ecclesia s. Domnii habuerat, et iurisdictiones tam in episcopos quam in alium clerum secundum dominum habeant auctoritatem, et quod neminem ad ordinem archiepiscopus promoueat, nisi per archidiaconum aut per canonicos s. Domnii presentatum, sicut in alio priuilegio, quod canonicis super antiquis usualitatibus seruandis fecimus planum, est expressum.

(3) Instituimus eciam ut officium b. Marie uirginis in omnibus ecclesiis per nostram diocesim omni die cantetur.

(4) Preterea quum parochie suffraganeorum nostrorum ad se inuicem essent confuse et certis limitibus nequaquam distincte, et nullis priuilegiis communite, ita ut ipsi episcopi in errorem et controuersiam sepe inducerentur, placuit nobis omnibus memoratas parochias taliter distinguere ac priuilegiis communire, ut de cetero unusquisque episcoporum attributis sibi parochiis ac priuilegiis gaudeat, et nulli unquam fratrum suorum questionem exinde mouere presumat.

(5) Definiuimus itaque pari uoto et communi uoluntate eorundem suffraganeorum, ut archiepiscopus Spalatensis has habeat parochias: Clissam, Scale, Sminam, Cettinam, totam Cleunam, totum Massaron et totum Pol usque ad Vrullam, et ubicunque sunt terre S. Domnii, debent dare decimas s. Domnio.

(6) Insuper habeat has ecclesias: s. Martham, s. Petrum de Clobuco, s. Mariam, s. Stephanum, s. Moysem, s. Bartholomeum.

(7) Tiniensis episcopus habeat sedem suam in Tenin, et habeat has parochias: Tenin, Campum, Verchzeccam, Pset.

(8) Traguriensis episcopus habeat has parochias: Tragurium, Drit, Sibenicum et totum comitatum Zagorie.

(9) Scardonensis episcopus habeat Scardonam, Briber, Belgradum, cum tota Sidraga.

(10) Nonensis episcopus habeat Nonam, totam Lucam et medietatem Lice.

(11) Signiensis episcopus habeat sedem suam in Signia, et habeat has parochias: Signiam, Ketschiam totam et medietatem Lice.

(12) Corbauiensis episcopus habeat sedem suam in Corbauia, et habeat has parochias: Corbauiam, Vinodol, Bussan, Nouigrad, Presnic, Plas et Modrussam.

(13) Pharensis episcopus habeat sedem suam in Phar, et habeat has parochias: Phar, Braciam et Lissam, Corcōram, Lastam et Mulcer, et totam Crainam.

(14) Ecclesie uero s. Stephani regis et capelle nostre in honore s. Ioannis euangeliste, quam nos manu nostra consecrauimus hanc ordinacionem fecimus, quod ei post archiepiscopum nullus presit, nisi sacerdos ei ordinatus, cui hos redditus communi uoluntate fratrum ibi assistencium concessimus: uineam unam in Biaci, quam a quodam Tragurino, filio Firmini Calogeorgii, iusticia dictante, iudicio Pirsemiri, tunc Tragurii comitis recepimus. cuius cause prestaldus est Cerne filius Cypriani, testes sunt: Petrus iupanus filius Gregorelli et Martinus de Benedicite, et alii quamplures. et itidem in Biaci terram ad duos boues, bouem et uaccam. statuimus siquidem ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostre constitucionis et confirmacionis infringere, uel ei aliquatenus contraire. quisquis uero ausu temerario id facere attentauerit, indignacionem omnipotentis dei et nostram et fratrum nostrorum male-

dictionem se nouerit incursurum, et sancto Domnio componat centum marcas argenti.

Ut autem hec ordinacio, quam his personis presentibus et approbantibus statuimus: Flascone Tiniensi episcopo, Michaele Traguriensi episcopo, Michaele Scardonensi episcopo, Mattheo Nonensi episcopo, Mireo Signiensi episcopo, Mattheo Corbauensi electo, Micha Pharensi electo, Isaac s. Stephani abbate, Vincencio Traguriensi abbate, Duimo sancti Domni primicerio, Ioanne sacrista, cum toto eiusdem ecclesie capitulo, Uilcotta archipresbitero de Clissa, Uilcotta archipresbitero de Kileo, Gaudio archidiacono Traguriensi cum suis clericis, Prasez archipresbitero Scardonensis cum eiusdem ecclesie clericis, Desimiro Licensi archipresbitero cum clericis eiusdem ecclesie, Radona Busanensi archipresbitero cum clericis eiusdem ecclesie, Decomiro Nonensi archipresbitero et Petro primicerio cum reliquis eiusdem ecclesie clericis, firma stabilisque permaneat, per cancellarium nostrum Albertum s. Bartholomei prepositum fecimus conscribi et insigniri propriis sigillis. Datum Spalati in ecclesia s. Andree apostoli, per manum supra dicti prepositi Alberti cancellarii nostri.

URBANI III. P. M.

CONFIRMATIO SYNODI SPALATENSIS.

M. C. LXXXVI.

E Farlati Illyrico sacro III. 221.

Urbanus episcopus, seruus seruorum dei, uenerabili fratri, Petro Spalatensi archiepiscopo salutem et apostolicam benedictionem. Que a fratribus et coëpiscopis nostris racionaliter pertractantur, firma debent illibataque permanere, et ne processu temporis per alicuius maliciam immutentur, apostolico presidio communiri. eapropter tuis iustis postulacionibus gratum impercientes assensum, diuisiones parochiarum, quas de suffraganeorum tuorum assensu fecisse dignosceris, et redigi fecisti in scriptum, pro eo, quod ex confusione ipsarum questiones difficiles sepius consurgebant, sicut racionabili de illorum suffraganeorum consciencia facte sunt, et in scripto authentico continentur, et constituciones alias, que pro corrigendis quorumdam excessibus et aliis honestis caussis, congregato concilio deliberacione prouida statuistis, cum addicionibus et determinacionibus, que ipsis capitulis inferius ponuntur, auctoritate apostolica confirmamus.

(1) Ut officium b. Marie ab omnibus communiter celebretur. preterea canonici, qui reditus canonicos habent, in nigris cappis uel albis superpelliceis ad diuina officia celebranda conueniant, et dormiant in domitorio uno.

(2) Si aliquis ex canonicis ecclesie tue de mandato archiepiscopi, qui pro tempore fuerit, uel capituli, processerit aliquorsum, donec extra permanserit, exigente necessitate, fructus prebende sue, seu alios reditos suos integre consequatur.

(3) Prohibuisti eciam ne conuenticula fierent, que fraternitates appellantur, et ne comes uel alius quicunque laicus cum tuam ecclesiam rectore uacare contigerit, de domo, uel aliis rebus ecclesiasticis, se intromittere ullo modo presumat, uel personam aliquam eis preficere..... Clericus de communi, uel maioris et sanioris partis suffraganeorum consilio duxerit ordinandum.

(4) Statuisti eciam, ut nullus in sacerdocio duxat uxorem, nec ad sacerdocii ordinem assumatur, nisi se uicturum promiserit continenter, quod uolumus eciam in diaconatus ordine obseruari.

(5) Ad hec insuper statuisti, ut nullus episcopus presbiterum, seu clericum alterius diœcesis accipere sine proprii episcopi litteris, uel ordinare presumat; et ut nullus clericus ecclesiam obtinere per laicos uel accipere ab aliquo inuestituram ecclesie non uacantis attemptet: quod si fecerit, officii beneficiique pena mulctetur.

(6) In caussa ecclesiastica, nisi parua sit, nullius sine iuramento testimonium admittatur, quod in qualibet eciam ecclesiastica causa dicimus obseruandum.

(7) Ita uero de monialibus decreuisti, quod post annum sue probacionis uelamen accipiant, aut egrediantur de claustro; quod sic tantum uolumus obseruari, ut expulse in aliquo loco uotum suum (obseruent): ne redarguende transgressionis uideantur.

(8) Abbatissa uero intra mensem electionis sue benedictionem accipiat, uel remota eadem alia subrogetur et neque lineo uestimento, neque carne utantur, nisi forte fuerint infirmitate detente.

(9) Et quia multi passim legitimis uxoribus dimissis super inducunt alias, statuisti, ut si quis dimissa propria uxore acceperit aliam, nisi si correxerit, nec in uita, nec in morte sepultura, uel alia ei sacramenta impendantur.

(10) Quod eciam de imponendis decimis decreuisti, decernimus obseruandum.

(11) Illud uero, quod de usurariis, et de contractu matrimonii ante quintam consanguinitatis, uel affinitatis lineam statuisti; ne uideantur in aliis gradibus indulgeri, non decernimus confirmandum, uel usuram in aliquo casu permitti.

(12) Preterea uinculo anathematis innodasti, qui aufferret ecclesie priuilegia uel ex eis utile aliquod ex sua iniquitate abradunt. quod quidem obseruari iubemus.

Reliquum uero capituli, ut uidelicet, quicunque rem mobilem, uel immobilem ecclesie auferunt, et presertim ecclesie s. Bartholomei, eadem pena plectantur: quia nimium seruitatis esse uidetur, non decernimus confirmandum; nolentes tamen auctoritati tue per hoc aliquatenus derogari.

Nulli igitur hominum liceat hanc paginam infringere nostre confirmacionis, uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumerit, indignacionem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Uerone 3 Idus Nouembris.

BELÆ III. REGIS

LIBERTAS

POPULORUM ECCLESIÆ QUINQUEECCLESIENSIS.

MCXCI.

E transumto monasterii Simighiensis anno 1404.

Ut quia sacrosancta dei ecclesia, mater religionis et fidei christiane, quoniam omnes iuste credentes penali liberat a gehenna, et a malis imminentibus pariter in hac uita calamitosi uexaminis et perangariis exuit et defendit, idcirco sacrosancte libertates et immunitates a nostris progenitoribus elargitas, prout ex multis priuilegiis eiusdem ecclesie inspeximus et collegimus, nobis una cum domino et sanctissimo patre nostro cardinale Prenestino exhibitis, presenti nostre maiestatis decreto duximus inserendas, uigore perpetuo duraturas.

(1) Prima libertas populorum ecclesie sancti Petri principis apostolorum hec est: ut omnis populus Quinque-ecclesiensis ecclesie, siue sit nobilis iobagio ecclesie sue, hospes uel ciuis, seu condicionalis cuiuscunque seruitutis, collectam uel taliam in nostro regno pro tempore emergentem, nec nobis nec nostris baronibus soluere teneatur, sed soli episcopo et ecclesie cedat talis exactio. et episcopus Quinqueecclesiensis excommunicare possit, suos populos contra hoc uexantem indultum. et nihilominus uiginti marcarum pene subiacet, ipsi ecclesie penitus sol-

uende, quarum medietas ecclesie, et alia pars comiti prouinciali cedat.

(2) Item alia eiusdem ecclesie libertas hec est, ut populi eiusdem ecclesie, sicut iobagiones, hospites et ciues eiusdem, ciues sue ciuitatis Quinqueecclesiensis uel aliorum bonorum eiusdem ecclesie, seu condicionales, per totum regnum nostrum cum eorum mercibus, uel aliter ubicunque transeuntes, nullum tributum soluere teneantur. et quicunque eos taliter grauare presumserit, penam uiginti marcarum soluere compellatur, cuius medietas comiti Palatino, alia uero medietas ecclesie Quinqueecclesiensi cedat, eiusdem Palatini potestate plenius exigenda.

(3) Item omnes possessiones et bona eiusdem ecclesie, tam habita quam habenda, in quacunque parte regni nostri situata, uolumus esse libera, tam ab auditorio nostre maiestatis, quam a iudicio iudicis curie nostre, similiter eciam ab omni iurisdictione et potestate comitis nostri, qui pro tempore extiterit Palatini, prout eciam a nostris comitibus prouincialibus uel parochianis, et coram nullo ipsorum populi eiusdem ecclesie debeant comparere, et si comparuerint, nullam penam seu condempnacionem ideo pertimescant, sed solum coram episcopo uel eius officialibus debeant dicti populi, tam in criminalibus quam in peccuniariis conueniri. uerumtamen si iusticiam conquerentibus denegaret idem episcopus, ad regiam possit et debeat presenciam, cum reuerencia tamen debita euocari, conquerentibus responsurus. si uero prepositus et capitulum eiusdem ecclesie conquerentibus iusticiam denegarent, solius episcopi sui et non alterius stabunt iudicio.

(4) Item quia ecclesia Quinqueecclesiensis est fundata in comitatu de Baranya, et exemta ab omni iudicio cuiuslibet iudicis regni nostri, uolumus tamen, ut et semper factum comperimus, quod debeat soluere ipsa ecclesia comiti de Baranya annuatim singulas tres marcas frisatico-

rum, in octauis sancti Martini, eximentes omnia bona, possessiones et populos ipsius ecclesie a potestate omnium uillicorum, in omnibus omnino comitatibus et prouinciis tocius regni nostri.

(5) Item super libertate populorum ecclesie Quinque-ecclesiensis, prout ab ipsa sui fundacione eandem obtinuisse comperimus hoc confirmando sancimus, quod populos ecclesie ipsius, uidelicet iobagiones liberos, siue eciam condicionales hospitesue eiusdem ecclesie, ut sunt ciues sui Quinqueecclesienses, item de aliis populis, quos in diuersis partibus regni nostri habere dinoscitur, cuiuscunque fuerint condicionis et status, si cum ipsis fuerit litigatum, de ipsius ecclesie populis contra eosdem iudicialiter debeant testes dari uel produci.

(6) Item in omnibus transitibus fluuiorum uel poncium, ubicunque a nostra gracia concessum esse cognoscitur, in diecesi sua cottam ipse episcopus iustam tributi decimam consequatur, quod ipsum esse commune ius nouimus omnibus cathedralibus ecclesiis regni nostri.

(7) Similiter eciam in omnibus foris nostris, et eciam aliorum locorum, in quibus tributum nouum uel antiquum a regia quibuscunque gracia est indultum, quam quicunque soluere denegauerit, illius possessionis reuera periculum, si probatur, incurrat.

(8) Item in omnibus censibus marturinis nostre maiestati uel banatui debitis, ipsa ecclesia in sua diecesi integras percipiat decimas, sicut ab antiquo semper extitit obseruatum. nec collectores dictarum marturinarum sine homine domini episcopi alicubi in prouincia recipiantur, nec dicare presumant, alias omnino episcopus eosdem possit excommunicare. passim fuerint .... unumquemque, et insuper damnum sue illatum ecclesie ab eisdem iudicialiter consequantur.

(9) Item precipimus omnes officiales ecclesie, qui de-

cimatores uocantur, si uoluerint, cum homine Palatini uel comitis parochiam dicare decimas possint, item si noluerint, quia forsitan ecclesie expedire non cognoscant, nullatenus compellantur.

(10) Item cum decime tam iure mosaico, quam sacrosancta euangelica sanctione solui distinctius iubeantur, sine quarum solucione iustissima saluari nemo potest, precipimus hoc edicto, in perpetuum obtenturo, ut quicunque in diecesi Quinqueecclesiensi fuerint, cuiuscunque fastigii baro, nobilis, seruiens regius, castri uel castrensis, hospitesue nostri, uel cuiuscunque alterius de regno nostro liber homo uel seruus, sarachenus incola regni nostri, uel schlauus rusticus, ebes, christianus, plenissime secundum sacrorum canonum sanctiones, quia in regno nostro christiano manent et uiuunt, de omnibus bonis eorum quecunque dominus ipsis concessit iustas decimas soluant, uidelicet de omni frugum genere, scilicet tritico, siligine, ordeo, auena, milio, sicut orrea continent, eorundem leguminum prorsus genere nullo excepto. item de uineis, seu de uino, item de molendinis, item de armentis equorum seu equacia, item de agnis et edis, item de porcis, item de apibus, item de anseribus et gallinis, cum subcultellaribus denariis plenius persoluendis, sicut in sacris canonibus continetur expresse, exceptis aratoribus nostris seruis, in nostro si fuerint duntaxat obsequio permanentes. ceterum si a nostra gracia personis quibuslibet condonentur, iustas in omnibus decimas et ipsi persoluant. ceteri autem omnes serui regii uel reginales condicionis cuiuscunque integras in omnibus suis bonis persoluant, ut est dictum. serui autem nobilium prorsus omnes, preter illos solum, qui in aratris suorum dominorum obsequuntur, cum de illis eorum domini decimas integras persoluant, ad integras decimas persoluendas prout regii uel reginales districtius compellantur, nec enim seruis nostris

leuioris condicionis esse possunt. adiicimus eciam quod quicunque usque ad festum purificacionis beate uirginis totas, uel partem decimarum, plene non soluit, modo et ordine quo est dictum, illa possessio nostre maiestati confiscata arestat, sine spe misericordie ab illo, qui eam totaliter perdiderit, rehabendi, ecclesie ipsius damno de eisdem a gracia regia resarcito.

(11) Item nec comes Palatinus uicesimam, nec comes parochianus centesimam in decimis ecclesiarum omnium habere debeat. nec quisquam alius hominum pretextu alicuius adiutorii in decimis exigendis, preexcellencie uel comitatus, penitus nullius fastigii nomine, aliquid de ipsis decimis ecclesie diminuere, uel sibi modo aliquo, uel occasione nacta usurpare presumat, cum sacrosancto testimonio euangelice ueritatis, sanctissimo ore dominico, reddi districtius depromatur, que Cesaris Cesari, et que sunt dei deo, non in illis tantum decimis, quas a malis christianis et contenciosis hominibus ipsorum auctoritas per ecclesiam requisita exegerit et potestas. quas quicunque soluere neglexerit usque festum sancti Martini in toto uel in parte, cum iudicio trium marcarum, in qua pena ecclesia partem terciam debeat a talibus, deo et gracias omnibus dependat.

(12) Omnia autem damna que officiales seu decimatores ecclesie uel ideo, quia legitimo tempore decime dicari aliquando a malis hominibus inhibentur, uel alia super qualitate et quantitate decimarum predictarum fieri contigerit, ante festum sancti Martini predictum stabitur iuramento ipsius, qui decimas soluere tenetur, secundum tamen qualitatem pecunie debite, et persone qualitatem, prout requiritur usu regni, et non ultra. festo uero predicto preterito, statim super omni decimarum qualitate et quantitate, quantecunque fuerint quantitatis et ualoris, credi debet tantummodo decimatoris iuramento, odio malorum hominum, qui sancte ecclesie iusticiam, et anima-

rum suarum periculum negligere non uerentur, penali nihilominus, ut est dictum, iudicio non obmisso.

(13) Item concessimus nostro priuilegio in perpetuum ualituro, cum ciuitas Quinqueecclesiensis, caput omnium possessionum ipsius ecclesie, que est sedes cathedralis, nec non in aliis omnibus foris et mercatis, in terris ipsius ecclesie ubilibet constitutis, ob reuerenciam et honorem beati Petri apostolorum principis, nummulariorum seu monetariorum nostrorum concessiones et molestias non formident. quia in predictis foris eosdem nummularios nolumus residere, sed in aliis prouincialibus foris, ubi uoluerint ecclesie populi, regni monetam sibi rerum suarum commercio redimant et conquirant.

(14) Item quia perpetuitates in donacionibus, quas regnicolis et magnatibus nostris dedisse dignoscimus, quia quidam eorum auiditate nimia uicina sibi ecclesiarum bona uelle occupare noscuntur, et in solenti potencie interdum subito ab ecclesia non potest resisti, uolumus quod omnia bona sancte Quinqueecclesiensis ecclesie non possint occupari seu prescribi, nec teneantur seu possideantur per occupaciones rerum ecclesie sine lite pacifice et quiete spacio centum annorum.

(15) Item indulsimus eidem ecclesie, quod sicut exemta fore dignoscitur a potestate Palatini et comitis cuiuslibet regni nostri, sic eciam uolumus, quod nec preco Palatini nec comitis parochiani sine licencia episcopi uel officialis sui, per fora ipsius ecclesie ualeat publice aliquid proclamare, et per quemlibet officialem ecclesie impune possit prohiberi.

(16) Item quod congregacio generalis regni, uel eciam particularis cuiuscunque prouincie, a comite Palatino uel comite parochiali seu prouinciali, uel quocunque barone, eciam de latere regio transmisso indicta, nunquam possit fieri in ciuitate Quinqueecclesiensi, uel in aliqua uilla

ipsius ecclesie Quinqueecclesiensis, sine licencia et expressa permissione ipsius episcopi.

(17) Nec eciam ipse comes Palatinus uel comes parochianus aut quicunque iudex, de nostra eciam latere missus, uel uicecomes seu uicarius eorundem, possit residere ad iudicandum in aliqua uilla ecclesie, siue sit uilla forum habens uel foro carens. qualescunque hoc contrauenientes idem episcopus possit artare ecclesiasticam per censuram. damnum nihilominus si quod taliter ecclesia pertulerit, in regio examine iudicare censeatur. et nihilominus comes Palatinus componat regio fisco uiginti marcas auri. comes autem prouincialis sui honoris priuacione multetur, si per se uel suos nostri huius mandati suas per petulancias extiterint transgressores.

(18) Item concessimus eidem ecclesie, quod preter nostram maiestatem et carissime consortis nostre, nullus omnino baronum nostrorum, quacunque prefulgeat dignitate, super bonis et possessionibus ecclesie descensum facere audeat seu presumat, pena excommunicacionis a prelato ecclesie, et a nostra maiestate decem marcarum auri multa plectendo, huius nostre serenitatis mandati transgressores. que pena a talibus exigi ualeat in nostri culminis auditorio, et coram uenerabili patre Strigoniensis ecclesie archiepiscopo, prout maluerit prelatus Quinqueecclesiensis ecclesie, iurisdictione ipsius sancte Strigoniensis sedis in omnibus taliter excedentes, de quacunque regni nostri parte fuerint, presentis pagine prorogata indultu.

EMERICI REGIS
LIBERTAS
HOSPITUM DE POTOK, APUD ECCLESIAM S. NICOLAI.
MCCI.

E mss. Wagnerianis.

In nomine S. S. Trinitatis et indiuidue unitatis. Emericus, dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie Rameque rex in perpetuum. Quoniam ex donorum pluralitate libertatis sequitur detrimentum et onerosum, imo periculosum est diuersis subiici iudiciis, incumbit regum prouidencie legalibus institutis subditorum commoditati consulendo, nociuos indebite presumptionis impetus, ab eorum grauaminibus sagaciter auertere: debiti sane nostri considerantes exigenciam, hospites de Potok apud ecclesiam S. Nicolai commorantes, definite libertatis priuilegio gaudere concessimus, statuentes:

(1) ut secundum sue gentis consuetudinem, ab electo inter se preposito iudicentur, quo propter negociorum difficultatem non sufficiente, palatini comitis siue regis subeant iudicium, nec in secularibus alios habeant . . . . .

(2) . . . . quin et ponderum et tributorum pensionem ipsis omnino remittentes, decernimus, ut qui ex iisdem herede carerent, liberam disponendi . . . . . habeant facultatem, et ad filias neptes, nepotes, seu alios, quoscunque duxerint adoptandos, bonorum suorum uniuersitas deuoluatur.

(3) Sancimus preterea, quod ipsis sub protectione regia constitutis, a nullo principum uel nobilium regni grauamen aliquod infligatur, et quidquid precedencium regum authoritas ad ipsorum utilitatem racionabiliter instituit, firmiter obseruetur.

Ut igitur huius beneficii nostri ueritas indissolubili stabilitate duret in posterum, presentem paginam sigilli nostri titulo roborauimus. Datum per manus Desiderii, aulc regie cancellarii et prepositi Zibiniensis. Anno dominice incarnacionis M. C. C. primo. Uenerabili Iob Strigoniensi A. episcopo existente, Saul Colocensi archiepiscopo, Kalano Quinqueecclesiensi episcopo, Ugrino Iaurinensi episcopo, Catapano Agriensi episcopo. Mike palatino et Bihoriensi comite, Iula uaiuoda, Achilleo curiali et Keueiensi comite Bodrogiensi, Petro comite Supruniensi, Boh comite Noui castri, Marano comite de Zonuk, Pazman comite de Kulus.

ANDREÆ II. REGIS

LIBERTAS ET METÆ

CIUITATIS NONENSIS.

MCCV.

E transumto Belæ IV. regis anno 1244.

In nomine sancte trinitatis et indiuidue unitatis.

Andreas dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame Seruieque rex in perpetuum.

Regalis excellencie multiplex benignitas suorum uotis fidelium subditorum tanto generosius consueuit occurrere, quanto deuocionis ipsorum et fidei feruenciam ad se in-

permutabilem conspicit permanere. ea propter presentes nouerint et futuri, quod accedentes ad nostram presenciam dilecti fideles nostri ciues Nonenses, humiliter et deuote nobis supplicarunt, quod ciuitatem ipsorum predictam, que semper genitoribus nostris recordacionum felicium, diuis regibus et regno fidelis incommutabiliter extitit, nostris specialibus insigniremus graciis, et conseruaremus in suis libertatibus et consuetudinibus antiquis, et comitatum eidem ciuitati pertinentem metis designaremus debitis, ne in processu quocunque temporis possit per aliquos uicinos ipsius occupari contra uoluntatem et iusticiam ciuitatis et ciuium eorundem. nos itaque ipsorum ciuium fidelitate conspecta, quam eos per plures barones regni nostri, existentes in partibus maritimis, ad nos et regnum nostrum semper gessisse cognouimus, peticionem ipsorum admisimus generose, uolentes et id auctoritate regia decernentes:

(1) quod a modo in perpetuum ipsi ciues ad suam uoluntatem possint omni tempore eligere comitem sibi undecunque uoluerint, qui ciues secundum consuetudines ciuitatis ipsius, eandem ac suum comitatum et tenutam et non aliter debeat iudicare, et quod nullus dux, banus uel uicebanus noster ipsos ciues None ad suum iudicium possit uocare uel cogere quacunque de causa, et nisi coram predicto ipsorum comite in ciuitate None et non alibi existente.

(2) Uolumus eciam quod nullus dux, banus uel uicebanus noster, aut baro quicunque regni nostri, qui noster esset uicarius in partibus maritimis pro tempore constitutus, possit a ciuitate et ciuibus None aliquod seruicium uel exactiones quascunque petere, nisi tantum semel in anno, si eum uenire contingat in ciuitatem None, pro regiis uel regni negociis, expensam pro triginta personis unius prandii siue cene. nec ipse dux, banus uel uicebanus noster aut uicarius quicumque cum maiore hominum numero

quam predictis personis triginta possit ipsam ciuitatem introire contra uoluntatem ciuium eorundem.

(3) Uolumus eciam quod si aliquis de regno nostro dictos ciues in aliquo offenderit, et illum offensorem in sua ciuitate inuenerint, ipsorum comitis iudicio sicuti ciuis None subiaceat.

(4) Uolumus eciam quod nullus dux, banus uel uicebanus noster possit in ciuitate None regio uel suo nomine municionem quamcumque construere, uel constructam in suam uel regni custodiam postulare. sed ipsi Nonenses ciuitatem et eius municiones ad suam tenebunt et custodient uoluntatem.

(5) Uolumus eciam, et hoc de gracia regia facimus speciali, quod ciues Nonenses de dandis nobis seu regno obsidibus perpetuo sunt exempti, suisque iuribus et consuetudinibus antiquis uti libere ualeant, et eas sicuti eis uisum fuerit in suum melius commutare.

(6) Ipsi uero ciues None erunt nobis et nostris successoribus fideles deuoti, nec ullo alio nobis et regno tenebuntur seruicio, nisi quod profitentur se esse deuotos regni nostri, et laudes regio nostro nomini, sicuti est consuetudo fidelium nostrorum de maritimis, pro honorificencia regia consuetis diebus solempnibus per suum clerum et populum decantabunt, quodque nulli infideli uel rebelli regio, qui in publica nota infidelitatis per nos denunciatus fuerit, dare quodcunque auxilium uel adiutorium seu defensionem presummant.

(7) Nos autem si quocunque tempore uel noster quiuis successor ad partes maritimas ueniremus, et uellemus intrare ipsam ciuitatem Nonensem, iidem ciues nos pro posse suo honore regio in portis ciuitatis excipient, et decencius quod fuerit hospicium nobis assignabunt. ceteri uero qui nostra fuerint comitiua, occupare uel recipere

intra muros ciuitatis nullum possint hospicium, nisi suis propriis expensis et cum ciuium uoluntate.

Ut igitur predicti ciuitas et ciues None immunes et securi perpetuo permaneant, nec ullo processu temporis ualeant predicta retractari, presens priuilegium, nostri sigilli caractere communitum ipsis duximus concedendum. datum per manus Gotfredi Orodiensis prepositi, aule regie cancellarii, anno ab incarnacione domini M. CC. Vo kalendis Augusti. uenerabili Ioanne Colociensi archiepiscopo existente, Calano Quinqueecclesiensi episcopo et Strigoniensi electo, Boleslao Wachyensi episcopo, Calanda Wesprimiensi episcopo, Gothardo Zagrabiensi episcopo, Desiderio Chanadiensi episcopo, Simone Waradiensi episcopo, Wylhalmo Ultrasyluano episcopo, Petro Iauriens. electo, Nicolao palatino ac comite Nitriensi, Mercurio bano ac Simigiensi comite, Smaragdo curiali comite ac Szolnokiensi, Gyrkone Bykoriensi comite, Chepano Bachiensi et Renedicto Budrugiensi comite.

ANDREÆ II. REGIS

LIBERTAS

HOSPITUM DE VILLIS ULTRASILUANIS KARAKO, CHRAPUNDORF ET RAMS.

MCCVI.

Ex apographo capituli Albensis in Transilvania.

Andreas dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie Lodomerieque rex in perpetuum.

Cum regie serenitatis intersit uniuersorum regni sui hospitum, qua benigna illos nature manus beauit, illiba-

tam inuiolatamque debere conseruare, speciali tamen quadam familiaritate horum utilitati ac quieti tenemur insudare, quos et nobilitas generis exornat et prouida priorum regum deliberacio accepciores habuisse dignoscitur, et dign ..... proinde ..... hospites regni de tribus uillis Ultrasiluanis: Karako uidelicet, Chrapundorf et Rams, quos ex progenitorum nostrorum tradicione, sollicitam adhibentes circumspectionem magis pret ..... ut alios regni nostri hospites cognouimus, benignius intuentes, et eorum securitati ac statui, regio mansuetudinis beneficio postulante, tali eos ob reprimendam posterorum presumpcionem libertatis gracia, quam et antecessorum nostrorum priuilegiis obtinuere, dotauimus:

(1) quod coram nullo prorsus iudice in agendis quibuslibet suis causis adstare aliquatenus teneantur, nec uai ..... suo adstare iudicio compellat, pro tempore constitutus ultra siluas.

(2) Nec aliquis uaiuodarum descendere super eos possit, nisi a beneuolencia eorum inuitatus fuerit ab eisdem.

(3) A collectarum et quibus aliis Saxones obligantur sint immunes pensionibus. nec ob custodiam confiniorum excubent exploracione. neque eciam nisi quando rex in propria persona ..... precesserit, in exercitum ire teneantur.

(4) Concedimus eciam eisdem quod secundum ritum sue gentis uiuentes, neque de uineis, quas ipsi plantauerint, alicui persone tributa persoluere, neque de porcis uel ceteris animalibus suis, que in libera eorum silua pascuntur, aliquid alicui nomine decimarum uel tributorum debeant impendere, sed omni curiarum .....
.....
..... protectionis in perpetuum gaudeant munimine.

Quod ut ratum ac stabile perduret in posterum, sigillo nostro confirmamus. datum per manus Gocholzi Orodiensis prepositi, aule regie cancellarii. anno ab incarnacione domini millesimo ducentesimo sexto.

ANDREÆ II. REGIS
LIBERTAS
DATA
HOSPITIBUS IN VILLA VARASD COMMORANTIBUS.
MCCIX.

E diplomate Regis in tabulario L. R. C. Varasdiensis.

In nomine sancte trinitatis et indiuidue unitatis. Andreas dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie Lodomerieque rex in perpetuum.

Ordo iuris expostulat, et racio exigit equitatis, ut bone fidei contractus perpetue stabilitatis gaudeant firmitate, nec iniquorum fraudibus dissoluantur, que inicio ex equitate processerunt. hinc est quod ad peticionem fidelis nostri Pech palatini et comitis Musinensis, et maxime fidele seruicium hospitum nostrorum in uilla Uarasd commorancium, quod nobis deuote fideliterque, dum in Kene detineremur in carcere, exhibuerunt, pro affectu regio considerantes, eis tam in presenti existentibus quam eciam superuenientibus, perpetuo iure contulimus statum huiusmodi libertatis, ac terram circumdatam undique metis precipimus eis assignare. libertas prenominatorum hospitum nostrorum hec est:

(1) quod comes uel suus comes curialis non habeant potestatem eos iudicandi, sed inter eos quemcumque uo-

lunt iudicem constituant, quem ricthardum solent appellare.

(2) nullus autem burgensis tributum et tricesimam soluere teneatur, nisi qui uadit in Teutoniam cum suis mercimoniis, de quolibet curru ponderato soluet tres denarios, de singulis uero equis uenalibus duos denarios, a duobus bobus unum denarium, de tribus porcis unum denarium, in portu Draue de quolibet curru unum denarium.

(3) si quis autem herede carens decesserit, libere disponat possessionem suam, siue ecclesie siue cuilibet suorum cognatorum.

(4) si quis uero uoluerit de uilla recedere, uenditis omnibus suis edificiis libere possit abire.

(5) quicunque uero burgensis per aliquem extraneum in rebus suis damnum pateretur, et idem malefactor ab eodem burgensi in uilla sua recognosceretur, ricthardus eiusdem loci inter eos faciat iusticiam.

Datum per manus magistri Thome, aule nostre cancellarii, anno ab incarnacione domini millesimo ducentesimo nono.

FORMA PACIS

INTER

STRIGONIENSEM & COLOCENSEM ARCHIEPISCOPOS.

MCCXII.

E regesto Innocentii III. P. M.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. amen.

Hec est forma pacis inter Strigoniensem et Colocensem archiepiscopos.

(1) Prima coronacio regum Ungarie specialiter spectat ad solam Strigoniensem ecclesiam. uerumtamen si Strigoniensis non posset uel maliciose nollet regem coronare, uel Strigoniensis ecclesia uacaret, coronet regem Colocensis, nullum ex tali coronacione ius sibi uendicando in prima coronacione. secunda coronacio ei deinceps equaliter pertineat ad utrumque.

(2) De prouentu monete decima pertineat ad ecclesiam Strigoniensem, ubicunque in regno Ungarie cudatur. quod si cudi desierit generalis moneta tocius Ungarie, quidquid loco generalis monete successerit, decimam habeat Strigoniensis ecclesia.

(3) Strigoniensis archiepiscopus renunciat omni iurisdictioni et iuri spirituali, quod habebat uel habere uidebatur in prouincia Colocensi, preter decimam monete, si ibi contingeret fabricari.

(4) Iudicium officialium domus regie quilibet episcopus habeat in sua parochia. exhibicio sacramentorum regibus et eorum liberis, tam ad ipsos archiepiscopos quam ad alios episcopos in suis parochiis pertineat pro uoluntate regis.

(5) In omnibus aliis utrique ecclesie iura sua conseruentur illesa et consuetudines antique. si qua autem priuilegia uel rescripta, quandocunque prolata fuerint contra hanc formam, uires non habeant, salua in omnibus auctoritate apostolica. quodsi papa non approbauerit, res sit in eo statu in quo nunc est.

Iurauerunt ambo archiepiscopi et eorum suffraganei qui presentes erant, nec non et prepositus Quinqueecclesiensis, qui uice domini sui episcopi intererat, nec non et procuratores capitulorum utriusque ecclesie, quod secundum formam prescriptam bona fide pacem prescriptam obseruabunt et sine fraude de confirmacione laborabunt.

Cassatio papæ.

Innocencius episcopus seruus seruorum dei, illustri regi Ungarie .... procuratores Strigoniensis capituli proposuere constanter, quod illa composicio inita fuerat sine assensu capituli, et in enorme dispendium Strigoniensis ecclesie redundabat. unde contradicentes nobis humiliter supplicarunt, ut auctoritate apostolica cassaremus. nos igitur attendentes, quod olim nobis multa precum instancia supplicaras, ut super iure coronandi reges Ungarie Strigoniensi ecclesie priuilegium concedere dignaremur, nosque tuis precibus inclinati, et super hoc priuilegium concesserimus fratrum nostrorum subscriptionibus roboratum, considerantes eciam, quod si potestas coronandi reges Ungarie penes diuersas ecclesias resideret, toti regno graue periculum et heredibus tuis grande posset dispendium generari, quum sicut plenius ipse nosti, frequenter inter regum Ungarie coheredes super obtinenda regni corona scandalum sit exortum, quod utique posset facilius suboriri, si eos diuersos coronatores contingeret inuenire, propter contradictiones et raciones prescriptas composicionem huiusmodi non potuimus, sicut nec debuimus confirmare .. datum Laterani II. Idus Februarii, pontificatus nostri anno quarto decimo.

ANDREÆ II. REGIS

PRIVILEGIA ECCLESIÆ ZAGRABIENSIS

MCCXVII.

E Farlati Illyrico sacro V. 358.

In nomine sancte trinitatis et indiuidue unitatis. Amen. Andreas dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Seruie, Gallicie Lodomerieque rex in perpetuum. Uenerandi regie stirpis successores tam diligentem, tam circumspectam in suorum antecessorum donacionibus et institutis, et in his maxime que ad dei cultum et honorem deputata sunt, debent habere prouidenciam, ut si qua parte uel annosa temporum canicie, uel importuno malignancium impetu uacillari uiderint, non tantum in melius immutare, uerum eciam immutata sue auctoritatis munimine studeant in perpetuum roborare. huius itaque regie circumspectionis erudicione moniti, presencium atque posterorum noticie clarescere uolumus, quod quum essemus in exsequendo itinere assumte crucis, iniuriam crucifixi ulcisci uolentes, ad sanctam terram proficiscendo, et uenissemus ad Zagrabiensem episcopatum, ac monasterium Zagrabiense, a s. Ladislao rege sanctissime recordacionis predecessore nostro constructum, qui terram Slauonie, siue banatum, ab errore idololatrie ad Christi ueritatem conuertens, corone Hungarie subiugauit, qui eciam in eodem banatu episcopatum instituit, et monasterium in honorem s. Stephani

regis construxit, et ecclesiam per uenerabiles episcopos dedicari fecissemus, episcopus et capitulum eiusdem loci, nobis humiliter supplicando postularunt, ut nos omnia priuilegia super prediis, possessionibus, libertatibus aliisque reditibus, tam a sancto Ladislao rege, primo fundatore ecclesie, tam eciam a predecessoribus nostris, presertim a fratre nostro felicis recordacionis Henrico rege, quam eciam pie a nobis collata, secrecioris et solemnioris sigilli nostri, uidelicet auree bulle munimine confirmaremus. Nos igitur, iustis eorum peticionibus inclinati, grato uolentes occurere assensu, habito consilio magnatum nostrorum, omnia priuilegia predicte ecclesie in medium fecimus deduci, et per cancellarium nostrum Ugolinum de uerbo ad uerbum coram multitudine perlegi, et quum nihil contradictione dignum potuerit inueniri in eisdem, omnia priuilegia nostra, et predecessorum nostrorum renouando, secundum quod in eisdem singulis continentur, aureo sigillo nostro confirmamus et eciam auctoritate nostra adiungentes, firmiter statuimus:

(1) ut de cetero nullus banus, siue sit de regali progenie, siue de magnatibus Hungarie, presumat populos predicte ecclesie coram se aliqua occasione in iudicium trahere, aut alicuius rei occasione descendere, aut eciam marturinas, seu quamcunque collectam, quocunque nomine nuncupatam, exigere, sed pocius firmiter iniungendo bano, siue duci, loco et tempore constituto precipimus, quod decimas marturinarum omnium, seu omnium collectarum quocunque nomine nuncupatarum, episcopo plenarie, et sine contradictione aliqua et dilacione quantum limes episcopalis concludit, persoluat. decimam eciam omnium tributorum forensium, siue decimas prouentus portuum, quorum sunt si illi soluere noluerint, cogendo eos cum graui iudicio, ut ceteris metus in similibus incuciatur, soluere compellat.

(2) Statuimus eciam firmiter ut populus ecclesie, siue sit episcopi, siue sit capituli, in nullius foro tributum soluere cogatur. nec eciam tributarii uel salinarii regis, caussa exercende sue negociacionis, contra episcopi uoluntatem, uel officialium suorum ad aliquod forum episcopi accedere presumant, et si inuenti fuerint, capti in carcere quadraginta diebus detineantur, omnes res suas, quas tunc erga se habent, amittentes.

(3) Istud specialius adiiciendo statuimus, quod, licet nunquam moneta regalis in regno banatus, siue ducatus, fuerit ab aliquo rege facta, tamen a successoribus nostris si fieri contingat, quod non credimus, populus ecclesie tam episcopi, quam capituli mercimonia sua emendo uel uendendo dare non compellatur pro eadem. nec eciam monetarii ad aliquod forum episcopi, caussa exercende monete accedere aliquo modo presumant. et si inuenit fuerint per XL. dies capti ab officialibus episcopi in carcere detineantur, omnes res suas, quas tunc erga se habuerint, amittendo.

(4) Hec igitur omnia predicta, a nobis et a predecessoribus nostris statuta, que ab eis et a nobis usque nunc sunt obseruata, sic firmiter in perpetuum a filiis et heredibus nostris uolumus obseruari, ut in nullo excedere uideantur acceptando aliquid contra iura predicta que tam a nobis, quam a fratre nostro, felicis recordacionis rege Henrico, quam eciam a fundatore predicto sanctissimo rege Ladislao, uel eciam ab aliis regibus, siue ducibus sunt collata et concessa.

(5) Et, si aliquis banus siue dux aliquid contra predicta iura attentare presumserit, quod non credimus, si fuerit de regali progenie, paterna maledictione incomprehensibilis amaritudinis in perpetuum percuciatur, et nunquam ad coronam, quam hereditario iure habere debebat, possit pertingere, sed toto tempore uite sue sit uagus, et

profugus, suisque saciari non ualens, sed semper aliena mendicans. si autem fuerit de nobilibus Hungarie, et citatus fuerit ab episcopo ad regis presenciam, antequam episcopo repondeat, quinquaginta marcas fisco regio et alias quinquaginta episcopo, rege eodem forcius compellente, persoluat.

Ut igitur hec omnia, que a nobis et ab omnibus predecessoribus nostris sunt collata et concessa, nostris nostrorumque successorum temporibus irrefragabiliter salua semper et inconcussa in perpetuum possint permanere, sigilli nostri, uidelicet auree bulle munimine fecimus roborari. Datum per manus Ugolini, aule regie cancellarii, anno ab incarnacione domini MCCXVII.

ANDREÆ II. REGIS DECRETUM I.

MCCXXII.

E membrana tabularii Strigoniensis.

In nomine s. Trinitatis et indiuidue unitatis. Andreas, dei gracia Ungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie Lodomerieque rex in perpetuum. Quoniam libertas tam nobilium regni nostri, quam eciam aliorum instituta a sancto Stephano rege, per aliquorum regum potenciam, ulciscencium aliquando iram propriam, aliquando eciam attendencium consilia falsa hominum iniquorum, uel sectancium propria lucra, fuerunt in quam plurimis partibus diminuta: multoties ipsi nobiles nostri, serenitatem nostram et predecessorum nostrorum regum suorum aures precibus et instanciis multis pulsauerunt super reformacione regni nostri. Nos igitur eorum peticioni satisfacere cupientes in omnibus, uti tenemur, presertim quia

inter nos et uos, occasione hac iam sepius ad amaritudines non modicas est processum: quod ut regia honorificencia plenius conseruetur, conuenit euitare: (hoc enim per nullos alios melius fit, quam per eos) concedimus tam eis, quam aliis hominibus regni nostri libertatem a sancto rege concessam, ac alia ad statum regni nostri reformandum pertinencia salubriter ordinamus, in hunc modum.

(1) Statuimus ut annuatim in festo sancti regis, nisi arduo negocio ingruente uel infirmitate fuerimus prohibiti, Albe teneamur solennizare: et si nos interesse non poterimus, palatinus procul dubio ibi erit pro nobis et uice nostra causas audiet, et omnes seruientes qui uoluerint libere illic conueniant.

(2) Uolumus eciam quod nec nos nec posteri nostri aliquo tempore seruientes capiant, uel destruant fauore alicuius potentis, nisi primo citati fuerint et ordine iudiciario conuicti.

(3) Item nullam collectam nec libras denariorum colligi faciemus supra predia seruiencium: nec in domus nec uillas descendemus, nisi uocati. super populos eciam ecclesiarum ipsarum nullam penitus collectam faciemus.

(4) Si quis seruiens sine filio decesserit, quartam partem possessionis filia obtineat: de residuo, sicut ipse uoluerit, disponat, et si morte preuentus disponere non poterit, propinqui sui, qui eum magis contingunt, obtineant. et si nullam penitus generacionem habuerit, rex obtinebit.

(5) Comites parochiani predia seruiencium non discuciant, nisi causas monetarum et decimarum. comites curie parochiani nullum penitus discuciant, nisi populos sui castri. fures et latrones bilochi regales discutiant ad pedes tamen ipsius comitis.

(6) Item populi coniurati in unum fures nominare non possint, sicut consueuerant.

(7) Si autem rex extra regnum exercitum ducere uo-

luerit, seruientes eum ipso ire non teneantur, nisi pro pecunia ipsius. et post reuersionem iudicium exercitus super eos non recipiat. si uero ex aduersa parte exercitus ueniret super regnum, omnes uniuersaliter ire teneantur. item si extra regnum exercitum ducere uoluerimus et cum exercitu ipse iuerimus, omnes qui comitatus habent, pro pecunia nostra nobiscum ire teneantur.

(8) Palatinus omnes homines regni nostri indifferenter discutiat: sed causam nobilium, que ad perdicionem capitis, uel ad destruccionem possessionum pertinet sine consciencia regis terminare non possit. iudices uero uicarios non habeant, nisi unum in curia sua.

(9) Curialis comes noster, donec in curia manserit, omnes possit iudicare, et causam in curia inchoatam ubique terminare. sed manens in predio suo, prestaldum dare non possit, nec partes facere citari.

(10) Si quis iobbagio habens honorem, in exercitu fuerit mortuus, eius filius uel frater congruo honore sit donandus. et si seruiens eodem modo fuerit mortuus, eius filius sicut regi uidebitur donetur.

(11) Si hospites, uidelicet boni homines, ad regnum uenerint, sine consilio regni ad dignitates non promoueantur.

(12) Uxores decedencium uel damnatorum ad mortem per sentenciam uel in duelo succumbencium uel ex quacunque alia causa, non fraudentur dote sua.

(13) Iobagiones ita sequantur curiam uel quocunque proficiscuntur, ut pauperes per eos non opprimantur nec spolientur.

(14) Item si quis comes honorifice se iuxta comitatus sui qualitatem non habuerit, uel destruxerit populus castri sui, conuictus super hoc coram omni regno dignitate sua turpiter spolietur, cum restitucione ablatorum.

(15) Agazones, caniferi et falconarii non presumant descendere in uillis seruiencium.

(16) Integros comitatus uel dignitates quascunque, in predia seu possessiones non conferemus perpetuo.

(17) Possessionibus eciam quas quis iusto seruicio obtinuerit, aliquo tempore non priuetur.

(18) Item seruientes accepta licencia a nobis, possint libere ire ad filium nostrum, ut a maiore ad minorem, nec ideo possessiones eorum destruantur. aliquem iusto iudicio filii nostri condemnatum, uel causam inchoatam coram ipso, priusquam terminetur coram eodem, non recipiemus, nec e conuerso filius noster.

(19) Iobagiones castrorum teneantur secundum libertatem a sancto rege Stephano institutam: similiter et hospites, cuiuscunque nacionis, secundum libertatem ab inicio eis concessam teneantur.

(20) Decime argento non redimantur, sed sicut terra protulerit, uinum uel segetes, persoluantur: et si episcopi contradixerint, non iuuabimus ipsos.

(21) Episcopi super predia seruiencium equis nostris decimas non dent, nec ad predia regalia populi eorundem decimas suas apportare teneantur.

(22) Item porci nostri in siluis uel pratis seruiencium non pascantur contra uoluntatem eorum.

(23) Item noua nostra moneta per annum obseruetur a pascha usque ad pascha, et denarii tales sint, quales fuerunt tempore regis Belæ.

(24) Comites camerarii monetarum, salinarii et tributarii, nobiles regni nostri sint: ismaelite et iudaei fieri non possint.

(25) Item sales in medio regni non teneantur, nisi tantum in Zabolch et Regecz, et confiniis.

(26) Item possessiones extra regnum non conferan-

tur: si sunt alique collate uel uendite, populo regni ad redimendum reddantur.

(27) Mardurine iuxta consuetudinem a Colomano rege constitutam soluantur.

(28) Si quis ordine iudiciario fuerit condemnatus, nullus potentum possit eum defendere.

(29) Comites iure comitatus sui tantum fruantur, cetera ad regem pertinencia, scilicet cibriones, tributa, boues et duas partes castrorum rex obtineat.

(30) Item preter hos quatuor iobagiones, scilicet palatinum, banum, comites curiales regis et regine, duas dignitates nullus teneat.

(31) Et ut hec nostra tam concessio quam ordinacio sit nostris nostrorumque successorum temporibus in perpetuum ualitura, eam conscribi fecimus in septem paria literarum, et aureo sigillo nostro roborari: ita, quod unum par mittatur Domino pape et ipse in regesto suo scribi faciat: secundum penes hospitale: tercium penes templum: quartum apud regem: quintum in capitulo Strigoniensi: sextum in Colocensi: septimum apud palatinum, qui pro tempore fuerit, reseruetur. ita, quod ipsam scripturam pre oculis semper habens, nec ipse deuiet in aliquo predictorum, nec regem, uel nobiles, seu alios consenciat deuiare, ut et ipsi gaudeant sua libertate, ac propter hoc nobis et successoribus semper existant fideles et corone regie obsequia debita non negentur. quod si uero nos uel aliquis successorum nostrorum, aliquo unquam tempore huic disposicioni nostre contraire uoluerit, liberam habeant harum authoritate, sine nota alicuius infidelitatis, tam episcopi, quam alii iobagiones ac nobiles regni uniuersi et singuli, presentes et futuri, posterique resistendi et contradicendi nobis et nostris successoribus in perpetuum facultatem.

Datum per manus Cleti, aule nostre cancellarii, Ag-

riensis ecclesie prepositi, anno uerbi incarnati millesimo ducentesimo uigesimo secundo. uenerabili Ioane Strigoniense, reuerendo Ugrino Colocense archiepiscopis existentibus. Desiderio Chanadiense, Ruberto Uesprimiense, Thoma Agriense, Stephano Zagrabiense, Alexandro Uaradiense, Bartholomeo Quinqueecclesiense, Cosma Iauriense, Briccio Uaciense, Uicencio Nittriense episcopis existentibus. regni nostri anno decimo septimo.

ANDREÆ II. REGIS LIBERTAS CLERICORUM.

MCCXXII.

E regesto Vaticano.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Andreas, dei gracia Ungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie Lodomerieque rex in perpetuum.

Quum iuxta propheticum Dauidici sermonis eloquium specialiter adscribenda sit intelligencia regibus et erudicio terram iudicantibus: dignum est, ut in horum utroque regie maiestatis circumpeccio se excerceat, ut que sunt cesaris cesari restituat, et que sunt dei reddere non omittat. nos itaque iam dictarum amoniti serie racionum, uniuersis rerum disposicionibus, regalem in secularibus, clericalem in spiritualibus preferentes dignitatem, omnibus in regno nostro constitutis sacerdotibus, diaconis, subdiaconis, acolythis, exorcistis, quibuslibet in sortem domini per tonsuram clericalem insignitis, talem ac tantam auctoritate regia conferimus libertatem:

(1) ut si quispiam laicorum ex his aliquem siue de possessorio, seu de furto, seu de terris, seu quocunque alio actionis titulo presumserit ad iudicem trahere secula-

rem, ipse laicus eo ipso sue causse periudicium faciat. quia uolumus et statuimus, ut nullus clericorum ante personam trahatur secularem, nec cuiquam laicorum, dum uidelicet a laico impetitur in foro secularium iudicum, respondere teneatur.

(2) sicut enim ordo racionis exigit, ut si laicus clericum de quocunque conuincere uoluerit, prelatis ordini clericatus deputatis, archiepiscopis, episcopis, prepositis, archidiaconis seu decanis, uel quibuslibet aliis ecclesiasticis iudicibus sue causse proponat seriem, similiter uolumus, ut si quispiam clericorum cum seculari iudice conueniat, et sicut clericalem decet honestatem, habito debite caucionis moderamine, ius suum in foro iudicum secularium persequatur. si enim persona clericalis a laico ad iudices seculares traheretur, confusio magis quam ordo seruaretur, ut uiolencia iuri pocius quam iusticia inferetur: sed utrinque prouidentes, sicut ordini spiritualis apicis nihil subtrahi, sic in nullo laicali dignitati tamen, in his que ad forum laicale pertinent, uolumus derogari.

(3) Preterea pari firmitate sanciuimus, ut nullus hominum tonsuram habens clericalem, liberos denarios uel pondera, seu quemcunque censum ad fiscum pertinentem soluere teneatur. et si collector publicorum uectigalium hec ab eis exigere uel super eos descendere uoluerit, manu ualida tamquam fur et raptor turpiter expellatur. si quis eciam nostrorum iobbagionum, quantumcunque magnus, horum aliquod facere super eos attentauerit, idem ei confusionis opprobrium inferatur, et regie indignacionis sentenciam grauiter mereatur. decet enim, ut sicut a laicis clerici ministerio nec non cultu sunt dispares, sic in diuini libertatem officii seculari grauamine sint expertes.

(4) Istud tamen auctoritate regia firmiter precipimus: quatenus nullus nostrorum udwarnicorum siue ciuilium, siue cuiuscunque seruitutis iugo subditorum, ad tonsuram

clericalem ab aliquo prelato admittatur. hi eciam qui legitime sunt admissi, si caussa lucri uel alicuius ambicionis desiderio se turpibus exercere uoluerit operibus, ne scandalum pocius quam exemplum ueritatis prebeant, a suis prelatis per censuram ecclesiasticam arceantur.

Ut igitur hec a nobis et a nostris baronibus regali sanccione facta libertatis institucio nostris nostrorumque successorum temporibus firma semper et illibata permaneat, presentem concessimus paginam, sigilli nostri munimine in perpetuum roboratam. contra cuius seriem si quis nostrorum filiorum aut heredum, seu iobagionum quispiam sapere uel attentare presumerit, reus regie maiestatis, anathemati diuine subiaceat ulcionis. datum per manus Cleti, aule regie cancellarii et Agriensis prepositi, anno dominice incarnacionis millesimo ducentesimo uigesimo secundo.

IULÆ PALATINI
LIBERTAS FIRMATA BISSENIS IN ARPAS.
MCCXXII.

E chartula Palatini in tabulario Montis Pannoniæ.

Iula Palatinus et comes Suproniensis. ad uniuersorum uolumus noticiam peruenire, quod Bisseni de Arpas, ad nos uidelicet Palatinum pertinentes, ne in posterum iobbagiones uel comites eorum libertati eorum contradicerent in aliquo, nos instanter rogauerunt, ut libertatem eorum scriptis redigeremus. nos igitur peticiones eorum iustas esse cognoscentes, libertatem eorum, sicut ueridica relacione cognouimus, in presentem paginam adnotari fecimus in hunc modum:

(1) quod reuoluto semper tercio anno comiti eorum

debent dare pro nouitate sex pensas denariorum de mantua, de duobus equis.

(2) qui uero in expedicionem ire non potuerint, de quolibet equo sex pensas persoluent.

(3) comes eorum non debet ire inter eos, nisi semel, quando fit de nouo.

(4) curialis comes debet sepe per annum circuire, et causas que referuntur iudicare.

(5) cum comite eorum non debent ire, sed unus ex iobbagionibus debet eum precedere, et iura eius ostendere.

(6) super iobbagiones eorum, qui per se possunt ire in exercitum, curialis comes non potest descendere.

Ut uero huius libertatis reformacio nullis ualeat temporibus reuocari, rei seriem in presentem paginulam fecimus adnotari, eandemque dupplicis nostri sigilli munimine fecimus roborari. anno dominice incarnacionis MCCXXII.

ANDREÆ II. REGIS
LIBERTAS SAXONUM TRANSILVANIÆ.
MCCXXIV.

E transumto Caroli I. anno 1317.

In nomine sancte trinitatis et indiuidue unitatis.

Andreas dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Galicie Lodomerieque rex in perpetuum.

Sicut ad regalem pertinet dignitatem superborum contumaciam potenter opprimere, sic eciam regiam decet benignitatem oppressiones humilium misericorditer subleuare, et fidelium metiri famulatum, et unicuique secundum sua

propria merita retribucionis graciam impertiri. accedentes itaque fideles nostri hospites Teutonici Ultrasiluani universi ad pedes nostre maiestatis, humiliter nobis conquerentes, sua querimonia suppliciter nobis monstrauerunt, quod penitus a sua libertate, qua uocati fuerant a piissimo rege Geysa auo nostro, excidissent, nisi super eos maiestas regia oculos solite pietatis nostre aperiret, unde pre nimia paupertate nullum maiestati regie seruicium poterat impertiri. nos igitur iustis eorum querimoniis aures solite pietatis inclinantes, ad presencium posterorumque noticiam uolumus deuenire, quod nos antecessorum nostrorum piis uestigiis inherentes, pietatis moti uisceribus, pristinam eis reddimus libertatem, ita tamen:

(1) quod uniuersus populus incipiens a Uaross usque ad Baralt, cum terra Siculorum, terra Szebus et terra Daraus unus sit populus, et sub uno iudice censeatur, omnibus comitatibus preter Cibiniensem cessantibus radicitus.

(2) Comes uero quicunque fuerit Cibiniensis, nullum presumat statuere in predictis comitatibus, nisi sit intra eos residens, et ipsum populi eligant, qui melius uidetur expedire. nec eciam in comitatu Cibiniensi aliquis audeat comparare pecunia.

(3) Ad lucrum uero nostre camere quingentas marcas argenti dare teneantur annuatim. nullum predialem uel quemlibet alium uolumus intra terminos eorumdem positos ab hac excludi reddicione, nisi qui super hoc gaudeat priuilegio speciali.

(4) Hoc eciam eisdem concedimus, quod pecuniam quam nobis soluere tenebuntur seu dignoscuntur, cum nullo alio pondere, nisi cum marca argentea, quam piissime recordacionis pater noster Bela eisdem constituit, uidelicet quintum dimidium fertonem Cibiniensis ponderis cum Coloniensi denario, nisi discrepent in statera, soluere teneantur.

(5) Nunciis uero quos regia maiestas ad dicam colligendam statuerit, singulis diebus quibus ibi moram fecerint, tres lotones pro eorum expensis soluere non recusent.

(6) Milites uero quingenti intra regnum et regni expedicionem deputentur, extra uero regnum centum, si rex in propria persona iuerit. si uero ex regno iobagionem miserit, siue in adiutorium amici sui, siue in propriis negociis, quinquaginta tantummodo milites mittere teneantur.

(7) Sacerdotes uero suos libere eligant et electos representent, et ipsis decimas persoluant, et de omni iure ecclesiastico secundum antiquam consuetudinem respondeant.

(8) Uolumus eciam ac firmiter precipimus, quatenus illos nullus iudicet, nisi nos uel comes Cibiniensis, quem nos eis loco et tempore constituemus. si uero coram quocunque iudice remanserint, tantummodo iudicium ordinarium reddere teneantur. nec eos eciam aliquis ad presenciam nostram citare presumat, nisi causa eorum suo iudice non possit terminari.

(9) Preter supra dicta siluam Blacorum et Bissenorum cum aquis, usus communes exercendo cum predictis scilicet Blacis et Bissenis, eisdem contulimus, ut prefata gaudentes libertate, nulli inde seruire teneantur.

(10) Insuper eisdem concessimus quod unicum sigillum habeant, quod apud nos et magnates nostros euidenter cognoscatur.

(11) Si uero aliquis eorum aliquem conuenire uelit in causa pecuniali, coram iudice non possit uti testibus, nisi personis infra terminos eorum constitutis.

(12) Ipsos ab omni iurisdictione penitus eximentes sales quoque minores secundum antiquam libertatem, circa festum Georgii octo diebus, circa festum d. regis Stephani et circa festum b. Martini similiter octo diebus, omnibus

libere recipiendos concedimus, quod nullus tributariorum nec ascendendo nec descendendo presumat impedire eos.

(13) Siluam uero cum omnibus appendicibus suis et aquarum usus cum suis meatibus, que ad solius regis spectant donacionem, omnibus tam pauperibus quam diuitibus libere concedimus exercere.

(14) Uolumus eciam et regia auctoritate precipimus, ut nullus de iubagionibus nostris uillam uel predium aliquod a regia maiestate audeat postulare. si uero aliquis postulauerit, indulta eis potestate a nobis contradicant.

(15) Statuimus insuper dictis fidelibus, ut quum ad expedicionem ad ipsos nos uenire contigerit, tres descensus tantum soluere ad nostros usus teneantur. si uero uaiuoda ad regalem utilitatem ad ipsos uel per terram ipsorum transmittetur, duos descensus, unum in introitu et alterum in exitu soluere non recusent.

(16) Adiicimus eciam supra dictis libertatibus, quod mercatores eorum ubicunque uoluerint in regno nostro libere ac sine tributo uadant et reuertantur, efficaciter ius suum regie maiestatis intuitu prosequentes. omnia eciam fora ipsorum sine tributis precipimus obseruari.

Ut autem hec que ante dicta sunt firmiter et inconcussa permaneant in posterum, presentem paginam dupplicis sigilli nostri munimine fecimus roborari. datum anno ab incarnacione domini millesimo ducentesimo uigesimo quarto, regni autem nostri uigesimo primo.

CONSTANTIÆ BOHEMORUM REGINÆ

IURA

VIRORUM THEOTONICORUM IN GODINGEN.

MCCXXVIII.

E tabulario civitatis Göding.

C. dei gracia Bohemorum regina uniuersis Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in uero salutari.

Sciunt presentes et posteri, quod cum uillicum nostrum Petrum fures et latrones et alii malefici interfecissent in Godingen, super regale ciuileque ius nostrum conuocauimus uiros honestos Theotonicos, et locauimus in ciuitate nostra tali iure:

(1) ut nulli dominio subditi essent, nec ulli seruirent, nisi michi et filiis meis.

(2) item talem potestatem eis eciam tradidimus, quod nullus iudex dominaretur eis, nisi ipsi uoluntarie eligerent.

(3) et hec iura censualia sunt: XXX denarii de laneo, de subside agrum habente XII denarii, de subside agro carente VI. quicunque braxauerit cereuisiam, XII de qualibet braxacione.

(4) in lite cum aliquis se defendendo aufugerit ad propriam domum, si aliquem occiderit, tenetur mortuis talem culpam soluere.

(5) infra rastam unam nullus presumat cereuisiam braxare, et si quis presumpserit, abiudicatus est bonis suis et collo suo.

(6) fur siue falsarius, si inuentus fuerit, non alias nisi ibidem suffocetur.

(7) et si quis aliquem interfecerit, caput pro capite ponderetur.

(8) quicunque temerarius intrauerit domum alicuius, et aliquem occiderit, soluat in domo VI solidos et extra VI.

(9) et si uelit aliquem damnificare uiolenter, soluat iterum VI solidos in domo et extra VI.

(10) si alapam dederit, manu careat aut V talenta soluat, et iudici LXXII.

(11) infra milliare faber, textor, calcifex, aut qualiscunque artifex non compareat, nisi in eadem ciuitate.

(12) molendinum soluat VIII modios siliginis aut tritici, et III solidos denariorum. si non sufficit molendinum reddere ista que prediximus, pendeat in gracia regine et in consilio ciuium.

(13) item molendinum debet habere XX iugera agri, et III subsides et piscatorem.

(14) mercatores domos habentes nullum theloneum soluant, sed in transitu aque dimidium.

(15) item kletska, sicca ligna, libere herbasque habeant, excepta uiridi quercu. pastor cum grege uadat libere in eadem sylua.

(16) item nulli iudicio subiaceant pro uita et bonis, qui meruerint, nisi in eadem ciuitate.

(17) et illi qui Petrum occiderunt omnium habeant inimiciciam, et pro malefactoribus habeantur.

(18) omnis homo in uia pergens infra rastam pacem habeat de manu mea et filiorum meorum, qui pergendo querit forum.

(19) ciuibus nostris in eadem ciuitate talem libertatem damus, quod nullum theloneum soluant per totam terram Morauie et Bohemie.

(20) hanc eciam libertatem eis concedimus, quod nullum tributum soluant infra X annos.

Huius rei testes sunt: Pardus, Twrisde, Zudomie, Bun, Ninco, capellani predicti, Schedron, Marquandus. Datum anno domini millesimo CCXXVIII.

ANDREÆ II. REGIS

LIBERTAS

HOSPITUM TEUTONICORUM DE ZATHMAR NEMETHI.

MCCXXX.

E mss. Hevenesii.

In nomine sancte trinitatis et indiuidue unitatis.

Andreas dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie Lodomerieque rex in perpetuum.

Regie serenitatis gracie plurimum expedit, quia ex fonte nascitur pietas, ut omnes hospites ad sinum sue benignitatis tanquam ad portum salutis confugientes, colligat. sed ordo racionis expostulat, ut eos propensius protegat et confoueat, quos pro posse suo ad regni utilitatem et corone honorem inspexit efficacius inherere. hinc est quod tam presentis etatis quam future posteritatis noticie uolumus elucescere, quod nos charissimi progenitoris nostri regis Bele, nec non baronum nostrorum ducti consilio, dilectis et fidelibus nostris hospitibus Teutonicis de Zathmar Nemethi iuxta fluuium Zamos residentibus, qui se dicebant in fide domine regine Keysle ad Hungariam con-

uenisse, talem dedimus, donauimus et concessimus libertatem:

(1) quod more Saxonum uillicus ipsorum armatus cum quatuor personis sagittariis nobiscum exercituare teneatur.

(2) Exemimus eciam eos ab omnium iudicum iurisdictione, iudicandi facultate nobis tantum ac magistro tauernicorum nostrorum pro tempore constituto. hoc specialiter declarato, ut quemcunque uoluerint, maiorum ac minorum consensu pariter concordante, maiorem uille constituendi liberam habeant facultatem.

(3) Qui in uilla eorum in furto, latrocinio, homicidio seu quouis crimine malefactorio ac maligno deprehensi uel accusati fuerint, eos iudicet et condemnet iuxta criminis quantitatem.

(4) Preterea portum ab omni exactione seu infestacione tributi liberum supra prenotato fluuio eisdem concessimus, ita ut nec comes castri de Zatthmar, nec comes camere nostre nec alius quispiam super iam dicti pontis tributo ipsos possit aut debeat aliquatenus molestare.

(5) Concessimus eciam eisdem ut decimatoribus pro tempore constitutis pro capecia duodecim denarios usualis monete soluere teneantur.

(6) Item sacerdotem quemcunque uoluerint in eorum ecclesia possint conseruare, ab omni iurisdictione et potestate archidiaconi de Sasvar, cum quarta parte decimarum in uilla ipsorum contingente, penitus duximus eximendum. et ad maiorem statute libertatis ipsorum cautelam, assensum et consensum Reinoldus uenerabilis pater episcopus Transiluanus prebuit nostris ordinatis et statutis, et nos in retribucionem prefate concessionis episcopo predicto in pociori donacione manum porreximus regie largitatis.

(7) Istud eciam non est silencio pretermittendum, quod nobis ad uillam eorum accedentibus, prandium et

cenam administrent, secundum uille ipsorum incrementum.

(8) Preterea quandam terram eorum terre contiguam, que olim Dionysii filii Simonis fuerat, eis et eorum heredibus iure perpetuo contulimus possidendam, in ipsius possessionem per fidelem pristaldum nostrum Chudruch ipsos introduci statuentes.

Ut igitur tum a nobis liberaliter concessa libertas, tum memorate terre donacio salua semper et inconcussa permaneat, presentem paginam secreciori sigillo nostro, auree uidelicet bulle charactere fecimus insigniri. datum per manus Ugrini Colocensis archiepiscopi et aule regie cancellarii, anno dominice incarnacionis millesimo ducentesimo trigesimo, regni nostri anno XXVII.

ANDREÆ II. REGIS DECRETUM II.

MCCXXXI.

E regesto bibliothecæ Vaticanæ.

In nomine sancte Trinitatis et indiuidue Unitatis.

Andreas dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie Lodomerieque rex in perpetuum.

Quoniam libertas tam nobilium regni nostri quam eciam aliorum a s. Stephano rege instituta, per aliquorum regum potenciam, ulciscencium aliquando iram propriam, aliquando eciam attendencium consilia falsa hominum iniquorum fuit in quam plurimis diminuta, multocies ipsi nobiles nostri serenitatem nostram et predecessorum nostrorum regum suorum precibus et instancia multa pulsauerunt, super reformacione regni nostri. nos igitur peticioni eorum satisfacere cupientes, in omnibus ut tenemur,

presertim quia inter nos et eos occasione hac iam sepius ad amaritudines non modicas est processum, quod ut regia honorificencia plenius conseruetur, conuenit euitare, hoc enim per nullos alios melius fit quam per nos, concedimus tam eis quam aliis iobbagionibus ac seruientibus regni nostri libertatem a s. rege concessam, ac alia ad statum regni nostri ordinandum pertinencia, in hunc modum confirmamus.

I. In festo s. regis nostri, nisi arduo negocio regni nostri ingruente uel infirmitate prohibiti fuerimus, Albe tenemur solemnizare, ut ibi oppressi sine timore querimonias suas possint exponere. sed si nos non possumus interesse, palatinus interesse tenetur, et uice nostra causas audiat, et omnes seruientes nostri, et alii qui uolunt, libere et sine timore illuc conueniant.

II. Prelati ecclesiarum et archiepiscopi et episcopi ad pauperum querimoniam audiendam, et infracte forte libertatis confirmacionem, nisi canonica propedicione fuerint impediti, tenentur interesse.

III. Si palatinus interim male administrauerit negocia regis et regni, supplicabunt nobis ut utiliorem loco eius constituamus, quem uolumus, et nos precibus eorum annuemus.

IV. Uolumus quod nec nos nec posteri nostri aliquos unquam capiant uel destruant, nisi prius ordine iudiciario conueniantur.

V. Et cum ista sacramento nostro et principum nostrorum fuerint confirmata, si qui per nos uel per filios nostros, uel per quoscunque post idem tempus, scilicet XVII. annum regni nostri sine iudicio sunt spoliati, plene restituantur.

VI. Item nullam collectam, nullam exactionem nec lucrum camere, quocunque numero possit censeri, occasione aliqua super homines cuiuscunque nacionis uel con-

dicionis colligi faciemus, exceptis iis qui fisco regio in censu debito tenentur.

VII. Super domos seruiencium uel uillas nec nos, nec agazones nostri, nec falconarii, nec caniferi, nec curriferi nostri descendant ipsis inuitis. ubicunque autem alibi nos uel dictos officiales nostros descendere contigerit, iustam estimacionem solui faciemus, sicut continetur in sequentibus.

VIII. Et quia propterea tam propter descensus nostros et domine regine ac filiorum nostrorum, quam eciam archiepiscoporum, episcoporum, baronum et nobilium nostrorum intolerabilia damna et grauamina per totum regnum nostrum fieri uidebamus, districte statuendo precipimus, ut nihil recipiatur ad coquinam nostram uel nostrorum, nisi iusto dato precio. similiter et de annona et de uino et aliis necessariis nihil recipiant, nisi dato iusto precio.

IX. Pro domestico autem cui iusticia exhibita non fuerit, tres rustici de uilla iurare debeant, et ad eorum iuramentum hospes quicunque fuerit, domestico plenam faciat iusticiam cum iudicio regali, uel dominus uille, quicunque fuerit, siue archiepiscopus, siue episcopus, siue nobilis, ille personaliter hec uerba ueritatis dicere teneatur.

X. Quicunque uero nobiles iuxta formam statuti nostri iusticiam non fecerint, tales quilibet episcopus in sua diecesi excommunicet. et nos eos pro excommunicatis tamdiu habebimus, donec iniuriam passo satisfaciant competenter.

XI. Si quis seruiens noster sine herede decesserit, quartam possessionem filia obtineat, de residuo sicut ipse uoluerit disponat. et si morte preuentus disponere non posset, propinqui sui qui eum magis contingunt obtineant. et si nullam penitus cognacionem habuerit, rex habeat.

XII. Comites parochiani predia seruiencium et uillas ecclesiarum non discutiant, nisi in causa monete et decimarum.

XIII. Curiales comites parochiani nullum penitus discutiant, nisi populos castri sui. fures, latrones per bilochos regales discuciantur, ante pedes tamen comitis populi.

XIV. Coniurati fures nominare non possint, ne per hoc innocens popellus opprimatur.

XV. Nobis facientibus exercitum extra regnum nobiles nobiscum ire non teneantur, nisi comites et stipendiarii, et iobbagiones castri et qui ex officio debito tenentur, et quibus amplas concessimus possessiones.

XVI. Si uero exercitus super regnum uenerit, uniuersi et singuli ad defensionem patrie contra inimicos se opponere teneantur. regresso superueniente hoste pro uindicta ipsos tenentur persequi.

XVII. Palatinus uero omnes homines indifferenter discuciat, preter personas ecclesiasticas et clericos, et preter causas matrimoniales et dotes et alias ecclesiasticas, quacunque racione uidentur ad ecclesiasticum examen pertinere.

XVIII. Cause nobilium que ad perdicionem capitis aut destructionem possessionum eorundem pertinent, sine consciencia regis per nullos iudices terminentur.

XIX. Palatinus iudices uicarios non habeat, nisi unicum in curia sua. et caueat diligenter ne contra presens statutum aliquem iudicet uel condemnet.

XX. Curialis comes noster, dum in curia nostra manet, omnes iudicet, et causam inchoatam in nostra curia ubique possit terminare. sed existens in predio suo uel alibi extra curiam nostram, nec dare prestaldos, nec partes possit citari facere.

XXI. Et quia multi in regno leduntur per falsos pre-

staldos, citaciones uel testimonia eorum non ualeant, nisi per testimonium diecesani episcopi uel capituli. nec falsificatus prestaldus possit se iustificare nisi eorumdem testimoniis, in causis uero minorum, uicinorum conuentuum uel claustrorum testimoniis.

XXII. Prestaldum nullus per annum uel biennium uel ultra secum detineat, nisi ad decisionem cause ad quam impetrauit.

XXIII. Hospites nobiles ad regnum uenientes, nisi incole esse uelint, ad dignitates non promoueantur, per tales enim diuicie regni extrahuntur.

XXIV. Uxores decedencium uel condemnatorum per sentenciam ad mortem, uel in duello succumbencium, aut alia quacunque ex causa, non frustrentur dote sua.

XXV. Uxores furum uel latronum ac eorum liberi pro delictis patrum non uendantur.

XXVI. Integros comitatus uel dignitates in predia uel possessiones non transferemus.

XXVII. Statuimus iobagiones castrorum secundum libertatem a s. rege concessam, similiter et hospites cuiuscunque nacionis secundum libertatem ab inicio eis concessam, perpetuo teneri.

XXVIII. Ad secandas indagines et fossata facienda, ad hortos et quecunque regia edificia uel officinas, seruiencium et ecclesiarum populos non cogemus.

XXIX. Preter uicesimam quam ab antiquo reges habent, decimas non exigemus, quia per hoc populus grauatur.

XXX. Porci nostri in siluas uel prata seruiencium contra uoluntatem eorum non pascantur.

XXXI. Monete et salibus ac aliis publicis officiis Iudei et Saraceni non preficiantur.

XXXII. Possessiones extra regnum non conferantur.

et si alique sunt collate uel uendite, populo regni ad redimendum reddantur, uel simpliciter recipiantur.

XXXIII. Item pro singulis marturinis quatuor pondera persoluantur. quantumcunque in ea prouenerit, tercia pars domino fundi, et due partes domino terre persoluantur.

XXXIV. Comites iure sui comitatus sint contenti. cetera ad regem pertinencia, scilicet cibriones, tributa, boues, et due partes castrorum, ad regis uoluntatem cui uult distribuantur.

XXXV. Item quandocunque aliquos ordine iudiciario conuinci contingerit, in uoluntate nostra erit bona ipsorum penes nos retinere, uel aliis pro uelle nostro distribuere. incendium tamen mitti nolumus super uillas eorundem.

Ut autem hec nostris et successorum nostrorum temporibus firma et inconcussa permaneant, tam nos quam filii nostri, prestito corporaliter iuramento confirmauimus, et tam nostro quam filiorum nostrorum sigillis fecimus roborari. spontanee consencientes, ut siue nos, siue filii nostri et successores nostri hanc a nobis concessam libertatem confringere uoluerint, archiepiscopus Strigoniensis, premissa legitima admonicione, nos uinculo excommunicacionis et eos innodandi habeat potestatem.

Datum anno ab incarnacione domini MCCXXXI. anno uero regni nostri XXIX.

COLOMANNI DUCIS

LIBERTAS

HOSPITUM IUXTA CASTRUM WALKO COMMORANTIUM.

MCCXXXI.

E mss. Stephani Kaprinai.

Colomanus dei gracia rex et dux tocius Sclauonie salutem et omne bonum.

Ne ea que aguntur in tempore labantur cum eodem, prudentum stabiliuit prouidencia literarum testimonio roborari. ad uniuersorum igitur uolumus peruenire noticiam, quod nos hospitibus iuxta castrum Valkow commorantibus, uidelicet Teutonicis, Saxonibus, Hungaris et Sclauis, consilio et consensu omnium iobagionum nostrorum libertatem talem constituimus:

(1) ut omnem causam inter ipsos ortam, preter effusionem sanguinis, maior uille eorundem, quem ipsimet exposuerint, iudicare tenetur. effusionem tamen sanguinis non per se, sed per ianitorem castri possit iudicare, cum quo iudicium habeat commune.

(2) Statuimus eciam quod de qualibet porta annuatim dimidium fertonem, transactis in nouitate tribus annis dare teneantur, ita tamen quod in festo s. Georgii tria pondera, in secundo festo s. Martini tria pondera persoluerent.

(3) Statutum est eisdem, quod si quis sine heredibus ex ipsis decedere contigerit, pecuniam suam cuicunque uellet possit disponere.

(4) Statuentes eciam eisdem, quod nullus absque serie iudicii de uilla eorum ligatum aut uinctum possit quempiam extrahere.

(5) Et insuper ne aliquo indigeant, terram castri eiusdem, nomine ... ad habitandum dandam ipsis contulimus integraliter, cum silua terre eiusdem nomine ...., de qua domos exstruendas et curias preparandas liberum eis permisimus arbitrium. quibus eciam Danubium et fluuium Walkow piscandos libere permisimus.

(6) Statuimus eciam eisdem, quod si quis uult libere ueniat, et libere cum uoluerit omnibus rebus uenditis et domibus recedat.

(7) Et ut hec talis a nobis facta disposicio in irritum non possit reuocari, consilio et consensu iobbagionum nostrorum presentem sigilli nostri munimine iussimus confirmari, superaddentes eisdem, quod nulla causa inter ipsos ad certamen duelli debet peruenire.

Istis tamen iobagionibus presentibus: Iula bano, filioque eiusdem altero Iula, magistro Tauernicorum nostrorum, Nicolao de Zala, Opoi de Simig, Petro de Walkow, Georgio de Barana comitatus tenentibus, et aliis quamplurimis. datum per manus magistri File nostri notarii. ab incarnacione domini anno MCCXXXI.

ANDREÆ II REGIS
IURAMENTUM
DE
REFORMANDO REGNO IN SILVA BEREG PRÆSTITUM.
MCCXXXII.

E regesto tabularii Vaticani.

Vobis domine Iacobe, Prenestine electe, apostolice sedis legate, uice et nomine Romane ecclesie et omnium ecclesiarum Ungarie. nos Andreas rex Hungarie iuramus ad sancta dei euangelia, omnia et singula capitula infrascripta obseruare, statuentes ea a filiis nostris et a nostris successoribus in perpetuum obseruari et in nullo contrauenire, quacunque occasione, uel fraudem committere in eis, quin fiant, sicut inferius continentur. et precipiemus omnibus subditis nostris in regno nostro, quod omnia et singula obseruent. et si qui nostri mandati transgressores extiterint, sicut decuerit, puniemus. et faciemus filios nostros et iobbagiones iurare, secundum quod inferius de iuramento eorum continetur. Capitula autem sunt hec:

(1) Iudeos, Sarracenos siue Ismaëlitas de cetero non preficiemos nostre camere, monete, salibus, collectis uel aliquibus publicis officiis, nec associabimus eos prefectis, nec in fraudem aliquid faciemus, propter quod ab ipsis possint opprimi Christiani.

(2) Item nec permittemus in toto regno nostro Iudeos, Sarracenos uel Ismaëlitas prefici alicui publico officio.

(3) Item faciemos, quod Iudei, Sarraceni seu Ismaëlite, de cetero certis signis distinguantur et discernantur a Christianis.

(4) Item non permittemus Iudeos, Sarracenos siue Ismaëlitas mancipia christiana emere, uel habere quocunque modo.

(5) Et promittimus per nos et successores nostros constituere singulis annis et dare Palatinum, uel alium de iobbagionibus nostris, quem uoluerimus, fidei christiane zelatorum, quem faciemus iurare, quod mandatum nostrum secundum ista fideliter adimplebit ad peticionem episcopi, in cuius diecesi sunt, uel erunt Iudei, pagani, uel Ismaëlite ut Christianos extrahant a dominio et cohabitacione Sarracenorum: et, si qui inuenti fuerint contra hec Christiani cohabitantes Sarracenis, uel Sarraceni mancipia christiana habentes, item Christiani Sarracenorum uel Sarraceni Christianorum quomodocunque mulieribus copulati siue ab specie matrimonii, siue alio modo, bonorum omnium publicacione tam Christiani, quam Iudei, uel pagani multentur, et nihilominus in seruitutem Christianorum per regem perpetuo deputentur.

(6) Item uolumus et concedimus quod ecclesie libere portent sales suos ad ecclesias ipsas, et ibi sub sigillo salinariorum, et prelati illius ecclesie, in qua sales deponuntur qui pro tempore fuerint, deponantur, depositique seruentur usque ad octauas s. Stephani regis, et tunc ab illo die usque ad natiuitatem B. U. Marie soluatur eis argentum pro salibus, quos tunc ecclesie habuerint penes se secundum estimacionem inferius adnotatam.

(7) Et si in illo tempore ipsi salinarii ipsos sales non emerent et ecclesiis argentum, secundum dictam estimacionem non soluerent, ex tunc omni tempore sales illos in proprium usum ecclesie percipientes uendant iuxta sue arbitrium uoluntatis, et omne lucrum, quod deberemus

nos, uel alius rex, qui pro tempore fuerit, uel ipsi salinarii inde percipere, totaliter cedat in usus ecclesiarum, nec a salinariis ipsis, uel nobis, uel aliis personis, aliquatenus molestentur, quin possint, quidquid placet eis, facere semper de salibus, ex quo in dicto termino non fuerit eis pecunia persoluta.

(8) Item dicimus de secundo termino, ut a festo s. Nicolai usque ad festum beati Thome apostoli, pro salibus, quos apud se habebunt ecclesie, sub sigillo salinariorum, soluatur eis argentum, secundum estimacionem adnotatam. quod si factum non fuerit, idem fiat, quod in casu superiore de salibus dictum est. argentum uero, quod predictis ecclesiis persoluetur, erit in bonis frisaticis uel in argento cuius decima pars comburetur.

(9) Precia uero salium sunt hec: quod pro quolibet tymino salium aquati eorum, persoluentur ecclesiis octo marce, excepta domo hospitalis Hyerosolimitani, et ecclesiis Colocensi et Bachiensi, quibus pro quolibet tymino dabimus decem marcas, si dicte ecclesie Colocensis et Boachiensis debeant deferre sales suos in Zegedyn uel ultra, alioquin octo marcas habebunt. pro maioribus uero salibus aquaticis, debemus abbacie de Egrus XXVI marcas pro quolibet timino, et ecclesie Orodiensi XXV similiter pro quolibet timino. pro salibus uero terrestribus dabimus unam marcam pro centum zuanis, si sales suos debeant habere in confiniis, excepto monasterio S. Gothardi, cui pro octoginta zuanis dabimus unam marcam.

(10) Nos uero et quicunque fuerit rex pro tempore, debemus mittere sales ad confinia, secundum tenorem priuilegiorum ecclesiarum et deponi debent in domibus priuilegiatorum, ubi stabunt sub sigillis salinariorum usque ad predictos terminos. et eodem modo omnia seruentur a nobis et ab ipsis, sicut dictum est in terminis supra dictis.

(11) Ecclesie uero retinebunt de salibus suis ad usus

suos hoc modo: abbacia de Egrus tres timinos, prepositus Orodiensis cum capitulo suo duo millia lapidum, hospitale Hierosolymitanum cum omnibus domibus suis de Hungaria IV. timinos de talibus salibus, quales habet monasterium de Egrus, monasterium S. Gothardi duo millia et 500 zuanos, ecclesia Uaradiensis 2000, ecclesia de Pernoch 1000 zuanos, ecclesia de Zeer 1000 zuanos, ecclesia Colocensis unum timinum, ecclesia Bachiensis unum timinum, ecclesia Albensis Transiluana 2000 zuanorum, ecclesia de Bulch 5000, ecclesia de Epuryes 3000, ecclesia de Bistriz 1000, ecclesia de Zadust 1000, ecclesia de Ysou 1000, ecclesia de Roncha 4000, ecclesia de Kenaz 2000, ecclesia S. Philippi 1000, ecclesia de Geleth 500, ecclesia de Saxsuas 1000, ecclesia Cenadiensis 5000, ecclesia Tytulensis 3000, ecclesia de Chod 1000 zuanos, ecclesia Strigoniensis 2000 zuanorum, ecclesia Albensis totidem, ecclesia Budensis 2000, ecclesia de Bokan 2000 zuanorum, ecclesia de Pelis totidem, ecclesia de Kercz 1000 zuanos. alie uero ecclesie, quarum nomina non exprimuntur, recipient ad usum suum, secundum quod prelati eorum in animas suas dixerint.

(12) Item uolumus et consentimus quod sales in salis fondinis non uendantur carius, quam antiquitus uendi consueuerunt ecclesiis, que consueuerunt emere sales.

(13) Pro reditibus uero ecclesiarum, qui hactenus subtracti sunt in salibus, exceptis decimis persoluemus 10,000 marcarum per quinque annos continuos, qui anni incipiunt computari a proximo pascha resurrectionis dominice. et solucionem faciemus hoc modo: in primo anno in natiuitate B. uirginis soluemus 1000 marcas, in festiuitate S. Thome apostoli 1000 marcas alias, et sic postea quolibet anno continue faciemus, quousque dictam pecuniam decem millia marcarum persoluamus, et totam istam pecuniam persoluemus in dictis terminis, episcopo Cenadinensi,

abbati S. Martini de Pannonia, abbati Egriensi, uel eorum procuratoribus habentibus a dominis suis procuratorias super hoc litteras speciales, uel duobus ex predictis, uel procuratoribus eorum. et soluemus eam in domo fratrum predicatorum de Pest in presencia capituli uel maioris partis distribuendam et ordinandam secundum uoluntatem dicti legati de consilio Strigoniensis et Colocensis archiepiscoporum. et nihilominus si predictam pecuniam decem millia marcarum non soluerimus, in singulis terminis, sicut superius est expressum, uolumus et consentimus, quod ecclesie, quibus sales sunt subtracti, non obstante ita composicione, libere et integre sint in eodem statu et iure, in quo erant ante composicionem istam.

(14) Item nolumus, nec permittemus, quod de cetero tractentur cause docium uel matrimoniales per nos uel per alios iudices seculares, quia de iis nolumus nos intromittere nec debemus, sed per iudices ecclesiasticos tractentur et terminentur.

(15) Item uolumus et consentimus quod clerici et persone ecclesiastice respondeant et conueniantur sub ecclesiastico iudice super omnibus, exceptis iudiciis terrarum, de quibus uolumus, quod tam per uos, domine legate, quam per nos consulatur dominus Papa, expressis eidem circumstanciis facti, in quibus circumstanciis inter alia exprimatur, quod uos a prelatis Ungarie percepistis, quod iudicia terrarum ecclesiarum et terrarum clericorum semper consueuerunt agitari et terminari per reges Ungarie, quicunque pro tempore extiterunt, et quod a prelatis Ungarie percepistis, quod si iudicia terrarum ecclesiasticarum subtraherentur a nostro iudicio, damnosum esset ecclesiis plurimum, et periculosum, quia per hec multa de iure ecclesiastico possent deperire.

(16) Nullas collectas et nullum lucrum imponemus uel recipiemus a clericis et ecclesiasticis personis, et con-

tra eorum priuilegia si que habent, scienter non ueniemus. super collectis uero per regnum nostrum aliis imponendis, per nos et legatum consulatur dominus papa, sicut conuenimus cum eodem de consultacione facienda domino pape super iudiciis terrarum.

(17) Item singulis ecclesiis, sales habentibus infra uiginti quinque dies, postquam redierimus de Ruscia, coram prefato uenerabili legato cum filiis nostris comparentes, hoc anno dabimus patentes litteras super sales suos, secundum formam istius composicionis, et coram eodem legato et episcopis nostris tunc publice istam composicionem et primum et secundum hoc solempne iuramentum recognoscemus fecisse: dictisque nostris iuramentis ac bulla nostra aurea, ista quelibet confirmasse, dando super istis tunc tercium par litterarum, nostra bulla aurea roboratarum, et facientes iurare palatinum, nisi prius iurauerit.

Que omnia singula suprascripta sponte, absque ulla condicione implere, ac firma et illibata per nos, nostrosque successores omni tempore obseruare, nec in aliquo contrauenire seu ueniri permittere, uen. patre B. Uesprimiensi episcopo, et magistro Cognoscenti, canonico Strigoniensi, nuncio et capellano sepe dicti legati recipientibus nomine et mandato ipsius legati et uice et nomine Romane ecclesie, et omnium ecclesiarum Ungarie, de consilio curie nostre, tactis sacrosanctis euangeliis, promittimus et iuramus: iubentes carissimos filios nostros, et facientes infrascriptos iobagiones nostros sub tali forma iurare: nos comes Nicolaus, filius Borch, Moys comes, Nicolaus frater Moys, comes Benedictus, Alexander comes, frater Sebus, Fyla comes, Petrus comes, frāter Marcelli, Nicolaus, magister Tauarnicorum, Michaël magister agazonum, Mauricius magister dapiferorum, Bagon magister pincernarum: uobis predictis, uener. P. B. Uesprimiensi episcopo,

et magistro Cognoscenti, canonico Strigoniensi, nuncio et capellano predicti domini legati, uice ac nomine Romane ecclesie et omnium ecclesiarum Ungarie, sponte ac deuote sine condicione, tactis sacrosanctis euangeliis promittimus et iuramus, quod in omnibus et per omnia bona fide tenebimus et obseruabimus nunc et in futurum omnia et singula capitula supradicta nos tangencia, et in iis, que tangunt predictum dominum nostrum regem, presentem uel alium qui pro tempore fuerit, dabimus studiose operam, rogando, hortando, consulendo in omnibus bona fide, quatenus omnia et singula capitula suprascripta, impleat penitus et obseruet.

Anno ab incarnacione D. N. I. C. MCCXXXIII. Pontific. domini Gregorii P. P. IX. anno septimo, die duodecimo, exeunte Augusto, fuerunt ista feliciter acta, in consistorio predicti domini Andree incliti regis Ungarie, ibidem presentibus uenerabilibus Cleto Agriensi, Bartholomeo Uesprimiensi episcopis, et dictis iobagionibus tunc iurantibus, et Michaële preposito Tytulensi, Uincencio A. diacono Sasuarensi, Iacobino de sancto Benedicto, canonico Cenadiensi, et aliis regni nobilibus quam pluribus existentibus in eodem consistorio, in silua que nominatur Bereg.

COLOMANNI DUCIS SCLAVONIÆ

LIBERTAS

HOSPITUM IN MAGNA VILLA WERÖCZE.

MCCXXXIV.

E mss. Stephani Kaprinai.

Colomannus dei gracia rex et dux tocius Sclauonie, uniuersis presens scriptum inspecturis salutem et omne bonum.

Que aguntur cum tempore, ne labantur cum eodem, prudentum stabiliuit prouidencia ea literarum testimonio roborare. noscat igitur tam presens uniuersitas quam futura, quod nos hospitibus nostris de magna uilla Uereucze tam ad presens existentibus quam superuenientibus talem constituimus libertatem.

(1) Ut et libere uenire possint cum omnibus pecuniis suis et recedere quo uoluerint, absque diminucione omnium rerum suorum, tam domibus suis diuenditis, quam aliis suis necessariis.

(2) Preterea concessimus eisdem quod si quis sine heredibus discesserit ex ipsis, possit pecuniam suam et omnia quecunque habuerit, cuicunque uoluerit, siue cognatis suis, siue pro remedio anime disponerè.

(3) Item constituimus eis quod nobis de qualibet uille porta quatuor pondera cum statera loci persoluere teneantur, siue plurime sint mansiones in una curia.

(4) Preterea constituimus quod nullus iudex in causis eorum ipsos possit iudicare, nisi solum uillicus eorum pro

tempore constitutus, cum ciuibus uille eiusdem cum iuratis, qui quidem coniurati ad facienda iudicia fuerint computati et destinati.

(5) Preterea statuimus ipsis iuxta libertatem ipsorum, ut in maiorem uille unum ex ipsis quem uoluerint eligant, et nos confirmabimus, relinquentes hoc in uoluntate ipsorum, ut annuatim, probato crimine maiores uille eorum deponere possint.

(6) Statuimus eciam eisdem, ut tributum in nullo loco dare teneantur extraneo. item constituimus eis concedentes, quod neque equos, neque currus, qui porosz uocantur, nec legaciones deferre, nec uictualia aliqua, nisi uno die pro munere, nec uictualia bani, qui zolusmoa uocantur, dare teneantur.

Et ut hec talis a nobis data libertas non possit reuocari, consensu et consilio omnium iobagionum nostrorum, uidelicet Iule bani, filiique eiusdem Iule magistri tauernicorum, Nicolai comitis de Zala, Opoy comitis de Simigio, Georgii comitis de Wolko et aliorum, literas nostras sigilli nostri munimine roboratas dare concessimus. datum anno domini millesimo ducentesimo trigesimo quarto.

BELÆ IV. REGIS

LIBERTAS HOSPITUM DE ZOMBATHELY.

MCCXXXVIII.

E tabulario l. et r. civitatis Tyrnaviensis.

In nomine sancte Trinitatis et indiuidue unitatis. Bela dei gracia Hungarie et cet. rex in perpetuum.

Regie maiestatis incumbit officio dispersa colligere et congregata conseruare, et populum sue dicioni subiectum

in pace tranquilla, sua cuilibet iura reddendo, confouere. cum igitur in comitatu Posoniensi locus qui Zombathely dicitur, hospitibus congregandis aptissimus uideatur, ciuibus et in eodem loco residentibus, et qui in posterum uenire uoluerint, talem concessimus libertatem:

(1) ut ad regiam coronam specialiter pertineant, nec cuiuscunque iurisdictioni donacione uel cuiuscumque translacionis modo committantur.

(2) Nec in exercitum, cui rex personaliter non interfuerit, uenire compellantur, sed de centum mansionibus unum militem omnibus necessariis militaribus honestissime preparatum mittere teneantur.

(3) Duellum uero nec inter se, nec eciam cum alienis committere, cuiusque iudicio constringantur, sed cuiusque quescionis materia duodecim hominum iuramento sopiatur, testes autem contra ipsos produci nequeant, nisi ex [illegible] uel alii hospites, qui consimili gaudeant libertate.

(4) Solius eciam regis iudicio, uel quem ipsi uille in uillicum prefecerint, adstare debeant. uillicum autem, aut quem ipsi communiter, uel eorum maior et sanior pars elegerit, habeant regali confirmacione accedente. qui si in aliquo minus idoneus inuentus fuerit, regis auctoritate a uillicacione repellatur.

(5) Idem autem uillicus omnes causas inter eos uel extraneos cum eis exortas iudicandi in quacunque lite ciuili uel criminali habeat facultatem. qui si in facienda iusticia repertus fuerit negligens uel imperitus, uel si uilla communiter contemnat, tum demum ad regis iudicium recurratur. et omnes qui in eandem uillam quocunque tempore habitandi causa conuenerint, uni uillico sint subiecti.

(6) Super solucione uero tributi eodem iure censeantur, quo ciues Albenses.

(7) Cum nummulariis autem seruiens comitis paro-

chiani, uel cuiuscunque alterius non incedat, sed uillicus monetam regiam in eadem uilla procuret, et iuxta legis constitucionem celebris habeatur.

(8) Uillicus eciam ipsorum una cum duodecim de melioribus de uilla ad exhibendam iusticiam deputatis hominibus eiusdem uille uel de aliis, pro crimine in eodem commisso, decapitacionis uel aliam quamcunque penam infligendi habeat potestatem, nisi nobilis exstiterit, cuius iudicium maiestati regie reseruetur.

(9) In institucione uero ..... quod eis ius commune conseruetur, uidelicet ut ipsi liberam eligendi plebanum habeant facultatem, quem archiepiscopo Strigoniensi representent, si idoneus fuerit confirmandum, saluo in omnibus iure Strigoniensis ecclesie super redditibus, quos de eadem ecclesia percipere consueuit. decimas uero more Teutonicorum in capeciis persoluant, prout hactenus usu est obtentum.

(10) Libere uero condicionis homines, undecunque inter eos habitare uolentes uenire uoluerint, omni impedimento cessante, saluis rebus et personis se transferendi habeant potestatem.

(11) Nullus autem comes, uel alio quocunque honore preditus, eis inuitis in ipsorum uilla ualeat hospitari. qui autem ..... contradicent hospitati fuerint, omnia mercimonia iusto precio debeant comparare.

(12) Si uero regem illuc uenire contingerit, iuxta facultatis modum ei sumptus necessarios administrent.

(13) Item nullus ipsorum hereditates et possessiones suas immobiles, in ipsorum terminis constitutas cuiquam uendere possit uel conferre, nisi ei qui nobis consimile seruicium cum ipsis ciuibus ipsius uille exhibebit.

(14) Item quicunque ex ipsis sine herede decesserint, bona sua mobilia cuicunque uoluerint conferendi, habeant facultatem.

Datum per manus M. Stephani, aule nostre cancellarii, anno dominice incarnacionis MCCXXXVIII. regni nostri anno tercio.

BELÆ IV. REGIS
LIBERTAS
HOSPITUM DE KARAKO ET CHRAPUNDORF.
MCCXXXVIII.

E transumto capituli Albensis anno 1290.

Bela dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Lodomerie Cumanieque rex. Ad uniuersorum noticiam, presencium et posterorum harum tenore uolumus peruenire, quod nos hospitibus nostris Saxonibus de uillis Karako et Chrapundorf talem concessimus libertatem:

(1) Ut quemcunque de communi consensu et uoluntate inter ipsos uoluerint et elegerint, sibi preficiant in uillicum, concedentes eisdem, ut in nulla causa coram quolibet iudice adstare uel respondere teneantur, sed .... ambe partes litigancium fierent ex ipsis, solus maior uille pro tempore constitutus, secundum ipsorum consuetudinem debeat iudicare. si autem alia pars litigancium erit ex ipsis, alia uero de hominibus extraneis, Uayuoda discuciet et definiet, nec uiceiudex eiusdem Uayuode eos in aliquo debeat uel audeat iudicare.

(2) Preterea concessimus, ut nullam collectam .... teneantur.

(3) Item concessimus eisdem atque statuimus, ut nullatenus Uayuoda quilibet pro tempore constitutus, super eos descensum facere presumat. nostram autem personam,

utpote regiam, cum omni debito et honore, sicut decet, cum illuc accesserimus, cum suis deliciis honorabunt.

(4) Preterea statuimus ut iidem homines cum quatuor militibus loricatis bene preparatis ac decenter armatis, cum totidem equis satis honestis et coopertis, ac duobus tentoriis sub nostro uexillo militare teneantur, et cum nostris militibus non in societate .... baronum nostrorum descendere teneantur.

(5) Terram autem, quam ex donacione antecessorum nostrorum possederunt, sub eisdem metis et terminis, quibus sub antiquo tenuerunt, pace perpetua eisdem reliquimus possidendam, nec eciam de uino, quod de propriis uineis eorum infra metas terre eorum cultis fuerit uindemiatum, tributa persoluant.

Datum in uilla Saxonum de Erkud, anno dominice incarnacionis millesimo ducentesimo trigesimo octauo. secundo idus Februarii. regni autem nostri anno tercio.

BELÆ IV. REGIS

CONDITIONES POPULORUM CASTRI GEURIENSIS.

MCCXL.

E transumto Caroli I. anno 1318.

Bela dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie Cumanieque rex. Omnibus Christi fidelibus presentem paginam inspecturis, salutem in domino Iesu Christo.

Ad uniuersorum noticiam harum serie uolumus peruenire, quod post adeptum deo propicio regni regimen, uidentes in obsequiis castrensium interuenire, confusionem

que quorundam antecessorum nostrorum temporibus non solum confusa et inordinata, sed pene penitus in preiudicium corone regie fuerant annullata, placuit ipsorum debita, subiuncta pensione designare. cum itaque condiciones et debita castri Geuriensis, sicut et ceterorum ordinaremus, inuenimus uinitores nostros in uilla Sagh, Nyul, et in uilla Cyrian, in uilla Ech, qui iuxta consuetudinem eorum inprimis per singulas mansiones de una uinea, quam ipsi iidem colebant, de media parte uini duas partes nobis, terciam uero comiti Iauriensi, media parte iis remanente pro cultura sua, soluere consueuerant, eorum condicionem et debita misericorditer duximus ordinanda:

(1) Quod iidem populi de qualibet mansione dent comiti Iauriensi uiginti cubulos bulgaricos de uino, et in festo s. Michaelis soluant comiti buchariorum unum pondus similiter de una quaque mansione, nec aliquid ei plus teneantur soluere. et omnino ad castrum ..... in nullo nobis teneantur.

(2) Item statuimus, quod iidem populi nec descensum comitis, nec liberos denarios, nec bouem, nec fistpenz, non debitum centurionis soluant, non centurionem habeant, sicut ceteri castrenses habere consueuerunt, et habeant inter se uillicum electum communi uoluntate.

(3) Uolumus eciam ut supra debitum eorum prius annotatum comes racione doni uel deliciarum nihil exigat ab eis. non iidem racione procuracionis nostre uel hospitum nostrorum aliquid dare teneantur, nisi nostre iis litere fuerint presentate, quid et quantum debeant dare, continentes.

(4) Item uolumus ne comes super eos descendat, non eum casualiter in eundo uel redeundo, seu alias transeundo, diucius descendat, et necessaria recipiat iusto modo, absque eorum lesione.

(5) Item statuimus ut curialis comes post se uicarium

non habeat, sed cum exierit de castro uices suas possit alteri committere usque ad reuersionem suam. non causam que ad destructionem uille, uel ad productionem libertatis, aliud ex ipsis urgere possit et iudicare presumat, sed comiti reseruet iudicandum.

(6) Item prohibemus ne curialis comes occasiones lucrandi querens, aliquos citari faciat, qui non habent aduersarios, imponendo illis quod suum maleficium celarent, uel cum parte aduersa preter ipsius conscienciam rem composuerint.

(7) Item statuimus ne curialis comes suum seruientem agentem iudicare presumat, sed comiti conseruet iudicandum, et comes non iudicet eos, nisi in presencia iobbagionum castri.

(8) Item statuimus ne ad presenciam iudicis extranei trahi possint preter suum comitem uel curialem comitem. sed si ipsi in exhibenda iusticia negligentes exstiterint, coram superiori conueniantur.

(9) Bilotum omnino abolemus.

(10) Item statuimus ut si tota uilla in iudicio remanebit inter iudicem et pristaldum nec non partem aduersam, soluant decem pensas pro iudicio. cum uero aliquis singulariter remanserit, soluat centum denarios similiter inter omnes.

(11) Item statuimus, si quis ex ipsis fratrem uterinum habens sine herede decesserit, non dicatur sine herede decessisse, sed frater eius uterinus pro filio ..... successores. si uero fratrem uterinum non habuerit, medietas bonorum decedentis ad uxorem et filiam uel filias, si habuerit, legitime deuoluatur, medietatem uero comes recipiat. si .... penitus prole caruerit, tercia pars bonorum decedentis sit uxoris, due partes autem ad comitem pertineant, sicut iustum et consuetum est.

(12) Item statuimus, ut cum iuramenta ad purgacio-

nem alicuius, seu alia de causa prestabunt, nonnisi duo denarii presbitero de qualibet persona pendantur.

(13) Item statuimus, ut decimatores et monetarios iobbagio castri bone fame, possessiones habens precedat, et in decimacione recipiat de qualibet mansione duos denarios persoluendos comiti. in decimacione uero nihil accipiat comes, nec det alicui pro certo precio, scientes quod si quis comitum in premissis obseruandis remissus aut negligeus inuentus fuerit, et honore priuabitur et regiam incurret indignacionem.

Ut igitur hec nostra ordinacio consilio baronum nostrorum facta a nemine ualeat retractari, presentes duximus concedendas, sigilli nostri dupplicis munimine roboratas. Datum per manus magistri Benedicti Budensis prepositi aule nostre uicecancellarii. septimo kalendas May, regni autem nostri anno quinto. anno uero incarnacionis dominice millesimo ducentesimo quadragesimo.

BELÆ IV. REGIS
LIBERTAS HOSPITUM IN ZAGRABIA.
MCCXLII.

E transumto anni 1366.

In nomine sanctissime Trinitatis et indiuidue unitatis. Amen.

Bela dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie Cumanieque rex in perpetuum. Regum celsitudo requirit, et sublimium dignitati debetur, ut tanto amplius in multitudine plebis gaudeat, quanto ipsi auctoritate antecellunt, hinc est quod tam pre-

sentibus quam posteris harum serie declaramus, quod cum nostre placuisset uoluntati, in Zagrabia in monte Grech ciuitatem liberam construere, et ibidem hospites conuocare, et illam partem regni ad securitatem confinii et alia commoda munire et firmare, conuocato consilio, cum dilecto et fideli nostro Dionisio Bano tocius Sclauonie et aliis regni principibus, nostram hanc intencionem et uoluntatem unanimiter approbantibus, nostrum propositum perduximus in effectum, concedentes ut in predicto monte libera ciuitas fiat, hospites libere conueniant, terras et possessiones, condiciones et libertates a nobis assignatas et subscriptas habeant, teneant et custodiant inconcussas. condiciones itaque et libertates hospitum predictorum, in predicto monte habitancium et conueniencium, quas ipsi inter se fecerunt, et nos approbamus, tales habent:

(1) Quod si iidem hospites in districtu Hungarie, Dalmacie, Croacie, Sclauonie spoliati per latrones uel alios malefactores fuerint, dominus terre in qua spoliati fuerint, estimata pecunie quantitate, iuxta arbitrium bonorum uirorum et sacramentum conciuium, ad hoc electorum, uel ablata refundat, uel malefactorem ostendere teneatur.

(2) Item tributa infra regales terminos in nullo loco soluere teneantur.

(3) Item quiscunque ciuis alium ciuem uituperiis, opprobriis aut contumeliis affecerit, si inde conuictus fuerit, leso decem pensas, in communes expensas centum denarios soluat. quod si post trinam correctionem se non emendauerit, rebus omnibus in commune applicatis, tanquam infamis de ciuitate turpiter expellatur.

(4) Si quis eciam alapam alteri dederit, uel per crines maliciose traxerit, eandem penam paciatur.

(5) Si quis uero cultello, gladio, lancea aut sagitta, aut aliquo tali modo alium uulnerauerit, uulneratusque sine defectu membrorum resanatus fuerit, medico lesi sa-

tisfaciat, et leso uiginti quinque pensas, quinque uero ad usus ciuitatis persoluat.

(6) Si uero in aliquo membrorum debilitatus fuerit, medico lesi satisfaciat, et leso decem marcas, et ad usus ciuitatis decem pensas soluere teneatur.

(7) Si uero mortuus fuerit, due partes rerum suarum cedant parentibus occisi, tercia pars ciuitati. si uero captus fuerit, secundum consuetudinem de ipso uindicta sumatur, nisi quis in ludo sine premeditata malicia aliquem interfecerit. in hoc enim casu centum pensas agnatis interfecti, uiginti uero pensas ad communes usus refundat interfector. cui si facultates non suffecerint, ciuium arbitrio relinquatur.

(7) Item si quis de extraneis intrans ciuitatem, siue in uico, siue in domo, siue in foro, similia ut supra notatum est perpetrauerit, per iudicem ciuitatis iudicetur, et eisdem penis subiaceat condemnatus.

(8) Si uero ex incolis ciuitatis aliquis, siue extraneus infra terminos ciuitatis in furto uel latrocinio deprehensus fuerit, per iudices ciuitatis puniatur.

(9) Item si quis extraneus aliquem de ciuitate in causa pecuniaria uel illata iniuria uoluerit conuenire, coram iudice ciuitatis conueniatur, et nulla causa ad duellum iudicetur, sed per testes et iuramenta terminetur, siue sit cum extraneis siue cum indigenis. testes autem eiusdem condicionis et libertatis, cuius isti, assumantur.

(10) Eodem modo siue extraneus inueniat apud incolas, siue incole apud extraneos equum aut bouem, aut aliquas res furtiuas, semper testes, ut supra dictum est producantur.

(11) Item ciues de predicta ciuitate, uel iobbagyones de uillis, et ad ipsam pertinentibus, que prope territorium ipsius ciuitatis fuerint site, nullius iudicio, nisi iudicio ciuitatis adstare teneantur.

(12) Quod si iudex suspectus habebitur, et actor legitimam causam recusacionis inallegauerit, conuocatis omnibus maioribus ciuitatis, ipso iudice presente, negocium decidatur. de quorum sentencia si adhuc contingeret dubitari, et actor importunus eos ad regis citauerit presenciam, solus iudex pro aliis omnibus ire teneatur.

(13) Eodem modo, pro quacunque causa iudicem ciuitatis et ciues, uel ciues solos ad regis presenciam si quis citaret, non tenetur ire nisi solus iudex ciuitatis.

(14) Quod si quis aliquem ciuem uel ciues, non requirens antea iusticiam sibi fieri a iudice ciuitatis, ad regem citauerit, pro illo uel illis iudex ire tenebitur, et ei citator refundet expensas, eo quod contempta auctoritate legalis priuilegii, sibi cogniti, irrequisito iudice ciuitatis, fatigauerit eum frustra laboribus et expensis.

(15) Ciues autem liberam habeant undecunque uoluerint eligendi facultatem iudicem ciuitatis nobis presentandum, et mutandi eundem annuatim pro sue arbitrio uoluntatis.

(16) Item si quis de ciuitate sine herede decesserit, de rebus suis mobilibus liberam habeat disponendi facultatem cuicunque uoluerit. res uero immobiles, domus, curiam, uineas, terram et beneficia, suorum conciuium habito consilio uxori sue uel alicui cognatorum suorum relinquat, ita tamen, quod nec per ipsum, nec per uxorem, nec per cognatos a iurisdictione ciuitatis possint alienari uel eximi uel auelli.

(17) Item si quis intestatus decesserit, et nec uxorem, nec filios uel cognatos habuerit, due partes rerum suarum per uiros fide dignos, consilio ciuium ad hoc deputatos, pauperibus et ecclesie ciuitatis eiusdem distribuantur, tercia uero pars ad utilitatem ciuitatis reseruetur.

(18) Item statuimus, quod in eadem ciuitate forum solemne duobus diebus in hebdomada, uidelicet die lune

et die Iouis celebretur, et preterea forum quotidianum quotidie habeatur.

(19) Uniuersitas uero ciuitatis supradicte nobis tenetur ad seruicia infra scripta: cum enim rex Hungarorum expedicionem ad partes maritimas, uel Carinthiam uel Austriam facere uoluerit, dicti ciues decem milites mittere teneantur cum armis militaribus apparatos, preterea domino regi, quando ipsum illuc ire contingeret, debent dare pro prandio duodecim boues, mille panes et quatuor tunellas uini, duci autem tocius Sclauonie, si sit de prole regia, medietatem predictorum dare tenentur.

(20) Bano uero pro tempore constituto, non tamen uicebano, nihil aliud soluere teneantur, nisi in principio introitus banatus unum bouem, centum panes, tunellam unam uini, semel quamdiu durauerit in banatu.

(21) Sane ab omnibus istis seruiciis usque quinquennium erunt liberi et immunes, transacto quinquennio tenebuntur.

(22) Item iidem ciues uoluntate spontanea super se assumserunt, quod expensis propriis dictum montem Grech muro firmissimo communirent.

(23) Ad sustentacionem autem hospitum in predicto monte habitancium dedimus terram circa eundem montem Grech, statuentes eam eisdem hospitibus sub certis metis et distinctis perpetuo possidendam.

Ut igitur dicta ordinacio nostra et dictorum libertas hospitum firma et inuiolabilis perpetuo perseueret, presens eis priuilegium concessimus, auree bulle munimine perpetuo confirmantes. Datum apud Vereucha, per manus magistri Benedicti, prepositi Albensis, aule nostre cancellarii, electi in archiepiscopum Colocensem. Anno incarnacionis dominice millesimo ducentesimo quadragesimo secundo. XVI. kalend. Decembris, regni autem nostri anno octauo.

BELÆ IV. REGIS
LIBERTAS HOSPITUM DE SZAMOBOR.
MCCXLII.

Ex apographo Kerchelichii.

Bela dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Galicie Cumanieque rex, omnibus Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem et omne bonum. Ubicunque nostri nominis interuentu posse credimus aliquibus subueniendum, pium nos decet adhibere fauorem, presertim ne ueritas occultetur, aut iniquitas preualeat equitati. eapropter ad noticiam uniuersorum uolumus peruenire, quod accedentes ad nostram presenciam hospites nostri de Zamobor, prope castrum Osckich existens, humiliter a nobis flagitarunt et instanter, ut modum et statum libertatis eorum de gracia et prouidencia pie memorie regis Colomanni, carissimi quondam fratris nostri, iuxta tenorem libertatis hospitum de Petrina liberaliter concesse, nostrarum auctoritate literarum dignaremur confirmare. Nos itaque considerata eorum utilitate, precibus ipsorum fauorabiliter annuentes, sub libertate iam facta ipsos duximus perpetuo statuendos. cuius seriem in priuilegio memorati fratris nostri taliter uidimus contineri:

(1) ut scilicet ipsos nullus iudicum nostrorum, preter maiorem uille eorum, quem uoluntarie elegerint, audeat iudicare. et si ab eorum iudice conquerentibus satisfieri non poterit, iudex eorum in nostra presencia, et non alias super ipsa causa citatus, debeat et teneatur respondere,

et si ipsi alias coram iudice, quem impeterent super aliquo, eius iudicetur iuramentum.

(2) Statuimus item, quod si banus eis ad ualorem unius marce damnum faceret, in centuplo eisdem restitueret.

(3) Tandem bano non aliud nisi domos suas occasione descensus dare teneantur, pro aliis uero necessitatibus precium recipiant.

(4) Et si aliquis ipsorum prole caruerit, tam ipso uiuente quam a seculo transmigrante, bona sua cuicunque uoluerit libere conferat retinenda.

(5) Et si aliquis de uilla super equo uel boue calumniatur, et ab aliquo pro quanto sacramentum facere presumserit, is calumnias testibus adstantibus restituat, et res pro qua causabatur ad requirentem deuoluatur.

(6) Et si quis ipsam uillam intrare uoluerit, moraturus, omnia bona sua, domus uidelicet et alia que possidet, omnibus scientibus liberam habeat uendendi facultatem, et recedens de uilla retineat eandem.

(7) Statuimus eciam ut sacerdotem, quemcunque uoluerint, in suam recipiant ecclesiam.

(8) De decimis eorum, prout mos est hospitibus ubicunque manentibus, disponant.

(9) Nec hoc tamen sub silencio uolumus preterire, quod predicti hospites nostri nobis annuatim pro collecta centum pensas, et pro tributo fori triginta pensas soluere teneantur.

Ut igitur enarrate libertatis series sepedictis hospitibus salua semper et irreuocabilis permaneat, presentem ipsam auctoritatem, ac duplicis sigilli nostri impressionem propensius confirmamus. Datum in uilla Wereuze. ann. dominice incarnacionis MCCXLII. regni uero nostri anno VIII.

BELÆ IV. REGIS
RESTITUTIO IURISDICTIONIS PRÆPOSITI BUDENSIS.
MCCXLIII.

E tabulario Strigoniensi.

Bela dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie Cumanieque rex, omnibus presentem paginam habituris salutem in domino. significamus uniuersis presentes literas inspecturis, quod quum magister Thomas, Budensis prepositus, ciues de ueteri Buda coram nobis traxisset in causam super iurisdictionibus sibi debitis, denegatis ab eisdem, iudicio scilicet uille et quibusdam aliis, nos iustam et debitam in allegatis parcium adhibendo diligenciam, auditis causarum meritis, habita deliberacione et consilio nostrorum principum, sicut per antiqua priuilegia et continuam possessionem dictam ecclesiam Budensem munitam fuisse constitit euidenter, ipsum prepositum, sicut iuris deposcebat racio, omni iurisdictione dicte uille Budensis ad plenum restituimus, ita scilicet:

(1) quod dictus prepositus iudicem suum, quemcunque uoluerit, siue de uilla eadem, siue alia constituet, qui super omnibus causis in ipsa uilla et dictis ciuibus incidentibus, auctoritate prepositi iudicandi habebit facultatem. adiicientes porro pro utilitate communi et declaracione iusticie, ut ciues dicte uille sex homines fide dignos dicto presentent preposito, qui si ab eodem merito acceptati fuerint, iidem cum iudice prepositi in causis solummodo

sanguinis, uel ammissione omnium bonorum assideant et cognoscant. mutandi tamen in ipsa presentacione, quem uel quos uoluerit, ex iusta causa, seu eciam postquam admissi fuerint, si aliquis uel aliqui de supra dictis sex processu temporis inutilis uel suspectus, aut inutiles uel suspecti habeantur ab ipso preposito, prepositus remouendi, et alium substituendi ex eisdem ciuibus, consensu ciuium liberam habebit facultatem.

(2) Preterea, quia mercenarius omnis sua mercede dignus esse dignoscitur, adiiciendum duximus ut iam in dictis causis sanguinis et amissione omnium bonorum, in quibus supradicti sex ciues a preposito fuerint admissi, de eisdem iudiciis terciam partem iudiciorum pro salario accipiant.

(3) Ceterum uolumus et sancimus, quod si ciues dicte uille priuilegium uel instrumenta aliqua ante presencium composicionem litterarum habuerint, que contra aliquod supra dictorum facere uideantur, auctoritate presencium omnino in irritum reuocamus, nec deinceps effectum aliquem consequantur.

Ut igitur supra dicta restitucio perpetue firmitatis robur obtineat, nec per predictos ciues uel suos posteros possit aut debeat retractari, presentes litteras sepe dicto preposito concessimus, duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum Albe, tercio nonas Iulii, anno gracie millesimo ducentesimo quadragesimo tercio, regni autem nostri anno octauo.

BELÆ IV. REGIS
LIBERTAS NOBILIUM DE SCEPUS.
MCCXLIII.

E transumto Caroli I. ann. 1312.

Bela dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie Cumanieque rex. Omnibus Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in omnium saluatore.

Quum in multitudine populorum regum gloria ac principum summopere accendatur, non immerito regalis celsitudo de suis subiectis prouisionibus amplioribus debet ordinare, ut iidem felicitate et numero augeantur. ad omnium itaque noticiam, tam presencium quam posterorum presentis scripti testimonio uolumus peruenire, quod nos uniuersis nobilibus de Scepus eandem quam ab antiquo habuerunt conseruare uolentes libertatem, statuimus:

(1) Quod nullus ipsorum aliquam collectam uel exactionem soluere teneatur, nisi ipsa collecta ad seruientes regis et alios quoslibet nobiles fuerit generalis.

(2) Item per fora et portas eiusdem Scepus nullum tributum ipsi nobiles et sui iobbagyones persoluant.

(3) Item in expedicione facta sub nostro uexillo, quatuor, qui habent terram octo aratrorum sufficientem, unum mittere debeant decenter annatum.

(4) Item comes de Scepus nec ipsos nec eorum iobbagyones, possit iudicare nisi in causis furti, monete et

decimarum. super causis autem minutis inter se ortis definiendis, ipsimet possint iudicem eligere, quem uellent, et si super aliquo inter eos duellum contingat iudicari, nonnisi in presencia nostra debeat terminari.

(5) Item comes de Scepus nullum descensum super eos possit facere uiolentum.

(6) Item si quis de ipsis sine herede decesserit, uniuersa bona, tam mobilia quam immobilia ipsius, cui filia si habeat, uel relicta si nupserint succedant. sed illa ad eadem seruicia teneatur, ad que decedens, cui succedit fuit obligatus.

(7) Item si super aliquo dubium oriatur, quod per sacramentum debeat certificari et purgari, de prestito sacramento XL denarios et non plures persoluant.

(8) Item si aliquis ipsorum conuincatur super aliquo furto, soluere debeat iudicium iuxta nobilium terre consuetudinem approbatam.

Ut igitur huius libertatis status uel series in posterum inconcussa permaneat, nec alioquin successu temporis per quempiam in irritum possit reuocari, uel aliquatenus queat retractari, ad eius firmam stabilitatem literas nostras concessimus testimoniales, duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum anno gracie MCCXLIII. VII. Idus Iunii, regni autem nostri anno VIII.

ALBERTI PRÆPOSITI
LIBERTAS CIVIUM DE IASZO.
MCCXLIII.

E transumto anni 1295.

Albertus miseracione diuina prepositus de Iazou, totusque conuentus loci eiusdem, uniuersis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris presens scriptum inspecturis, salutem in omnium saluatore.

Ne gestis antiquitas ualeat nouercari, et ea que racionabiliter aguntur in tempore, ne cum ipso facilius elabantur, solers hominum caucio adinuenit patrocinio scripturarum communiri. proinde ad uniuersorum tam presencium quam futurorum noticiam harum serie litterarum uolumus peruenire: quod nos populis ecclesie b. Ioannis Baptiste de Iazou, ut numerus ipsorum magis ac magis augeatur et accrescat, de bona nostra uoluntate et communi consensu omnium fratrum nostrorum hanc duximus libertatem conferendam:

(1) Ut de qualibet curia integra in festo b. Martini confessoris tria pondera argenti, cum statera eiusdem ciuitatis pro terragio dare teneantur. de uineis uero, et de terris suis siue empticiis siue exstirpatis, siue qualicunque modo acquisitis, nihil omnino persoluebunt.

(2) Unum uero molendinum, cum quotcunque rotis sit ordinatum, debitum unius curie integre persoluebit.

(3) Item fabri, carpentarii, sartores, pistores, carnifices, pelliones, et his consimiles, qui ad ordinem uille

non sedent, sed in curia aliorum residendo querunt uictus suos, duodecim denarios pro tempore existentes annuatim monasterio persoluebunt.

(4) Item in duobus festis, uidelicet in festo b. Michaelis archangeli, et in natiuitate domini, quilibet ipsorum pro sua possibilitate de domo sua muneribus decentibus tenebitur honorare. in festo uero b. Ioannis Baptiste de tota uilla unum arietem, lagenam cereuisie, et de qualibet curia integra unam tortam dare tenebuntur.

(5) Item uillicum, quemcunque uoluerint, communi uoluntate inter se eligent eo tempore, qui omnes causas, preter tria, uidelicet: homicidia, effusionem sanguinis et uiolencias, iudicabit, et iudicia tollet eorundem.

(6) Si uero iuramentum sit inter ipsos, in ecclesia b. Michaelis archangeli iurabunt, et denarios purgacionis tollet sacerdos ecclesie memorate.

(7) Predictas uero tres causas uillicus eorundem et homo noster interiudicabunt, et due partes iudiciorum, cum duabus partibus purgacionum, si in discuciendis ipsis causis eorum fiet iuramentum, cedunt monasterio, tercia uero pars cedit uillico eorundem.

(8) Item sacerdotem quem uoluerint pro tempore, communi eligent uoluntate, et decimas suas sacerdoti, more Teutonicorum relinquent in agro.

(9) Item de collecta domini regis dimidiam partem persoluebunt.

(10) Item sine herede decedentes uniuersa bona sua, tam in rebus mobilibus quam immobilibus, cuicunque uel quocunque uoluerint, liberam habebunt legandi facultatem.

(11) Item clara luce uenient, et uenditis uniuersis edificiis suis clara luce recedent libere et secure.

(12) Item in aquis piscandi et in siluis uenandi, seu

qualecunque genus metalli querendi seu utendi liberam habebunt facultatem.

(13) Item feria secunda liberum forum eis et aliis omnibus fieri permisimus inter ipsos.

(14) Ut igitur hec libertas robur habeat perpetue firmitatis, et ne processu temporis per quempiam successorum nostrorum quoquo modo ualeat irritari seu retractari, presentes concessimus literas, nostri sigilli et fratrum nostrorum munimine roboratas. Datum anno domini MCC quadragesimo tercio.

BELÆ IV. REGIS
CAPITULA PACIS
DUCI ET COMMUNITATI VENETIARUM
IURAMENTO FIRMATA. MCCXLIV.

E pactis Venetorum I. 338.

Nos Bella dei gracia rex Hungarie tenore presencium scire uolumus uniuersos, quod uiris nobilibus et discretis Stephano Iustiniano et Petro Dandulo, nunciis et procuratoribus dilecti amici nostri Iacobi Theopuli illustris ducis Venetorum, promisimus nomine dicti ducis et communitatis Veneciarum iuramento corporaliter prestito, tactis sacris, quod uniuersa et singula capitula infrascripta obseruabimus et attendemus bona fide et sine fraude absque ullo malo ingenio, et obseruari a nostris inuiolabiliter faciemus.

(1) Uidelicet quod dicto duci et suis successoribus ueram, firmam et perpetuam pacem et amiciciam obseruabimus.

(2) Item quod dictum ducem et Venetos permittemus tenere ciuitatem Iadriensem cum pertinenciis suis, sicut ciues Iadrienses tenuerunt, absque ulla inquietacione uel contrarietate, nec intromittemus nos per nos uel nostros successores, aut per nostros homines de ciuitate Iadriensi cum suis pertinenciis in perpetuum.

(3) Item non permittemus uel consenciemus, imo fidelibus nostris dabimus districtius in mandatum, et specialiter Cachetis et Iadertinis omnibus, qui exierunt ciuitatem Iadriensem et sunt sub potestate nostra, ut homines ducis Iadrie commorantes et alios Venetos non presumant de cetero molestare, uel aliquam iniuriam seu offensam inferre.

(4) Item quod memoratos Iadertinos qui exierunt ciuitatem, et sunt uel esse uolunt sub potestate nostra et in terra nostra, remouebimus a districtu Iadriensi et Nonensi, et collocabimus eos infra quatuor menses remocius a mari, ut non possint nocere commorantibus Iadre et aliis Venetis.

(5) Item nullam conuencionem, nullum pactum, nullam confederacionem et nullam societatem cum aliqua uel aliquibus personis contra iam dictum ducem et suos successores, ac eciam contra communitatem Veneciarum, nec aliquod consilium uel auxilium inimicis ipsius ducis uel suorum successōrum, seu communitatis Veneciarum impendemus aut impendi paciemur contra dictum ducem et communitatem Ueneciarum, nec ipsos inimicos, aut ipsorum amicos aut homines per terram nostram transire permittemus, contra prefatum ducem et communitatem Ueneciarum.

(6) Item cum requisiti fuerimus a predicto duce uel ipsius successore, prout decet ab amico, consilium et auxilium impendemus contra suos inimicos et infideles, maxime circa maritima, sicut consueuit amicus amico iuuare, si poterimus cum bono et honore et salute regni nostri.

Ad maiorem autem firmitatem predictorum literas presentes nostro sigillo fecimus communiri. datum in castris iuxta castrum Galas. anno domini millesimo ducentesimo quadragesimo quarto. II. kal. Iulii.

BELÆ IV. REGIS
LIBERTAS HOSPITUM DE PESTH.
MCCXLIV.

E Thomæ de Nyir-Kallo Stylo Cancellariæ. a. 1466.

In nomine sancte trinitatis et indiuidue unitatis. amen. Bela, dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie Comanieque rex in perpetuum. omnibus Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in omnium saluatore.

Quum in multitudine populorum regum ac principum gloria summopere attendatur, non inmerito regalis decreuit sublimitas suos subditos promisionibus amplioribus ordinare, ut populus, sibi seruiendo, fidelitate et numero augeatur. ad uniuersorum igitur noticiam presencium ac posterorum, harum tenore uolumus peruenire, quod quum tempore persequucionis Tartarorum, quorum impetus et seuicia, domino permittente, grande dispendium intulit regno nostro, hospites nostri de Pesth, priuilegium super ipsorum libertate confectum et concessum amississent, nos seriem libertatis memorate, quum esset notoria, duximus renouandam et presentibus annotandam, que talis est, uidelicet:

(1) quod in expedicionem, in quam personaliter ibimus, debent nobiscum mittere decem milites decenter armatos.

(2) Item infra limites regni nostri ab omni tributo, salua tricesima et saluo iure ecclesie Budensis, quantum ad tributa de salibus exigenda, sint exemti.

(3) Item de uineis eorum cibriones nullatenus exigantur.

(4) Item nullus principum nostrorum uiolentum descensum facere possit super eos, nec aliquid contra eorumdem recipere uoluntatem, sed descendens iusto precio sibi necessaria debeat comparare.

(5) Item, quod nullus hospes ex ipsis possessiones suas uel domos uendere ualeat alicui extraneo, nisi in eadem uilla uolente amodo habitare.

(6) Item quicunque ex ipsis sine herede decesserit, possessiones dimittendi habeat facultatem, cui uolet.

(7) Item quicunque ex eis possessiones emerit, si per annum et diem nullus ipsum super hoc impetierit, de cetero eos sine contradictione aliqua possideat pacifice et quiete.

(8) Item habeant liberam electionem plebani, quum eorum ecclesia uacuerit, nec plebanus uicarios constituet iis inuitis.

(9) Item ipsi maiorem uille sibi eligant, quem uolent, et nobis electum presentent, qui omnes causas eorum mundanas debeat iudicare, sed si per ipsum debita iusticia alicui non fuerit exhibita, ipse uillicus et non uilla, debeat conueniri coram nobis, uel illo cui duxerimus committendum.

(10) Item uicepalatinus uiolenter descendere non possit super eos, nec eosdem iudicare.

(11) Item omnia, que post recessum Tartarorum eis contulimus, possint sine contradictione qualibet possidere.

(12) Item quicunque cum eis habitare uoluerit, habendo ibi possessiones, cum iis teneatur seruicia debita exercere.

(13) Item duellum inter eos non iudicetur, sed secundum qualitatem et quantitatem commissi, super quo quis impetitur, purgacionem exhibeat congruentem.

(14) Item quum impetiti fuerint per quempiam extraneum, non possint produci testes contra eos nisi ex ipsis uel aliis habentibus consimilem libertatem.

(15) Item tam terram Kuer, quam eis de nouo contulimus, quam alias, quas prius habuerunt, diuidant in communi, habita contemplacione facultatum cuiuslibet, quantam possit facere araturam, ne terre supra dicte inculte maneant et inanes.

(16) Item naues et carine, descendentes et ascendentes cum mercibus, et currus apud eos descendant, et forum, sicut prius, habeant quotidianum.

(17) Item minor Pesth, ultra Danubium sita, quantum ad naues ascendentes et descendentes et cibriones non soluendos, consimili gaudeat libertate.

(18) Item homo magistri Tauernicorum nostrorum non debeat stare cum monetariis inter ipsos, sed unus ex ipsa uilla fide dignus illis associetur, qui super recepcione monete regalis curam habeat peruigilem et undique diligentem.

Ut autem huius prenominate libertatis series salua semper et inconcussa perseueret in posterum, nec aliquo successu temporum possit aliquatenus retractari, presentem eis paginam duximus concedendam, charactere bulle nostre auree perhenniter roboratam. uerum, quia exhibicio priuilegiorum ipsorum, existens sub aurea bulla, propter uiarum discrimina esse periculosa uidebatur, transcriptum eiusdem de uerbo ad uerbum, sub munimine duplicis sigilli nostri concessimus, eam presentibus fidem uolentes adhiberi, ut ad exhibicionem illius nullatenus compellantur. Datum per manus uenerabilis patris Benedicti, Colocensis archiepiscopi, aule nostre cancellarii. anno ab in-

carnacione domini millesimo ducentesimo quadragesimo quarto, regni autem nostri anno nono, et octauo Kal. Decembris.

STEPHANI ARCHIEPISCOPI STRIGONIENSIS
LIBERTAS
INCOLARUM OPPIDI KERESZTUR. MCCXLVI.

E tabulario Strigoniensi.

Stephanus archiepiscopus Strigoniensis incolis oppidi Keresztur has dedit libertates: nimirum quod hospitibus, qui ad terram sancte crucis in Susal uenire uoluerint, tam sibi quam comiti suo per triennium non soluant. libertatem autem tam presentibus quam futuris talem concessit:

(1) Decimas suas dimittent in campo more Teutonicorum.

(2) Item de uno aratro soluent comiti suo unum fertonem. hi qui sunt sine aratro, et in domibus aliorum, soluent unum pondus et dimidium hospiti suo.

(3) Item femine ad multas causas legitimas admittuntur, excepta causa furti.

(4) Cum uicini ad purgacionem faciendam non ueniunt, tunc mulier admittitur ad faciendam purgacionem cum iuramento. et si iurauerit soluet sacerdoti duodecim denarios. si non iuret, soluet maiori uille.

(5) Item in omnibus causis pecuniariis, preter uindictam sanguinis, pro mulcta debent dare sexaginta denarios. in criminalibus causis puniuntur more hungarico.

(6) Item de rebus morientis sine herede comes accipiet unam, quam uoluerit. de ceteris moriens disponet pro sua uoluntate. si uero intestatus decedet, deuoluantur

bona sua ad uxorem uel ad filiam suam, si habet, saluo tamen iure comitis sui, ut predictum est. de ceteris disponat sicut uoluerit.

(7) Item pro homicidio uel aliquo alio maleficio mariti, si maritus fugiat, uxor non damnatur, sed cum omnibus bonis suis libere in domo sua permanebit.

(8) Item comes ipsorum eos inuitos ad dicendum testimonium non mittet nec compellet.

(9) Item si quispiam recedere uoluerit, datis duodecim denariis libere recedet, et poterit domos suas, et alia bona, que habebit, hominibus de eadem uilla uendere, sed destruere non audeat nec transferre.

(10) Item comiti debent dare pro descensu semel in anno dimidiam marcam, et uicecomiti dimidium fertonem.

(11) Item in causis que in uilla ipsorum oriuntur, testes extranei contra eos non admittuntur, antequam duo, uel saltem unus de eadem uilla producantur.

(12) Item maiorem uille ex se eligent quem uoluerint, et electum nobis presentabunt approbandum, qui causas usque marcam inter ipsos iudicabit.

(13) Maiores uero causas, scilicet sanguinis, uel ultra marcam, iudicabit comes cum uillico et aliis maioribus de uilla. sed si maiorem uille pro suis excessibus remouere uoluerint, de nostra consciencia remouebunt.

(14) Item prestaldus in maioribus et minoribus causis non debet plus habere, nisi quadraginta denarios. et fures ipse prestaldus detinebit usque ad decisionem cause sue.

(15) Item postquam ipsi deo uolente multiplicati fuerint, et nos illic uenire contigerit, nobis delicias facere tenebuntur.

Ut autem premisse libertatis series firma sit et stabilis, presentes dedimus literas sigilli nostri munimine roboratas. Datum anno gracie MCCXLVI. pridie Nonas Februarii.

BELÆ IV. REGIS
LIBERTAS HOSPITUM DE LUPRECHTHAZA.
MCCXLVII.

E transumto anni 1783.

Bela dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie Bulgarieque rex. Uniuersis Christi fidelibus presentes literas inspecturis, salutem in domino. quod regia authoritate sancitur, firmum debet stabilitate consistere. ad uniuersorum igitur noticiam, presencium et posterorum, harum serie uolumus peruenire: quod accedentes ad nostram presenciam hospites nostri carissimi de Luprechthaza, a nobis diligenter postularunt, ut libertatem quam eisdem hospitibus nostris super ipsam terram Luprechthaza concessimus perpetualiter, dedimus et contulimus et eorum posteritatibus possidendam, nostro dignaremur priuilegio confirmare. quorum libertatis series talis est:

(1) Ut ad ipsam homines secure ueniant, et libere commorentur, et cum uoluerint recedant, saluis semper omnibus rebus, et uendendis suis utilitatibus, quas fecerint super eandem.

(2) Ad iudicium uice nostri iudicis, exceptis tribus: sanguine, furto uidelicet et homicidio, in nullo pertinere dignoscantur. sed in omnibus aliis causis eorundem, iudicium audiant maioris uille ipsorum, de quibus uidelicet tribus iudiciis tercia pars uillico eciam eiusdem uille cedat.

(3) Decimas uero eorundem in frugibus et in uino prestent sacerdoti ipsorum, quem ipsi elegerint.

(4) Ecclesia uero eorum ad archiepiscopatum Strigoniensem contineatur, et sit sine iurisdictione magistratus.

(5) Plebano uero eorundem de quinquaginta mansionibus dent unam marcam. et cum aduenerint fertiones, dent prandium et cenam una die. in quolibet uero anno nihil magis soluere teneantur, nisi in festo s. Michaelis de qualibet porta duo pondera. et cum collecta regis per totum regnum exigetur, ipsi partem collecte dicte soluere teneantur.

(6) Ad ipsam autem congregati cuiuslibet condicionis et lingue homines una fungantur libertate.

(7) Utilitates uero dictarum terrarum, tam moncium quam uallium et aquarum, ac eciam quantum possunt uno die cum porcibus et pecoribus ad siluam Beregh peruenire, percipiant sicuti uolunt, et in eadem silua ligna mactare.

(8) Si quis autem hominum sui heredis solacio careret, id est filio et filia, et tunc de rebus eiusdem siue possessione, nichil dominus uicecomes recipere teneatur, sed cuicunque uolet liberam habeat dandi seu dimittendi facultatem.

(9) Forum habeant die sabatho, et tam ementes quam uendentes nihil magis soluere teneantur, nisi de quolibet curru unum denarium.

(10) Uice autem comiti nostro ad eosdem uenienti.... dent prandium et cenam uno die.

(11) Si autem liberos homines ad ipsam terram uenientes molestauerint, et prohibendo damnauerint, iram regiam incurrent, et sencient manus nostras.

In cuius rei testimonium et memoriam dedimus presens scriptum. datum anno domini MCCXLVII.

BELÆ IV. REGIS IURA IUDÆORUM.

MCCLI.

E transumto Mathiæ I. regis.

Bela dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie Comanieque rex, omnibus Christi fidelibus presentes literas inspecturis, salutem in omnium saluatore.

Quum uniuscuiusque condicionis homines in nostro regno commorantes uolumus gracie et beneuolencie nostre percipienciam inuenire, Iudeis uniuersis in regno nostro constitutis hec iura ordinauimus ipsis inuiolabiliter obseruanda.

(1) Statuimus itaque primo: ut pro pecunia a mobili aut pro re immobili, aut in causa querimoniali que tangit personam aut res Iudei, nullus Christianus contra Iudeum, nisi cum Christiano et Iudeo in testimonium admittatur, nisi factum adeo sit notorium et manifestum ut in dubium nequeat reuocari, et nulla egeat probacione. et istud temperamentum in quolibet capitulo huius priuilegii uolumus obseruari.

(2) Item si Christianus Iudeum impetit, asserens quod ei sua pignora obligauit, et Iudeus hoc diffidetur, si Christianus Iudei simplici uerbo fidem adhibere noluerit, Iudeus iurando equiualenter sibi obligato suam intencionem probabit, et transiet absolutus.

(3) Item si Christianus obligauerit pignus Iudeo, affirmando quod Iudeo pro minori obligauerit quam dicat, iu-

rabit Iudeus super pignore sibi obligato, et quod iurando probauerit, ei soluere non recuset.

(4) Item si Iudeus Christianum testibus non assumtis dicat se pignus obligasse, et ille negauerit, super hoc Christianus sui solius iuramento se expurget.

(5) Item Iudeus recipere poterit nomine pignoris omnia que sibi fuerint obligata, quocunque nomine uocentur, nulla de hoc requisicione facta, exceptis indumentis ecclesiasticis, nisi obligentur per prelatum ecclesiasticum, et uestibus sanguinolentis et madefactis, quas nullatenus acceptabit.

(6) Item si Christianus impetiuerit Iudeum, quod pignus quod Iudeus habet furtim aut per uiolenciam sit ablatum, Iudeus iuret super illo pignore, quod quum recepit, furtim esse ablatum aut raptum ignorauit, hoc in suo iuramento implicito, quanto sit pignus huiusmodi obligatum. et sic probacione facta Christianus debitum pro quo obligatur, sine diminucione persoluat.

(7) Item si aut per casum incendii, aut per furtum, aut per uim suas res cum obligatis sibi pignoribus amiserit, et hoc confitetur, et Christianus qui obligauit nichilominus eum impetit, Iudeus iuramento proprio absoluatur, nisi factum fuerit notorium et manifestum, ut est ante dictum.

(8) Item si Iudei de facto inter se discordiam mouerint aut guerram, iudex ciuitatis nostre nullam sibi iurisdictionem uendicet in eosdem, sed nos aut summus noster cancellarius iudicium exercebit. si autem reatus uergit in personam, soli nostre persone hic casus reseruabitur iudicandus.

(9) Item si Christianus Iudeo qualecunque uulnus inflixerit, reus nobis soluat penam secundum consuetudinem regni, uulnerato duodecim marcas argenti et expensas, quas pro suimet curacione expenderit medicine.

(10) Item si Christianus Iudeum interemerit, digno

iudicio puniatur, et omnia eius mobilia et immobilia in nostram transeant potestatem.

(11) Item si Christianus Iudeum ceciderit, ita tamen quod sanguinem eius non effuderit, soluet nobis iudicium secundum consuetudinem regni percussor quatuor marcas argenti. si pecuniam habere non poterit, alia pena que nobis uidebitur puniatur.

(12) Item ubicunque Iudeus dominium nostrum transierit, nullus ei aliquod impedimentum prestabit, nec molestiam prestabit aut inferet, nec grauamen. sed si aliquas merces uel alias res duxerit, de quibus tributa debeant prouenire, per omnia tributorum loca nonnisi debitum soluat tributum, quod solueret unus ciuium illius ciuitatis, qua Iudeus eo tempore demorabitur.

(13) Item si Iudei iuxta suam consuetudinem aliquem ex mortuis suis, aut de ciuitate in ciuitatem, aut de prouincia ad prouinciam, aut de una terra ad aliam duxerint, nihil ab eis a tributariis nostris uolumus extorqueri. si autem tributarius aliquis extorserit, ut predo mortui puniatur.

(14) Item si aliquis iactauerit temerarie super scholas Iudeorum, iudici Iudeorum marcam et dimidiam uolumus ut persoluat.

(15) Item si Iudeus iudici suo in pena pecuniali reus inuentus fieret, nonnisi duodecim denarios soluat.

(16) Item si Iudeus per edictum sui iudicis primo et secundo non uenerit, pro utraque uice soluat iudici quatuor pro iudicio memorato. si ad tercium edictum non uenerit, soluat uiginti sex.

(17) Item si Iudeus Iudeum uulnerauerit, suo iudici marcam et dimidiam in penam soluere non recuset.

(18) Item statuimus ut nullus iuret pro re modica super librum Moysis, qui podale appellatur, nisi ad nostram uocatus fuerit maiestatem.

(19) Item si fuerit Iudeus clam interemptus ut per

testimonium constare non posset amicis suis quis eum interemerit, si prius per inquisicionem factam aliquem suspectum repererit, et iustas ac probabiles suspicionis causas ostenderit, huiusmodi negocium duello uolumus terminari.

(20) Item si Christianus alicui Iudeorum manum iniecerit uiolentam, pena condigna, que quodammodo truncacioni manus correspondeat, uolumus condempnare.

(21) Item iudex Iudeorum nullam causam ortam inter Iudeos in iudicium deducat, nisi per querimoniam fuerit inuitatus.

(22) Item si Christianus a Iudeo pignus suum absoluerit ita, quod penam impositam non persoluerit, si eidem penam infra mensam non soluerit, illis penis increscant pene.

(23) Item in domo Iudei nolumus hospitari.

(24) Item si Iudeus super possessionem aut literas magnatum regni pecuniam mutuauerit, et hoc per suas literas et sigillum probauerit, nos Iudeo possessionem assignabimus obligatam, et eos contra uiolenciam defensabimus, et faciemus eum percipere fructus prouenientes, donec Christianus appareat, qui uelit redimere omnes possessiones taliter obligatas. super Christianis tamen in eisdem possessionibus existentibus Iudeum aliquam iurisdictionem nolumus exercere.

(25) Item si aliquis uel aliqua puerum abduxerit, ut fur uolumus condempnetur.

(26) Item si Iudeus receptum a Christiano pignus per spacium anni tenuit, si pignoris ualor mutuatam pecuniam et penam non excesserit, Iudeus iudici suo pignus demonstrabit, et prius ea uendendi habeat libertatem.

(27) Si quod pignus per annum et dum ultra terminum conuencionis apud Iudeum absque ulla protestacione remanserit, nulli supra hoc postea respondebit.

(28) Item uolumus ut nullus Iudeum super solucione pignorum in sua feriali die audeat coercere.

(29) Item quicunque Christianus Iudeo per uim abstulerit pignus suum, et quid uiolenter in domo sua exercuerit, ut uiolator camere nostre grauiter puniatur.

(30) Item contra Iudeum super causis inter se exortis, nusquam per suum iudicem in iudicio proceditur.

(31) Statuimus eciam, quod si iudex ciuitatis, in qua Iudei morantur, noluerit eosdem secundum tenorem huiusmodi nostri priuilegii iudicare, sed contra statuta consuetudinis et libertatum ipsorum hactenus obseruata aggrauare uoluerit, priusquam nobis per ipsos innotuerit, remoueatur, et alius de nostra sciencia constituatur.

Ut autem hec nostra constitucio perpetuam obtineat firmitatem, presentes concessimus literas, duplicis sigilli nostri munimine roboratas. datum anno ab incarnacione MCCLI. nonas Decembris. regni autem nostri anno XVI.

STEPHANI BANI SCLAVONIÆ
IURA
NOVÆ CIVITATIS IN MONTE IABLANICH
MCCLI.

E Lucio de regno Dalmatiæ IV. 9.

Nos Stephanus, Banus tocius Sclauonie, uolumus scire uniuersos, quod nos considerata fortitudine montis Iablanich et inspecta utilitate eiusdem, collocare uolumus nouam ciuitatem ad honorem domini regis Hungarie super eodem. populi autem Arbensis insule, missis solemnibus nunciis suis, uidelicet iudice Andrea de Catopagna et Do-

migna Gamberta, a nobis locum in eadem ciuitate Iablanichii, qui ex ipsis se ibi colocare uoluerint, clare postularunt, promittentes, quod in ipsum et in ipsam ciuitatem populos congregarent, et utilem facerent illum locum amenum cum nostro adiutorio, ad commodum domini regis honorem. quorum condignas peticiones admittentes, nos locum eis, qui ex ipsis illuc conueniunt, ibi moraturi, duximus concedendum ita uidelicet:

(1) quod unum castellum in uertice ipsius montis, omni expensa nostra, pro domino rege edificetur, circumquaque autem pro utilitate populi ibi commorantis, eamdem libertatem, qua utuntur Traguriensis et Sibinicensis et alie ciuitates regis, in maritimis iuxta mare constitute.

(2) Hoc autem expresse constituimus, quod comitem sibi habeant eligere de regno domini regis et de fidelibus eius, quemcunque uoluerint: iudices uero et consiliaros eligant ex populis Arbensibus, in eadem ciuitate commorantibus.

(3) Si autem iidem populi Arbenses illum locum Iablanich utilem et amenum, ac forum in eodem facere potuerint, cum nostro adiutorio, ut promiserunt, quarta pars tocius lucri et tributi, que pro domino rege, et pro domino bano tam de foro, quam aliunde, in eadem ciuitate exiguntur, ad usum populorum Arbensium, cum tota familia domus sue ad honorem regis, in eadem ciuitate commorancium ministretur, tres uero partes ad usum regis et bani recipiantur.

(4) Si quis ex populis Arbensibus caussa negociacionis per regnum domini regis ire uoluerit, liberam eundi et redeundi facultatem habeat: nullus quidam presumat illum impedire uel aliquatenus molestare. sin autem illum contingat in regno regis amittere bona sua, nos pro corde et uera fide conabimur requirere ablata fideliter una cum eodem.

(5) Aduersarii quippe et inimici Arbensium, morari in eadem ciuitate uolentes, non suspiciantur ullo modo.

(6) Mercatores autem Arbenses in eadem ciuitate Iablanich nullum tributum soluere teneantur.

(7) Terras autem ad Iablanich pertinentes, uidelicet a Sewniza usque ad Scrisam, habitatoribus Iablanich relinquimus pacifice possidendas, nec animalia extraneorum illas a modo depascantur sine illorum uoluntate, neque colantur ab extraneis ullo modo.

Ut autem huius ordinacionis series facte salua consistat, presentem paginam nostram, munimine sigilli nostri concessimus, quam illustris dominus rex Ungarie suis regalibus litteris, si ad ipsum peruenerint, confirmabit, si hec premissa prouide ordinata esse sibi dignoscentur. datum in Bresan anno domini millesimo ducentesimo quinquagesimo primo.

STEPHANI BANI SCLAVONIÆ
LIBERTAS
HOSPITUM NOVÆ VILLÆ IN CRISIO.

MCCLII.

Ex autographo tabularii Crisiensis.

Nos Stephanus, banus tocius Sclauoniæ, significamus omnibus, præsens scriptum inspecturis, quod nos pro utilitate ac honore domini regis fecimus ac locauimus nouam et liberam uillam in Crisio, dantes hospitibus in ea habitantibus eamdem libertatem qua utuntur hospites de Græcz, et de noua uilla Zagrabie: a potestate autem comitis Crisiensis omnino duximus eosdem eximendos, ex nunc idem

comes Crisiensis nec iudicare nec descendere super eos teneatur. Uolumus igitur:

(1) quod nullam collectam soluere debeant hospites antedicti. pro libertate autem ipsorum, in tercio anno a data presencium, de qualibet porta quadraginta denarios bano, pro tempore constituto, soluere tenebuntur.

(2) Forum enim ipsorum, a nobis concessum, celebretur tercia feria, de cuius tributo in eodem anno tercio due partes bano, tercia uero pars ipsis hospitibus incipiat ministrari.

(3) Omnes autem causas, tam maiores, quam minores, siue in die fori, siue in aliis diebus emergentes, maior uille, quem communis populus elegerit, debeat penitus iudicare.

(4) Maior uero uille, si querulantibus iusticiam denegaret, idem maior uille coram presencia solius bani pro tempore constituti impetatur. citacio quippe maioris uille non aliter, nisi cum specialibus litteris bani, mediante bono testimonio, fieri debeat, et ipse maior uille citatus per quempiam banum, ultra Gozd et ultra Drauum non sequatur.

(5) Uolumus eciam quod super quacunque causa coram nobis, uel maiore uille emergente, productio testium de extraneis, nisi de eadem uilla, impetuose non commitatur, sed iuramentum ipsis ciuibus iudicetur.

(6) Preterea quisquis extraneus, siue ciuis eiusdem loci in ipsa uilla contra alium pre ira gladium seu cultellum euaginaret, et hoc cum testimonio probaretur, uel quis uulnus non mortiferum afficiet, iudicio unius marce condemnetur. quisquis igitur casu accidente, suum interfecerit conciuem, centum pensis, ex quibus due partes parti aduerse, tercia uero pars maiori uille solui teneatur. et nisi homocida pecunia sua se defendet, caput eiusdem ad manus partis aduerse statuatur.

(7) Fur autem et calumpniator manifestus, contra quem communis populus faceret testimonium, ablatis omnibus, que habet, de uilla expellatur, cum pudore.

(8) Decedentes autem sine heredibus omnia bona sua relinquant, cuicunque uolunt retinenda.

(9) Ipsi eciam ciues ad exercitum bani aut regis aut iudicis sui ire non tenebuntur, nec alicui ipsorum uis domorum suarum, nec a familia nostra, neque ab aliis inferatur, sed quem uolunt hospicio recipiant uoluntarie.

(10) Preterea maior uille, reuoluto anno uillicacionis sue, suam debeat reponere uillicacionem, et si communis populus uoluerit, eidem uillicacio conferatur, sin autem alteri, cui uoluerit, ipsa conferatur uillicacio.

(11) Si quis igitur ad ipsam uillam uenire uoluerit, libere ueniat. recedant eciam secure, uenditis bonis suis, qui recedere uolunt ab eadem.

(12) Uolumus eciam quod homines qui marturinas soluere solent, ad ipsam uillam non recipiantur.

(13) Item super causa pecuniaria, si quis conuicetur, quadraginta denarios pro iudicio soluere tenebitur.

(14) Preterea ipsi ciues tributum in foro non soluent de suis mercimoniis.

(15) Assignauimus eciam terram eisdem de superiore parte uille Crisiensis, quam nos personaliter inspeximus, per Georgium comitem Crisiensem atque Prelsam terrestrem metari facientes.

Ut autem huius uille libertas inconcussa permaneat, litteras presentes duximus eisdem concedendas. datum in festo sancti Georgii. anno domini millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo.

BELÆ IV. REGIS
LIBERTAS HOSPITUM DE DOBROYA ET BABASZEK.

MCCLIV.

Ex apographo Szechenyano.

Bela dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanieque rex, omnibus presentes literas inspecturis salutem in omnium saluatore.

Ad regiam pertinet maiestatem precibus condescendere subiectorum, ut sic fidelium numerus augeatur, et regalis potencia latissime extendatur, cum regis sit proprium in multitudine populi gloriari. hinc est quod ad uniuersorum noticiam uolumus peruenire, quod accedentes ad nostram presenciam hospites de Dobroya et Babaszek, nobis humiliter supplicarunt, ut libertatem ipsorum, in qua fuerunt hactenus demorati, nostro dignaremur priuilegio confirmare. nos igitur ipsorum iustis precibus inclinati, ut hospitum nostrorum numerus magis ac magis augeatur, eorundem in hac parte iustis precibus duximus annuendum. concessimus itaque:

(1) ut sacerdotem sibi de communi ciuium eligant uoluntate, cui omnes suas decimas dare debeant ex integro. et idem sacerdos de quinquaginta mansionibus Strigoniensi archiepiscopo soluere debeat unam marcam.

(2) Item quod uillicum inter se statuant de communi ciuium beneplacito et consensu, qui eos in eorum causis omnibus iudicabit. quod si adeo grauis emerget questio inter ipsos, ut uillici seu iudicis sui non possit commode

sentencia terminari, ad nostram specialiter, et non comitis de Zolom, uel officialis ipsius, accedere iudicium teneantur.

(3) Statuimus eciam, ut si cause exorte fuerint inter eos, ex Hungaris et Teutonicis simul testimonia proferantur, ad omnem disceptacionis materiam amputandam.

(4) Item quod tributum soluere per uniuersum regnum nostrum Hungarie minime teneantur.

(5) Concedimus eciam, ut ab opere et seruiciis castri Zolyom, sicuti alii hospites nostri, liberi habeantur, exemti penitus et immunes, statuentes nihilominus et firmiter decernentes, quod ad nullas exactiones indebitas et grauamina per quempiam compellantur.

(6) Ad hec, quicunque libere condicionis homines ad easdem uillas uoluerint conuenire, gracia commorandi, libere ueniant et secure, iusto dominii terragio persoluto, eisdem libertatibus fruituri, quibus pociuntur prenominati hospites et fruuntur, recedendi eciam, quando eis placuerit, habeant plenariam facultatem.

(7) Sancimus eciam, ut descensum super eos aliqui facere non presumant, nisi hoc eorundem hospitum placeat uoluntati.

(8) Illud preterea ex speciali eis duximus gracia concedere, ut cum exercitum contigerit nos habere, in uno ordine cum hospitibus de Korponya ius habeant descendendi.

(9) Nec hoc pretermittere nostra uoluit celsitudo, ut terram cum eisdem metis et terminis possideant in futurum, quibus possedisse pacifice a longo tempore dignoscuntur, et infra eosdem terminos ligna excindendi et lapides colligendi habeant potestatem.

Ut igitur hec nostre concessionis adnotacio seriatim robur obtineat perpetue firmitatis, nec per aliquem ullo unquam tempore ualeat impugnari, ad eternam rei memo-

riam presentes literas concessimus, duplicis sigilli nostri munimine roboratas. datum anno domini millesimo ducentesimo quinquagesimo quarto, tercio Kalendas Septembris, regni autem nostri anno decimo nono.

BELÆ IV. REGIS
LIBERTAS POPULORUM ECCLESIÆ ALBENSIS.
MCCLIV.

E manuscriptis Stephani Kaprinai.

Bela dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie Cumanieque rex, omnibus Christi fidelibus, ad quos presens scriptum perueniet, salutem in omnium saluatore. Etsi omnium ecclesiarum regni nostri libertates seruare tenemur ex debito nostri regiminis illibatas, uberiore tamen cautele presidio illis debemus adesse, que et prerogatiua libertatis et excellencia tituli plus ceteris gloriantur. proinde ad uniuersorum, tam presencium quam posterorum noticiam harum serie uolumus peruenire, quod cum uniuerse regni ecclesie ex generali subustione Tartarice nacionis adeo periissent, ut pene penitus desolate, et plures earum suppeditate, resurgere in iuribus spiritualium et temporalium, quibus aliquando gauise fuerant, non ualerent, nos circa Albensem ecclesiam intenti, non immerito, utpote ubi solium regni et corona conseruatur, et ubi reges Hungarie sacro consecracionis munere perunguntur, ubi nostrorum eciam antecessorum sacra corpora requiescunt, ipsius dispendio cauere tenemur, ne in libertatibus, quibus ex antiquis progenitorum nostrorum constitucionibus hactenus inuiolabi-

liter freta fuit, et precipue beati regis Stephani, qui prius ipsam fundauit et dotauit, possessionibusque plurimis ditauit, ac libertatibus et libertatum prerogatiuis specialiter decorauit, nostris diebus et temporibus debeat uacillare; ea enumerando, que temporibus successiuis in detrimentum memorate ecclesie uergi possunt, priuilegia ipsius antiquitus obtenta, et per consequens libertates, et libertatum prerogatiuas innouantes, cum ratihabicione omnimoda confirmamus innouata.

(1) Itaque firmo statuimus edicto, quod prouti a progenitoribus nostris primitus fuit ordinatum, sicut iobbagyones tam nobiles, quam condicionarios eiusdem ecclesie non tenemur iudicare, sic nec heredes nostri, nobis in regno succedentes, nec Palatinus pro tempore constitutus, nec comes alicuius castri seu parochialis, nec iudices nobilium quorumcunque comitatuum, et generaliter nullus iudicum uel iusticiariorum regni nostri, quocunque nomine honore et dignitate prefulgeat, super aliqua causa, ut puta super furto, latrocinio uel in moneta, et generaliter super nullis causarum articulis, ipsos possit, debeat et audeat iudicare, excepto eo, quod si populi et iobbagyones ecclesie terras communes cum aliis populis diuersarum condicionum habuerint, et questio de diuisione terrarum orta fuerit, tunc rex uel uicem suam gerens ipsos, si consortes eiusdem litis fuerint, simul cum aliis poterint iudicare. et similiter in aliis causis omnibus, que totam prouinciam tangerent, rex, uel ab eo missus, ipsos cum ceteris eorum comprouincialibus iudicet. in aliis autem maioribus et minutis causis, et generaliter in omnibus, solius prepositi cum capitulo, uel decani, aut officialium eorundem, iobbagyones et populi ipsius ecclesie adstare in iudicio teneantur.

(2) Si quidem in reddenda alicui iusticia ipsos suspectos habere conarentur, ob huiusmodi suspicionis cau-

sam remouendam, pro cerciori facti cautela, hominem regium adiungendum et audiendum producere possunt.

(3) Iudicium eorundem, prout ipsam ecclesiam per pios decessores nostros hac libertatis prerogatiua nouimus ab olim decoratam, ad dictam eciam ratihabicionem innouata, quod iobbagyones et populi eiusdem ecclesie Albensis, nec Palatini seu uicepalatini ad congregacionem generalem, aut eciam specialem et particularem, neque comitum parochialium seu eorundem simul cum aliis communem, uel sine aliis uictualium administracionem et solucionem, uel expensarum quarumlibet pro ipsis elargicionem faciendam, ullo unquam tempore teneantur.

(4) Quod nec contra piorum antecessorum nostrorum statuta et nostra, Palatinus uel uicepalatinus, aut comes quicunque parochialis, et generaliter nullus baronum uel procerum regni nostri, super eosdem descensus uiolentos facere debeant atque possint. imo si casu residenciam inter eosdem facere uel super eosdem contingeret, nihil inuiti facere eisdem teneantur. neque per hoc iurisdictionem aliquam descensus exigendi ab ipsis poterunt uel possint quodammodo uendicare.

(5) Statuimus eciam mandantes, quod intra tocius regni nostri confinia nullas cuique, neque in terris, neque in aquis, excepto naulo nauigii, tributum, telonium aut pedagium seu eciam ..... populi et iobbagyones ipsius ecclesie dare teneantur ..... a progenitoribus nostris ecclesie memorate.

Ut igitur premissarum concessio libertatum et earundem innouacio robur obtineat firmitatis, nec ab aliquo successorum nostrorum processu temporis ualeat perturbari, memorate Albensi ecclesie presentes in stabilitatem perpetuam concessimus literas, sigilli nostri duplicis munimine communitas. datum anno incarnacionis dominice millesimo

ducentesimo quinquagesimo quarto, nonis Augusti, per manus Benedicti archiepiscopi Strigoniensis, aule nostre cancellarii, regni uero nostri anno decimo nono.

BELÆ IV. REGIS
CONSTITUTIO DE DECIMIS.
MCCLV.

E transumto Uladislai II. anno 1504.

Nos Bela dei gracia rex Hungarie et dux Styrie significamus uniuersis, presencium per tenorem. quod cum inter archidiaconos ecclesie canonicos ab una parte et sacerdotes eiusdem diecesis ex altera questionis materia super congrua porcione sacerdotum et quibusdam aliis fuisset suborta, et ipsa causa diucius protelata, tandem placuit ipsis archidiaconis et canonicis, ac sacerdotibus nostram super his ordinacionem acceptare. partibus itaque coram nobis personaliter constitutis, habito prelatorum, principum et consiliarorum nostrorum tractatu diligenti, e consilio ac assensu uenerabilis domini archiepiscopi taliter ordinauimus, inter partes ipsas acceptandum et approbandum:

(1) quod quarta pars quarte partis omnium decimarum ad sacerdotes pertineat, tres uero partes ad rectores seu magistros, canonicos uidelicet ecclesie cathedralis.

(2) Obuenciones autem oblaciones ac mortuaria et cetera minuta libere ac integraliter ipsi sacerdotes percipiant, exceptis prouentibus et obuencionibus illius festi in cuius honore ecclesia est constructa, quas magistri percipiant, non tamen per submissam personam laicalem, sed

per se, si uoluerint, uel per suum sacerdotem aut clericum.

(3) Ad hoc archidiaconi cum uisitant parochiam sex equitaturis sint contenti, semel in anno recipiant et medietatem eius, quod pro cathedratico recipere consueuerunt, tam de matrice ecclesia quam capella recipiant, et non ultra ab eo, a quo procurantur: scilicet de matrice ecclesia dimidium fertonem, et de capella tria pondera. ab eo autem, a quo procuracionem recipiunt, cathedraticum integre percipiant secundum quantitatem pretactam..... ecclesiis restituantur, ad suas ecclesias et beneficia prius obtenta. damna eciam hinc inde illata decreuimus mutue remittenda.

(4) Ad hec ut predicta omnia firmius obseruentur, placuit partibus, et nos assumsimus pro bono pacis, ut partem obseruantem prescriptam ordinacionem conseruemus in suo iure contra alteram obseruare non uolentem.

(5) Adiecimus eciam, quod partes spontanea et ultronea uoluntate renunciauerunt prioribus litteris et instrumentis, siue de sede apostolica uel undicunque obtentis, super hoc facto fide data promittentes in nostras manus ea integre resignare, et si qua ex illis modo aliquo penes quempiam remanerent, cassa essent et inutilia et nullas penitus uires habitura.

Datum et actum in Vaska. anno domini millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto.

BELÆ IV. REGIS

LIBERTAS HOSPITUM DE BISTRICZ.

MCCLV.

E tabulario Strigoniensi.

Bela dei gracia Ungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque rex, omnibus Christi fidelibus tam presentibus, quam futuris, presentes litteras inspecturis, salutem in omnium saluatore. circumspectio regum prouida solet suos libertatum titulis adornare, ut merito possit numerus sibi famulancium augmentari, cum ex hoc honor excellencie regie conseruetur. proinde ad uniuersorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod nos hospitibus nostris de noua uilla Bistricia prope Lypzhew hanc ad eorum supplicacionem concessimus libertatem:

(1) ut plebanum de communi eligant uoluntate, qui per ipsos uenerabili patri Strigoniensi archiepiscopo presentabitur, in eorum ecclesiam perpetuo confirmandus.

(2) Preterea uillicum uel iudicem de uniuersitatis consilio eligant et consensu, per spacium unius anni permansurum, qui eos in omnibus suis caussis iudicabit, nec in toto regno Hungarie poterunt super aliqua causa coram alio iudice conueniri.

(3) Item aurum, argentum et omnia alia metalla per totum comitatum de Zolum, infra metas suas exquirere poterunt, quam in terris, quam in nemoribus, siluis et

agris, ac liberi sint infra subscriptas metas in omnibus utilitatibus suis, excepta uenacione et piscium capcione.

(4) Item de auri fodina soluant decimam, de argento uero et de aliis omnibus metallis octauam partem soluere teneantur.

(5) Item in omni causa que ad examen duelli iudicatur, si persona illa, que ipsos impetit, sit de ipsis uel libertatis aut nacionis eorum, illud duellum cum scuto rotundato et gladiis debebit pugnari, prout Saxonum obtinet consuetudo. si uero extranee condicionis persona fuerit, tunc modus duelli in regis arbitrio remanebit.

(6) Item ad nullius citacionem in curiam uenire tenebuntur, nisi per nostras speciales litteras fuerint citati, et in nostri presencia uel illius, cui ex certa concesserimus licencia adstare tenebuntur.

(7) Super his predictis hospitibus nostris de Bistricia concedimus, ut preter nostram excellenciam nullus possit descensum facere super ipsos, nisi quos ipsi de propria receperint uoluntate.

(8) Addicimus eciam ut ab omni iurisdictione et iudicio comitum de Zolum, pro tempore constitutorum, sint penitus liberi et exemti.

(9) Uolumus eciam, ut nullam exactionem seu censum racione terragii alicui soluere teneantur.

(10) Item circa renouacionem monetarum, numularii ad eos uenientes, septem diebus pretextu noue monete nullam in ipsos habebunt potestatem, elapsis uero ipsis septem diebus, omnem habebunt iurisdictionem, quam habent in Strigonio uel Buda.

(11) Preterea ad exercitum uel expedicionem, ad quem nos personaliter ire continget, et ipsi decenter ornati, sub nostro uexillo ire tenebuntur.

(12) Insuper concedimus prenominatis hospitibus nostris de Bistricia quatenus ea gaudeant libertate super tri-

buto quo hospites nostri de Schelmicz-banya gratulantur, nec ultra id per totum regnum nostrum ipsis aliqua molestia inferatur.

(13) Preterea, ut multa breuiter concludantur, sepedictis hospitibus nostris conferimus terram arabilem, siluas et prata ad usus ipsorum necessaria, in quibus nullus eos audeat molestare.

Ut igitur hec premissa robur perpetue firmitatis obtineant, nec possint processu temporum in irritum aliquatenus retractari, presentes litteras dedimus dupplicis sigilli nostri munimine roboratas.

Datum per manus dilecti et fidelis nostri magistri Smaragdy, Albensis prepositi, aule nostre uicecancellarii. Anno domini millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto, regni autem nostri anno uigesimo.

BELÆ IV. REGIS
FORMA TRIBUTI IN IAURINO.
MCCLV.

E tabulario urbis Vindobonensis.

Bela dei gracia rex Ungarie fidelibus suis comiti Iauriensi et tributariis de Iaurino, de Abada et de Fizegtu salutem et graciam.

Litteras uenerabilis patris O. episcopi Iauriensis super forma exigendorum tributorum in Iaurino, Abada et Fizegtu, more antiquitus obseruato recepimus in hunc modum:

(1) ut uidelicet de quolibet curru theotonico ueniente in Hungariam tributarii debent habere quatuor denarios et comes duos.

(2) Item si uenerint in nauibus cum suis mercimoniis debent computare et redigere ad quantitatem curruum, et de quolibet curru tributarii debent habere quatuor denarios, et comes duos. sed si superius in naui de onere cuiuslibet currus octo denarios tributariis, et duos comiti.

(3) Item si teotonici boues supperius deferrent, de quolibet boue duos denarios et comiti unum denarium de duobus bobus Teotonicorum.

(4) Item de curribus Ungarorum tributarii duos denarios et comes de duobus curribus unum denarium.

(5) Item de bobus Ungarorum superius deferencium, unum denarium de duobus bobus, et de quatuor bobus comes unum denarium.

(6) Item de curru mellis tributarii debent habere tria pondera, comes unum pondus.

(7) Item de qualibet tunella uini tributarii octo denarios, et comiti duos denarios.

(8) Item de curru salium Ungarorum duos sales, et dimidium cum porcione comes Iauriensis.

(9) Item de centum marcis piperis tributarii debent habere unam marcam piperis, et de centum cyrotecis duas cyrotecas, et sic de aliis minutis mercimoniis.

(10) Item de curru hospitum latinorum unum fertonem.

(11) Item in Fizegtu de curru theotonicorum quantumcunque oneris habente unum denarium. de reliquis autem mercimoniis, bobus scilicet et aliis nihil dare tenentur in Fizegtu.

(12) Item in Obada de duobus curribus Teotonicorum, quatuor denarios soluent tributariis, item de duobus bobus unum denarium.

(13) Item pedites Teotonici nihil persoluere tenentur

. . . . . .

Unde fidelitati uestre districte precipiendo mandamus,

quatenus ultra formam antiquitus obseruatam in tributis nihil penitus exigere presumatis, alioquin transgressores nostri mandati in persona et rebus grauiter puniemus. Datum in Churgou, in festo S. Georgii anno domini MC. C. L. quinto.

BELÆ IV. REGIS
FORMA TRIBUTI FORI IN CASTRO PESTENSI.
MCCLV.

E manuscriptis Hevenesii.

Bela dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie Cumanieque rex, omnibus presencium inspectoribus salutem in omnium saluatore.

De singulorum prouisione solliciti, circa personas domino deuote famulancium curam debemus impendere specialem, ut quod eternorum intuitu seminauerimus in terris, cum multiplicato fructu in celis, dante domino recipere ualeamus. proinde ad uniuersorum noticiam uolumus peruenire, quod nos tributum fori, siue solemnis, siue quotidiani, in castro Pestensi, nec non extra districtum eiusdem castri, quod nobis prouenire solebat, monasterio sancte Marie de insula leporum, ad sustentacionem sororum, iugiter ibidem deuote domino famulancium, pro affectu donauimus et contulimus perpetuo possidendum. quamobrem uolentes amputare omnem calumniam et sopire materiam iurgiorum, in tributis exigendis siue persoluendis, taliter duximus ordinandum et taxandum:

(1) Quod tributarii pro tempore constituti, modis et taxacionibus infra adnotatis iura tributorum debeant exercere.

(2) Inprimis statuimus, quod currus panno oneratus, cum castrum intrauerit, tributarii ad hospicium mercatoris accedant et estiment pannum, et de panno ualente quinque marcas recipiant unum pondus.

(3) Item de curru onerato cum frugibus, qui intrat per portam, duos denarios.

(4) Item de quinquaginta salibus dimidium salem, et de decem salibus unum denarium, et sic adscendendo usque quadraginta.

(5) Item de curru cumulonis recipiant tres denarios. item de curru ferro onerato tres denarios. item de tunella uini, quod uenditur in foro, duo pondera. item de tunella uini, quod ponitur in cellario, duo pondera. item in curru, in quo extra castrum tres tunelle deferuntur, tributarii dimidium fertonem, infra autem tria pondera. item de curru plumbi tria pondera.

(6) Item de curru, qui portat pelles ferinas, et intrat castrum, tributarii decedant ad hospicium mercatoris, et secundum quod estimantur pelles, de quinque marcis recipiant unum pondus. similiter statuimus de cera.

(7) Currus magni qui portant pelles bouinas, statuimus ut soluant dimidium fertonem. item de pecia panni grisei duo denarii exigantur. item de brachiis, de pannis lineis duo denarii.

(8) Item tempore noue monete, dum celebris est ipsa moneta, de mensura quatuor garlarum unum denarium recipiant. cum autem denarii incipient descendere, pro tribus garlis unum denarium.

(9) Item de uenditore equi duos denarios, similiter de emtore. item ab eo qui uendit pecudes unum denarium. item de tribus bouibus, qui emit uel uendit unum denarium. item de tribus porcis unum denarium, similiter et qui emit.

(10) Item de mensura cere non pure, quod uulgo

masa dicitur, qui uendit duos denarios, similiter et qui emit. de mensura uero pure cere, qui uendit duos denarios, similiter et qui emit. item de mensura serei, quod uulgo masa dicitur, qui uendit unum denarium, similiter et qui emit. item de mensura plumbi, ferri, cupri, supradicto modo tributum censum exigendum.

(11) Ceterum si mercator non deferret aliquas merces, nisi argentum, de quinque marcis debet soluere unum pondus, secundum quod in argento uel moneta habebit plus uel minus. si autem habere se negauerit argentum, purgabit se suo et sui hospitis sacramento.

(12) Item statuimus nominatim Strigonienses, Albenses, et breuiter omnes, qui ad forum mercandi causa uenerint, de mamonis suis in supradicto ad solucionem tributi teneantur. excipimus autem fabros nostros de Strigonio illos, qui tempore noue monete domi in fabrica laborarunt, si cum uxore et familia sua in castro superius morabuntur. cum autem ab opere predicte monete fuerint expediti, statuimus, quod de mamonis suis tributum soluant sicut alii.

(13) Item censuimus, quicunque decimam episcopi Vesprimiensis eximit, siue decimator extiterit, eciamsi sit ciuis in castro Pestensi, si uinum in castrum detulerit causa uendendi, modo supradicto ad prestacionem tributi teneatur.

(14) Preterea ordinauimus, quod de carina frugum medium fertonem recipiunt tributarii, de simplici naue frugibus onerata unum pondus. item de naue piscium unum pondus. item de curru magno piscium, quod uulgo masa dicitur, medium fertonem. item de strue lignorum, qui regitur per duos remos, duo pondera. et sic de strue lignorum adscendencium tributum persoluatur. item de curru ferri duos denarios. item currus herbarum unum denarium.

item quilibet currus lignorum intrans castrum debet dimittere in porta unum lignum.

In cuius rei testimonium presentes literas concessimus, duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Smaragdi, aule nostre cancellarii, Albensis electi. Anno domini MCCLV. octauo kal. Augusti. regni autem nostri anno uigesimo.

BELÆ IV. REGIS
LIBERTAS HOSPITUM DE IASTREBARSKA.
MCCLVII.

E Kerchelich, Notit. prælimin. 459.

Bela dei gracia Hungarie etc. rex.

Sublimitas regia, cuius est proprium in multitudine populi gloriari, solet ampliorem subditis concedere libertatem, ut per hoc famulancium numerus augeatur. proinde ad uniuersorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod hospites nostri de Iastrebarska, de comitatu de Podgoria, nobis humiliter supplicauerunt, ut libertatem, qua utuntur hospites nostri de Petrinia et de Zomobor eis concedere dignaremur. cuius quidem libertatis forma hec est:

(1) Ut uidelicet eos nullus iudicum nostrorum, preter maiorem uille eorundem, quem uoluntarie elegerint, audeat iudicare.

(2) Et si ab ipsorum iudice conquerentibus satisfieri non possit, iudex eorum in nostra presencia, et non alias, super ipsa causa citatus teneatur et debeat respondere.

(3) Et in quocunque casu inter ipsos hospites contra extraneos aliquos, uel per extraneos contra ipsos hospites

causa orta fuerit, eadem causa non duello, sed iuramento et testimoniis decidatur.

(4) Statuimus eciam quod si banus eis ad ualorem unius marce damnum fecerit, in centuplo restauret eisdem. tamen bano non aliud nisi domus suas occasione descensus dare teneantur. pro aliis uero necessariis precium recipiant.

(5) Et si aliquis ipsorum prole caruerit, tam ipso uiuente quam a seculo transmigrante, bona sua cuicunque uoluerit, libere conferat retinenda.

(6) Et si quis ipsam uillam intrare uoluerit, moraturus, omnia bona sua, domos uidelicet et alia que possidet, omnibus liberam habeat uendendi facultatem. et recedens de uilla eandem retineat libertatem.

(7) Statuimus eciam ut sacerdotem quemcumque uoluerint, in suam recipiant ecclesiam, de decimis eorum prout mos est hospitibus ubicunque manentibus disponentes.

(8) Nec hoc uolumus silencio pertransire, quod predicti hospites nobis annuatim pro collecta centum pensas, et pro tributo fori triginta persoluere teneantur.

Datum anno ab incarnacione domini MCCLVII. secundo idus Ianuarii, regni nostri anno XXII.

BELÆ IV. REGIS
LIBERTAS CIVIUM CASTRI NITRIENSIS.
MCCLVIII.

E manuscriptis Stephani Kaprinai.

Bela dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie Comanieque rex. omnibus Christi fidelibus, presentis pagine noticiam habituris, salutem in eo qui regibus dat salutem. regia sublimitas subditorum suorum merita debet intueri oculo perspicaci, et ei respondere meritoriis donatiuis, ut alii eorum exemplo ad fidelitatis opera forcius accendantur. proinde uniuersis presentibus et futuris tenore presencium declaramus, quod cum peccatis exigentibus, celi dominus in cuius manu sunt omnia iura regnorum, flagellare permisisset per Tartaros populum christianum et regnum nostrum eiusdem Tartarice persecucionis seuicia crudeliter et imaniter seuiente, fuisset suis regnicolis aliis miserrime interemtis, aliis in captiuitatem adductis, depopulatum et pariter desolatum, fideles nostri ciues castri Nitriensis, hoc tempore calamitatis non uacillantes, nec fortune casu mutato mutati, sed in feruore fidelitatis prime laudabiliter persistentes, castrum Nitriense studuerunt adeo cura peruigili custodire, ut nedum ipsis, sed multis aliis, terre nostre habitatoribus et incolis in castrum ipsum fugientibus sui corporis ob tutelam, Tartarorum insultus inferre potuit quiquam mali, nobisque ad maritima regni nostri fugientibus ante faciem Tartarorum, armatos homines ex se ipsis prebuerunt in

conductum, pro ampliori fidelitate corone regie impendenda. talibus ergo tantisque eximiis meritis, et obsequiosis fidelitatibus in nostri memoriam reuocatis, uolentes eis respondere gratuita repensiua, licet ipsi fuissent prius libertatis utique commendande, tamen suorum seruiciorum in retribucionem, eorum eciam instantissimis peticionibus de benignitate regia inclinati, ipsis et ipsorum successoribus perpetuo Albensium ciuium dedimus libertatem:

(1) ut uillicus ex se ipsis qui pro tempore fuerit constitutus, omnes causas pecuniarias, ciuiles et criminales ad instar ciuium Albensium predictorum, cum duodecim iuratis debeat fine debito iudicare, nec ipsi ciues Nitrienses aliquorum extraneorum iudicum, palatinorum uidelicet et comitum prouincialium adstare iudicio teneantur, sed si super arduis negociis diffinire forsitan ignorarent, uolumus ut ad nostram presenciam uel magistri Tauernicorum ad examen pro determinanda et impetranda iusticia conuocentur.

(2) Et quociescunque expedierit, contra inimicos regni nostri, datis ex eis duodecim armatis, sub uexillo regis militabunt.

(3) Quibus eciam, ut eorum numerus augeatur, in ipso castro dedimus forum liberum, quod die martis perpetuo celebratur, ita, ut in illud uenientes et recedentes de eodem sine aliquo debito tributi cum suis mercimoniis libere ueniant, et secure recedant.

Ut igitur huius nostre libertatis series robur obtineat perpetue firmitatis, presentes eisdem dedimus litteras dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. datum anno domini millesimo ducentesimo quinquagesimo octauo, quarto nonas Septembris, regni autem anno tercio decimo.

BELÆ IV. REGIS
PRIVILEGIA ARCHIEPISCOPI STRIGONIENSIS.
MCCLXIII.

E transumto anni 1335.

Bela dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie Cumanieque rex, omnibus quibus presentes patuerint salutem in omnium saluatore.

Omnis fidei catholice cultor, qui Christum pro humani generis redemptione passum, in exaltacione sue ecclesie, quam sanguine proprio fundauit et stabiliuit, pro recompensacione transitory recepit in heredem, mercedem accipiet eternam in patria sempiterna. proinde ad uniuersorum tam presencium quam futurorum harum serie uolumus peruenire, quod licet enim ecclesie Strigoniensis a sanctis nostris regibus, predecessoribus nostris pluribus libertatibus, exemptionibus, dominiis et possessionariis donacionibus ac munificenciis amplissimis a prima sua fundacione incipiendo sit perpetuo decorata et priuilegiata, ac per sanctam sedem apostolicam confirmata, usque modo in eisdem libertatibus, dominiis, exemcionibus, decimacionibus, urburarum auri et argenti ac camerarum monetas cudencium, ac pecudum et pecorum ab Olachis et Siculis, cum proprietate et possessione earundem sit usa et freta sine diminucione, quia tamen in dispersis priuilegiis et pluribus literis regalibus plurimorum regum nostrorum predecessorum sanctorum progenitorum, omnes libertates et exemptiones, donaciones et decimaciones in toto et in qualibet sui

parte inserte et scripte habebantur, et quam grauissimum erat et laboriosum, imo periculosum tot priuilegia deferre in uiarum discrimine, et quia eciam quedam uetuste, quedam aquarum madidacione ex eisdem corrumpebantur et uidebantur breuiter annulari, racione equitatis quasdam libertates ex donacionibus de eisdem literis priuilegialibus sancte Strigoniensis ecclesie perpetuo factas et concessas, ad uenerabilis patris domini Philippi archiepiscopi Strigoniensis instantem peticionem et iustam supplicacionem, de consilio domine Marie consortis nostre charissime regine, et baronum nostrorum in nostrum priuilegium tanquam originale inseri fecimus et transcribi, ut si predicta priuilegia uetustate consummantur uel casu contingente perdantur, super predictis omnibus nostrum priuilegium pro totali originali habeatur, ne id quod semel deo dicatum est, ad profanos usus reuocetur. quarum quidem libertatem una hec est:

(1) quod nullus iudicum curie nostre uel palatinorum regni nostri, seu quicunque comites uel iudices quocunque nomine nominentur, populos ecclesie Strigoniensis condicionarios, iobagiones suos uniuersos iudicare ualeant uel presumant, sed eiusdem ecclesie Strigoniensis iudices, uidelicet palatinus suus uel iudex curie sue, aut terrestris comes per archiepiscopum deputati, in omnibus causis et earum articulis iudicabunt.

(2) Item decimam partem de urburis prouenientibus regie maiestati percipiet archiepiscopus Strigoniensis, qui fuerit pro tempore per totum regnum Hungarie.

(3) Item similiter decimam partem percipiet idem archiepiscopus ante omnia de fructibus camerarum, pro quantacunque pecunia poterunt locari, exceptis ponderibus, que officialibus archiepiscopi pro ferramenti custodia sunt deputata.

(4) Item similiter de pecudibus et pecoribus exigen-

dis ab Olachis et Siculis, idem archiepiscopus accipiet decimam partem.

(5) Item quod nobiles regni nostri ipsi ecclesie Strigoniensi possessiones suas uiuentes uel morientes sine requisicione regie maiestatis ulteriori legare et donare possint, sine preiudicio tamen proximorum suorum possessionum, et se subiicere ad seruiendum more nobilium exercituancium aliorum, saluo quod uduarnici ac ceteri seruilis condicionis homines regie et reginali maiestati subiacentes, et ad certa seruicia deputati, hec facere non possint, nisi super eo per successores reges requisicio et priuilegialis concessio specialis de nouo haberetur.

(6) Item quod utcunque in possessionibus ipsius ecclesie Strigoniensis et infra has metas metallum auri uel argenti, uel quodcunque aliud inueniatur, ipsi ecclesie dinoscitur pertinere in tota urbura percipienda.

(7) Item super possessiones eiusdem ecclesie nullum censum, nullam collectam fisco applicandam possint exigere uel dicare, ut eciam lucrum camere, quod super populos omnium regnicolarum quandoque dicare et exigere consueuerunt.

(8) Insuper uolumus ut nullus palatinus uel comes parochialis populos eiusdem ad congregacionem quoquo modo celebratam conuocare ualeat, nisi iudex ecclesie eos iudicet.

(9) Item si nobiles ecclesie Strigoniensis in furto uel spolio, casu contingente per palatinum regni uel iudices curie nostre uel successorum nostrorum, ordine iuris obseruato interficiantur, possessiones taliter interfectorum non ad palatinum regni uel iudicem curie deuoluantur, sed ad ecclesiam Strigoniensem. et si palatinus uel iudex ecclesie Strigoniensis apud palatinum regni uel iudicem curie nostre uel alios iusticiarios regni eosdem captos esse sci-

uerint, eosdem ecclesie ipsius palatino ad iudicium tradere tenentur sine mora.

Quas quidem donaciones, libertates et exempciones certo certius indagantes, inuenimus, uidimus et sciuimus semper pertinuisse et pertinere ad ecclesiam Strigoniensem. quapropter omnes predictas donaciones libertatum, exemptionum et fructuum percepcionum in toto et in qualibet sui parte, uniuersas, uniuersaliter et singulas singillatim, de consensu consortis nostre carissime regine ac omnium prelatorum et baronum nostrorum confirmamus, ratificamus et pro originali priuilegio deputamus, saluis eciam omnibus aliis priuilegiis, libertatibus ac literis ecclesie Strigoniensi remanentibus. in cuius rei memoriam et firmitatem perpetuam presentes concessimus, dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. datum per manus magistri Farkasii, electi Zagrabiensis, aule nostre uicecancellarii, dilecti et fidelis nostri, anno domini MCCLXIII. quinto kalend. Nouembris regni autem nostri anno uigesimo octauo.

BELÆ IV. REGIS
LIBERTAS HOSPITUM DE KAMAR.
MCCLXIII.

E schedula sæculi XV.

Bela dei gracia Hungarie etc. rex. ad uniuersorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod cum in Kamar domum pro nobis fecissemus, placuit nobis ut illic hospites nostro nomine congregentur, quibus talem ordinauimus libertatem, et quidem:

(1) ut uillicum inter se eligant de communi uoluntate, et electum ad confirmandum nobis debeant presentare. qui quidem ipsos hospites in omnibus causis debeat iudicare. et si uillicus in reddenda iusticia de hospitibus cuilibet extraneo negligenter se gesserit uel remissus, non illi hospites contra quos agitur, sed uillicus, citacione facta coram nobis debeat conueniri, iuxta aliorum hospitum nostrorum libertatem.

(2) Ad hoc ordinamus, ut uillicus ipsorum in reuolucione cuiuslibet anni debeat renouari.

(3) Sane uolumus, ut sicut libere ueniunt, sic recedant luce clara, uenditis suis edificiis eiusdem terre incolis, terragio persoluto.

(4) Porro concessimus, ut si quis ex ipsis sine liberorum solacio decesserit, de omnibus rebus suis cuicunque uel quibuscunque uoluerit, liberam habeat ordinandi facultatem.

(5) Preterea ordinauimus, ut mansio quelibet duodecim denarios in octauis s. Georgii pro censu seu terragio soluere teneatur.

(6) Item dedimus eis forum quinta feria celebrandum.

Datum per manus Farcasii, electi Albensis, aule nostre uicecancellarii, anno dominice incarnacionis MCCLXIII. regni autem nostri anno XXVIII.

STEPHANI V. REGIS
LIBERTAS OPPIDI ZATHMAR.
MCCLXIV.

E transumto Ferdinandi I. regis ann. 1548.

Stephanus rex ciuibus populisque oppidi Zathmar concessit:

(1) ut dicti oppidani ysdem libertatibus, quibus Albenses perfruere dinoscuntur, ipsi quoque ciues uti et frui possent, ita ut uillicum quem uoluerint inter se eligant, qui omnes causas maiores et minores inter se exortas iudicare possit.

(2) Nec tributary aut aly officiales in Zathmar constituti contra iusticiam eorumdem possint molestare, sed si quid habuerint cum eisdem coram uillico oppidi more prosequantur. qui si facere iusticiam negligeret, non ciuis sed ipse uillicus in presenciam regis citari deberet.

(3) item nec officiales nec aliqui aly extranei in tabernis uinum uendere possint, nec mercatores extranei pannos suos incidendo uendere ualeant.

(4) item sacerdotem quem uoluerint eligant, qui per episcopum diecesanum per presentacionem eorundem debeat confirmari, et ipsorum ecclesia sit exempta a iurisdictione archidiaconi.

(5) item ingruente necessitate ad exercitum regalem proficiscantur cum sex loricatis, qui esse debeant sub uexillo regio.

(6) et cum rex ad illos uenerit, ciues ipsi procuracionem eorum unius tantum diei habeant, et non ultra.

(7) preterea quod de ipsorum uinis nullo in loco tributum soluere teneantur, et forum habeant liberum feriis sextis ut antea.

BELÆ IV. REGIS
LIBERTAS HOSPITUM DE VILLA BERÉNY
MCCLXV.

E mss. Hevenessii.

Bela dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Sclauonie, Galicie, Lodomerie Cumanieque rex, Christi fidelibus presens scriptum inspecturis, salutem in uero salutari.

Regum pertinet ad excellenciam, et dominancium conuenit dignitati, tanto amplius de maiori plebis numero gloriari, quanto ipsorum gloriam ex populi multitudine constat uberius augmentari. hinc est quod uniuersorum noticie tenore presencium uolumus fieri manifestum, quod nos hospitibus nostris de uilla Beryn, et omnibus ad eam pertinentibus talem libertatem concessimus et statuimus:

(1) Quod de singulis mansionibus singula tria pondera soluere tenentur annuatim.

(2) Comes uero ipsorum bona sine herede decedencium recipere non presumat.

(3) Item iudici pro iudicio soluere debent sexaginta denarios tantum, nisi in causa furti uel sanguinis effusione.

(4) Item ad plaustrum regis boues dare non tenentur, nec in legacione aliqua debent ire, nisi pro negociis uille eorundem, aut in legacione domini regis, ad spacium diei unius.

(5) Item pro decimis suis capecias soluant, prout prouenit in capeciis in tritura.

(6) Item ultra uoluntatem eorum per comitem ad exercitum ire non cogantur, nisi in exercitu regis sub uexillo suo, uel ex mandato eius speciali.

(7) Item uillicus eorum in minutis causis ipsos iudicabit, et terciam partem iudiciorum sibi seruabit, et alie due partes comiti eorum remanebunt.

(8) Item comiti de Szeguszd semel in anno prandium et cenam tenentur administrare, prout alii eiusdem condicionis administrant.

(9) Item pro nouitate comitis tenentur dare duos denarios de singulis mansionibus annuatim.

(10) Item semel in anno regi munera dare tenentur, et pabulum, quod uulgo dicitur uámzab, ad Clicium portare suo modo compellantur.

(11) Item pro purificacione sacramenti duos denarios soluere tenebuntur.

Ut igitur hec nostra ordinacio perpetue firmitatis robur obtineat, nec possit in posterum per aliquem irritari, presentes literas eisdem hospitibus concessimus, duplicis sigilli nostri munimine perenniter roboratas. datum anno domini MCCLXIV. V. idus Sept. regni autem nostri anno XXVIII.

BELÆ IV. REGIS
LIBERTAS CIVIUM ZAGRABIENSIUM.
MCCLXVI.

Ex apographo coævo.

Bela dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie Cumanieque rex, omnibus Christi fidelibus, presentibus et futuris, salutem in salutis

largitore. regie speculacionis et sollicitudinis esse debet, inuigilare subditorum remediis et quieti, et eos prosequi ampliori munificencia gracie specialis, ut tanto illi ex fidelibus fideliores, et deuociores se exhibeant ex deuotis, quanto pociori libertatis beneficio ex regalis prouisionis dono eos contigerit gratulari. proinde ad uniuersorum noticiam harum serie uolumus peruenire, quod quum olim fines et termini regni seu ducatus Sclauonie, continuis latrunculorum et frequentibus incursionibus pulsarentur, nos tam conuicti nostre proprie, quam subditorum nostrorum in illis partibus degencium securitati prospicere, salubriter cupientes, castrum in monte Grech iuxta Zagrabiam, ob tuicionem eorundem confiniorum, decreuimus constituendum. in cuius castri constructionem fideles nostri ciues eiusdem castri, in edificando domos ibidem, et alias edes illuc transferendo, sumtus non modicos, labores continuos et damna plurima usque ad exinanicionem extreme uirtutis fideliter subierunt, exponentes se et sua illis temporibus pro regio siue ducatus honore crebris periculis et fortune. nos igitur huiusmodi obsequiosis et sumtuosis laboribus ipsorum grata uolentes uicissitudine respondere, hanc eis prerogatiuam concedimus libertatis:

Ut nec per se personaliter ad exercitum, quem nos uel carissimum filium nostrum dominum Belam, inclitum ducem tocius Sclauonie et Croacie, diuersis temporibus et quandocunque facere contigerit, ire nullatenus, nec aliquid propter hoc, uel eius occasione nobis uel sibi impendere teneantur. eosdem quoque nullius exactionis, tallie seu collecte, uel cuiuslibet publice functionis, aut aliorum regni incolarum onus subire uolumus, sed sint a prestacione earundem in perpetuum liberi et immunes. ita tamen, quod predicto duci Bele, carissimo filio nostro, XL marcas solummodo in usuali moneta, cuius quidem monete ducente pense predictarum XL marcarum ualorem

contingunt, in die strenarum, et non ante neque post, ipsi iidem ciues per nuncios suos precise, et absque interpellacione qualibet, mittere et soluere pro censu annuo teneantur.

Condiciones itaque et libertates hospitum seu ciuium in predicto castro habitancium seu conueniencium, quas ipsi inter se fecerunt, et nos approbauimus, tales habent:

(1) Quod si iidem hospites uel ciues in districtu Hungarie, Dalmacie, Croacie, Sclauonie spoliati uel occisi per latrones uel alios malefactores fuerint, dominus terre, in qua spoliati uel occisi fuerint, estimata quantitate pecunia, iuxta arbitrium bonorum uirorum et sacramentum ciuium, ad hoc electorum, uel ablata refundat, uel malefactorem ostendere teneatur, aut homicidii penam soluat, iuxta ducatus Sclauonie consuetudinem approbatam.

(2) Item tributa inter regales terminos in nullo loco soluere teneantur.

(3) Item quicunque ciuis alium ciuem uituperiis, opprobriis aut contumeliis affecerit, si in eo uictus fuerit, leso decem pensas, non minus expensas centum denariorum, soluat. quod si post ternam correctionem se non emendauerit, rebus omnibus in commune applicatis, tanquam infamis de ciuitate expellatur.

(4) Si quis uel alapam alteri dederit, uel per crines maliciose traxerit, eandem penam paciatur.

(5) Si uero hec iudice sedente pro tribunali, uel alias ubicunque in eius conspectu idem perpetrare presumserit, pena duplici plectatur.

(6) Quod si hoc in persona iudicis, uel cuiuscunque assessoris sui idem attentauerit, decem marcas usualis monete pro pena exsoluat. quod si soluendo non fuerit, manum amittat.

(7) Si quis cultello, gladio, lancea aut sagitta, aut alio tali modo alium uulnerauerit, et uulneratus sine defectu

membrorum resanatus fuerit, medico lesi satisfaciat, et leso decem marcas, et ad usum ciuitatis duas marcas persoluat.

(8) Si quis uero hominem interfecerit et aufugerit, due partes suarum rerum cedant parentibus occisi, pars tercia ciuitati. si autem captus fuerit, secundum consuetudinem de ipso uindicta sumatur, nisi quis in ludo, sine premeditata malicia aliquem interfecerit. in hoc enim casu centum pensas cognatis interfecti, uiginti uero pensas ad communes usus refundat interfector. si facultatibus non suffecerit, ciuium arbitrio resignetur.

(9) Item si quis de extraneis intrans in ciuitatem siue in uico, in domo, siue in foro, similia ut supra notatur, perpetrauerit, per iudicem ciuitatis iudicetur, et eisdem penis subiaceat. si uero ex incolis ciuitatis aliquis sine .... defectus fuerit, per iudicem ciuitatis puniatur.

(10) Item si quis extraneus aliquem de ciuitate in caussa pecuniarum uel illata iniuria uoluerit couuenire, coram iudice ciuitatis conueniat.

(11) Et nulla causa ad duellum iudicetur, sed per testes et iuramenta terminetur, siue sit cum extraneis, siue cum indigenis. atque isti testes iurati in deponendo testimonio singillatim et singulariter examinentur. testes autem, qui eiusdem libertatis et condicionis sunt, isti assumantur.

(12) Eodem modo, siue extraneus inueniat apud incolas, siue incola apud extraneos equum, bouem aut aliquas res furtiuas, semper testes, ut supra diximus, producantur.

(13) Item ciues de predicta ciuitate, uel iobbagiones de uillis ad ipsam pertinentibus, que prope territorium ipsius ciuitatis fuerint site, nullius iudicio, nisi iudicis ciuitatis, adstare teneantur.

(14) Quod si iudex suspectus habebitur, et actor legitimam causam recusacionis allegauerit, conuocatis omni-

bus maioribus ciuitatis, ipso iudice presente, negocium decidatur. de quorum sentencia si adhuc contigerit dubitari, et actor importunus eos ad regiam citauerit presenciam, solus iudex pro aliis omnibus ad regem ire teneatur.

(15) Eodem modo, per quemcunque contra iudicem ciuitatis et ciues, uel ciues solos ad regiam presenciam quippe citaretur, non tenentur ire, nisi solus iudex ciuitatis.

(16) Et si aliquis aliquem ciuem uel ciues, non requirens antea a iudice ciuitatis iusticiam sibi fieri, ad regem iuerit, pro illo uel illis iudex ire tenebitur, et ei citatorias refundere expensas, eo, quia contempta autoritate regalis priuilegii sibi cogniti, irrequisito iudice ciuitatis, fatigauit eum frustra laboribus et expensis.

(17) Ciues autem habeant liberam, quemcunque uoluerint, eligendi facultatem iudicem ciuitatis, nobis presentandum, et mutandi eum annuatim pro sue arbitrio uoluntatis.

(18) Sane si quis in calumnia uel falso testimonio manifeste conuictus fuerit uel eciam deprehensus, nec in iudicem uel eius assessorem siue consiliarium deinceps admittatur.

(19) Item si quispiam de ciuitate sine herede decesserit, de rebus suis mobilibus liberam habeat disponendi, cuicunque uoluerit, facultatem. res uero immobiles, domos quippe, curiam, uineas, terram et edificia, suorum conciuium habito consilio, uxori sue uel alicui cognatorum suorum relinquat. ita tamen, quod nec per ipsum, nec per uxorem, nec per cognatos, ab iurisdictione ciuitatis possit alienari, seu eximi uel auelli.

(20) Item si quis intestatus decesserit, et nec uxorem, nec filios nec cognatos habuerit, due partes rerum suarum per uiros fide dignos, ad hoc consilio ciuium deputatos, pauperibus et ecclesie eiusdem ciuitatis reseruentur.

(21) Item statuimus, quod in eadem ciuitate forum solemne duobus diebus in hebdomada, uidelicet die lune et die iouis celebretur. ac preterea forum quotidianum cotidie habeatur.

Ad sustentacionem autem hospitum in predicto castro habitancium, dedimus terram circa montem Grech, quam olim per dilectum et fidelem nostrum, quondam Dionisium Banum ex eius conseruacione eiusdem ciuibus dinoscimus statuisse, sub certis metis et distinctis perpetuo possidendam.

Ceterum quia iidem ciues super terris et possessionibus suis alia eciam priuilegia a nobis concessa habere noscuntur, illa eis inconcussa seruare uolumus, et a nostris successoribus et subiectis inuiolabiliter obseruari. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem presentes dedimus literas, duplicis sigilli nostri munimine roboratas. datum per manus magistri Farcasy, prepositi Albensis, aule nostre uicecancellarii, dilecti et fidelis nostri. anno domini MCCLXVI. XII. Kal. Decembris, regni autem nostri anno XXXI.

BELÆ IV. REGIS DECRETUM.

MCCLXVII.

E membrana tabularii regii.

Nos Bela dei gracia rex Hungarie, et Stephanus per eundem iunior rex Hungarie et dux Transylvanie, et Bela iunior dux tocius Sclauonie:

significamus quod nobiles Hungarie uniuersi qui sertientes regales dicuntur, ad nos accedentes, pecierunt a nobis humiliter et devote, ut ipsos in libertate a s. Stephano rege statuta et obtenta dignaremur conseruare, ut

ipsi tanto nobis et corone tenerentur fidelius et affectuosius famulari, quanto preciosioribus libertatibus eos donaremus. quorum peticiones et instancias considerantes fore iustas et legitimas, habito baronum nostrorum consilio et assensu duximus admittendas, attendentes, quod de hoc inuigilari de commodiori debeat statu regni.

Statuimus itaque:

I. quod collecte et exactiones racione camere uel alia racione de populis nobilium nullo umquam tempore recipi debeant, nec uictualia, nec racione descensus per nos uel alios molestari.

II. Item uolumus, quod omnes terre castri uel uduornicorum, ad quos populi nostro nomine uel domine regine sunt congregati, castro uel uduarnicis restituantur, et ipsi illi gaudere debeant priuilegiato nomine hospitum liberorum.

III. Item ordinauimus, quod nullus ex nobilibus propter malam suggestionem debeat sine strepitu iudicii captiuari, incarcerari uel damnificari in rebus seu persona, sed tractus in iudicium, presentibus baronibus, sine ira, odio uel fauore iudicetur, iuris ordine obseruato.

IV. Item concessimus: quod nobiles petita licencia et obtenta, ad quemcunque nostrum se transferre uoluerint, transferendi liberam habeant facultatem, neque propterea possessiones eorum destruantur.

V. Preterea statuimus, quod terre nobilium, quas populi liberarum uillarum nostrarum, uel domine regine, seu uduornici seu castrenses, quacunque occasione occupauerunt et detinent, restituantur ipsis nobilibus, secundum fidem et scienciam duorum baronum nostrorum, quibus nos et ipsi nobiles fidem duximus adhibendam.

VI. Item uolumus, quod si aliquem de nobilibus sine herede mori contigerit, possessiones eius non distrahantur, nulli donentur, nulli conferantur, nulli perpetuentur,

donec cognati et generaciones eius ad presenciam nostram euocentur, et ipsis ac baronibus nostris presentibus de iis ordinetur sicut dictauerit ordo iuris.

VII. Item statuimus, quod si ad occupanda uel acquirenda regna contingat nos exercitum mouere, nobiles inuitos ad exercitum non trahemus, nisi qui sponte uoluerint proficisci uel pro nostra pecunia, nec eciam in subsidium filiorum nostrorum uel aliorum inuitos ire compellemus.

VIII. Item ordinamus, quod singulis annis in festo s. regis unus ex nobis Albam uenire debeat, et de quolibet comitatu duo uel tres nobiles debeant conuenire, ut in eorum presencia de omnibus damnis et iniuriis per quoscunque datis et illatis omnibus satisfiat.

IX. Item si aliquis ex nobilibus non habens heredem in exercitu mortuus fuerit, possessiones istius quocunque modo acquisite ad manus regias non deuoluantur, sed cognatis uel generacioni sue remaneant, emticie uero cuicunque in uita sua conferre uoluerint relinquantur.

X. Item cause nobilium sine peticionibus debeant expediri.

Et in his omnibus ac aliis libertatibus a s. Stephano rege constitutis, ipsos nobiles manutenebimus et conseruabimus, sic nos deus adiuuet et sancta dei ecclesia, et uiuificum crucis signum.

Si quis autem nostrum imposterum presentis statuti et libertatis a s. Stephano constitute transgressor extiterit, quod absit, illum d. archiepiscopus Strigoniensis per censuram ecclesiasticam compellat ad premissa inuiolabiliter obseruanda, prouti id nos assumsimus pari uoto.

Ut autem hec nostra ordinacio perpetuum obtineat robur firmitatis, iisdem nostris sigillis literas fecimus consignari. datum anno MCCLXVII.

GUIDONIS

TITULO S. LAURENTII IN LUCINA PRESBYTERI CARDINALIS

DECRETA HUNGARIS DATA.

In concilio provinciali Viennæ anno MCCLXVII.

Hec sunt decreta Hungarorum, que de Gwidone cardinale susceperunt.

(1) Nullum nisi presbyterum uel diaconum, et qui uxorem non habeat, in episcopum eligatis.

(2) Nullum qui duas uxores habuerit, aut qui unam concubinam, aut repudiatam, aut meretricem, aut prostitutam, uel qui aliam quam uirginem est sortitus uxorem, episcopum eligatis.

(3) Nullum quem sacri canones ad ordines prohibent promouere in episcopum eligatis.

(4) Nullum qui ad sacros ordines nisi per canonica interualla promotus est, in episcopum eligatis.

(5) Nullum per occultam insinuacionem regi factam, aut per sedicionem, aut per pecuniam uel per specialem graciam, sed ex communi consilio et consensu pari episcopum faciatis.

(6) Nullum episcopum de sede ad sedem qualibet ex causa sine romani pontificis speciali licencia transferatis.

(7) Nullum episcopum sine romani pontificis speciali licencia deponatis, uel capi, sine comprobato infidelitatis crimine consenciatis.

(8) Nullum in archidiaconum seu decanum, uel archipresbyterum, uel prepositum seu abbatem, nisi presbyterum uel diaconum promoueatis.

(9) Nullum in abbatem nisi monachum assumatis.

(10) Nullum archidiaconum uel decanum, uel archipresbyterum, uel prepositum, uel abbatem de una dignitate ad aliam, uel de ipsa ad eandem in locum alium nisi canonice transferatis, et nullum supradictorum nisi canonice deponatis.

(11) Nullum uxoratum in presbyterum uel diaconum uel subdiaconum promoueatis, nisi qui ex consensu uxoris se uicturum caste firmiter promiserit, et uxorem a cohabitacione remouerit, et eidem necessaria secundum facultatem suam prouiderit.

(12) Presbyterorum filios ad sacros ordines accedere nullatenus permittatis, nisi aut in cenobiis aut in monasteriis.

(13) Alienos clericos, quos sine commendaticiis litteris suscepistis, in episcopatibus uestris nullatenus toleretis, et de cetero nec eos nec alios sine formatis literis admittatis, et quos de his apostatas esse constiterit, excomunicatos habeatis, et prepositis suis eos requirentibus reddatis.

(14) Nullum subdiaconum uel diaconum, uel presbyterum, nisi ad certum titulum ordinetis, nullum seruum in clericum ordinetis, nisi dominus eius eum manumiserit, ut de cetero ex toto nihil in eo iuris habeat.

(15) Bygamos uiduarum uel repudiatarum, seu meretricum uel prostitutarum maritos ab omni ecclesiastica dignitate deponimus, et beneficiis ecclesiasticis in eternum priuamus.

(16) Concubinarios publicos ab officio suo deponimus, et beneficia eis ecclesiastica interdicimus, hac tamen nobis potestate indulta, ut si condignam egerint penitenciam, et uobis uidebitur, ministrare eos iterum faciatis.

(17) Presbyteros uel diaconos uxoratos, qui ante acceptos ordines uel postea uxores acceperunt, ab altaris

ministerio et ecclesiastico beneficio separamus, attamen dispensacionem de his uobis concedimus, ut hi qui uxores ante iam dictos ordines acceperunt, quoniam legitime sunt, si uxoribus ultro et sine coactione continenciam uouentibus ipsi quoque uouebunt, et easdem uxores a cohabitacione remouebunt, ad altaris ministerium redeant, et ecclesiastica beneficia habeant.

(18) Illi uero qui post sacros ordines aliquas sub matrimonii nomine duxerunt, quoniam huiusmodi coniunctio contra leges est facta, ac per hoc matrimonium non est, siue eas uolentes siue inuitas dimiserint, et continenciam in ecclesie testimonio uouerint, ecclesiastica officia sic ministrent, ut ultra ad relictas immundicias non declinent. nam si legitimarum siue aliarum commixtione se ipsos uel ultra fedauerint, ab altaris ministerio eosdem sequestramus, nisi aut ad canonicos regulares aut ad ordinata monasteria transierint.

(19) De subdiaconis autem et prepositis uxoratis id ipsum fieri decernimus, sed inducias uobis super hoc usque ad rescriptum domini pape damus.

Hec omnia obseruetis, promotosque episcopos omnes obseruaturos de eadem iurare faciatis.

BELÆ IV. REGIS
LIBERTAS HOSPITUM DE KASMARK.
MCCLXIX.

E tabulario civitatis Kasmark.

Bela dei gracia Hungarie et cet. rex. ad uniuersorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod nos supplicacionibus hospitum nostrorum de Kasmark in Scepis inclinati, hanc eis libertatem duximus concedendam:

(1) Ut uillicum inter se eligant de communi uoluntate, qui omnes causas eorundem decidere debeat, iusticia mediante, exceptis quibusdam causis, furti uidelicet, decimarum, sanguinis et monete, quas iudex noster pro tempore constitutus iudicabit et decidet, et terciam partem iudicii habebit uillicus, duas uero partes iudex noster sibi de iure uendicabit.

(2) Item ordinauimus ut nobis pro censu seu terragio singulis annis uiginti marcas soluere teneantur. quarum duas partes soluent in argento fisco, terciam uero partem in denariis, sicut alii hospites nostri Saxones soluere consueuerunt. cuius quidem pecunie medietatem soluent in festo s. Georgii, et aliam medietatem in festo s. Michaelis.

(3) Preterea eisdem forum liberum solito more duximus concedendum.

(4) Item decimas soluent in capeciis, more Saxonum aliorum.

(5) Ad hec ecclesiam cum cimeterio, quantum nos contingit, dimittimus eis liberam, racione humandi seu sepeliendi mortuos, quemadmodum antea dinoscuntur habuisse.

(6) Ceterum uolumus, quod terras suas, sine preiudicio iuris alieni pacifice teneant, sicut hactenus tenuerunt.

Datum per manus magistri Demetrii, prepositi Albensis, aule nostre uicecancellarii, dilecti et fidelis nostri. anno domini MCCLXIX. regni autem nostri anno trigesimo quarto.

BELÆ DUCIS SCLAVONIÆ
LIBERTAS HOSPITUM DE S. AMBROSIO.
MCCLXIX.

E mss. Cornidesii.

Bela dei gracia dux tocius Sclauonie, Dalmacie et Croacie, uniuersis Christi fidelibus presens scriptum inspecturis, salutem in omnium saluatore. ad uniuersorum noticiam harum serie uolumus peruenire, quod hospites nostri de s. Ambrosio, ad nostram accedentes presenciam, a nobis humiliter postularunt, ut eos sub libertate habere et conseruare dignaremûr, qua gaudent hospites nostri de Ueröcze. nos itaque supplicacionibus eorum annuentes, de benignitate nostra talem eisdem hospitibus nostris graciam duximus faciendam:

Quod a iurisdictione comitis de Ueröcze pro tempore constituti, sint liberi et exèmti, et quemcunque de eadem uilla communiter in uillicum eligere uoluerint, preficiendi et recipiendi liberam habeant facultatem, ita tamen, quod sepedicti hospites, singulis annis, in festo beati Stephani, racione marturinarum, pro quibus antea decem marcas se soluisse asserebant, triginta et quatuor marcas soluent nobis in denariis banalibus, dando pro qualibet marca quinque pensas. tali adiecta condicione, quod si prefatum terminum omitterent in soluendo, in octaua die solucionis, cum duplo soluere tenebuntur.

In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem presentes contulimus, duplicis sigilli nostri munimine roboratas. datum per manus uenerabilis patris Ladislai episcopi

Tyniensis, dilecti et fidelis nostri, aule nostre cancellarii. anno ab incarnacione domini millesimo ducentesimo sexagesimo nono, ducatus autem nostri anno primo.

MOYS PALATINI

LIBERTAS DATA HOSPITIBUS IN COSUE.

MCCLXX.

E mss. Stephani Kaprinai.

Nos Moys dei gracia palatinus et comes Supruniensis ac iudex Cumanorum, uniuersis quibus presens scriptum patuerit, omne bonum.

Quum nihil memorialiter retineatur, nisi sub testimonio literarum obseruetur, ad uniuersam igitur tam modernorum quam futurorum tenore presencinm uolumus noticiam peruenire, quod nos libertatem hospitum nostrorum de loco uocato scilicet Cosue, eisdem concessam semper firmam et illesam permanere uolentes, priuilegio nostro duximus esse confirmandam. prefatorum si quidem hospitum libertas in hunc modum est ordinata.

(1) ut annuatim singule mansiones locum nominatum inhabitantes, tercium medium pondus nobis soluere teneantur, et maiori uille unum denarium currentem pro frisatico.

(2) preterea eciam iidem hospites semel in anno nos tenentur suscipere, et ad nostram coquinam unum bouem tenuem aut porcum bonum, decem gallinas, duos anseres dare teneantur.

(3) uinum eciam si pro leui foro contigerit comparare, decem cubulos, si autem pro cariori, quinque cubulos tenentur administrare, et panes in sufficiencia.

(4) si uero ulterius fuerit necesse in ipsa uilla commorari, domos nobis et nostris concedent, sed que nobis uel nostris fient necessaria, iusto precio comparabimus.

(5) hoc eciam eorundem concessum est libertati, ut ad resecandas segetes nostras nullus ipsorum inuite poterit compelli, nisi quis propria bona uoluntate concesserit.

(6) hoc eciam addito, quod nemo ex illis in nostram legacionem mittendus erit, nisi per tantam usque horam prandii poterit perueniri.

(7) nec hoc pretermittendum est, ut si quis hospitum supra dictorum sine herede decesserit, omnes suas facultates liberum habebit arbitrium quocunque uolet disponendi.

(8) si quis eciam illorum se a nobis uoluerit absentare et de loco dicto recedere, omnia sua edificia, scilicet domos et curiam uendendo, saluis rebus omnibus die lucente licenciatus, absque ullo impeditore liberam habeat recedendi facultatem.

(9) preterea si quis in iudicium inciderit, sexaginta denarios soluet, et non plures.

(10) si uero aliquis ex ipsis hospitibus discordiam mouerit cum conhospite suo, et irruens in illum uerberauerit, quot passus pedum sunt de domo irruentis usque ad domum uerberati, totidem sexaginta denariorum pena punietur.

(11) si quis autem gladio alterum ulnerauerit, quot pollices in uulnus illatum impriment, tot sexaginta denarios ipse ulnerator soluere debebit.

(12) si uero cum cultello quis socium suum uulnerauerit, manus eiusdem sauciatoris in macello cum cultello debeat penetrari.

(13) si quis autem aliquem occiderit, ipse eciam contra occidetur.

(14) si uero manum uel pedem alterius quisquis amputauerit, eadem pena punietur.

(15) uolumus eciam ut causas furti et effusiones sanguinis inter ipsos hospites exortas, ipsi nos discutiamus. sed due partes iudiciorum nobis pertineant, tercia uero pars cedat in ius uillici loci illius.

Ut autem hec libertas hospitum nostrorum per nos concessa in posterum illesa permaneat et inconcussa, sigilli nostri munimine concessimus roboratam. datum in Igol anno domini millesimo ducentesimo septuagesimo.

STEPHANI V. REGIS
LIBERTAS SAXONUM DE SCEPUSIO.
MCCLXXI.

E membrana protographa.

Stephanus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie Bulgarieque rex. omnibus tam presentibus quam futuris, presentem paginam inspecturis salutem in omnium saluatore. regie sublimitatis immensitas, cuius est in subiectorum opulencia et populi multitudine gloriari, solet suorum formam libertatis subditorum, et solucionum ac seruiciorum meritum siue modum misericorditer moderari, ut populis certa lege fruentibus, eorum numerus augeatur. Proinde ad uniuersorum noticiam harum serie uolumus peruenire: quod cum per transitum domini Bele, illustris regis Hungarie, patris nostri charissimi, felicis recordacionis, ad nos regni gubernaculum deuenisset iure successorio, seu ordine geniture, placuit nobis inter cetera libertatem fidelium nostrorum hospitum Saxonum de Scepus graciosius refor-

mare, concedentes eisdem hunc statum et graciam libertatis:

(1) quod nobis racione terragii singulis annis trecentas marcas fini argenti, cum pondere Budensi, in festo b. Martini confessoris soluere teneantur, quibus solutis ab omnibus exactionibus et collectis, dicis et uectigalibus, que in regno nostro exigi contigerit, sint liberi penitus et exemti.

(2) deinde cum nos in regno nostro, uel extra regnum exercituare uel miliciam exercere coegerit temporis necessitas, ut parati cum quinquaginta uiris armatis lanceatis uenire teneantur, sub uexillo regis uiriliter pugnaturi.

(3) cum autem nos prouinciam intrare acciderit, quociescunque cum baronibus nostris et nostra milicia ueniemus, ipsi hospites nostri nobis introitum dare tenebuntur opulentum, nostre celsitudini competentem.

(4) et quia crebrius in conflictibus nostris sanguinem suum uberius effuderunt nostre maiestatis regie in conspectu, hanc eisdem graciam et libertatem duximus concedendam, quod liberam habeant licencie facultatem inter se comitem uel iudicem, quemcunque uoluerint eligendi, qui una cum comite pro tempore constituto, omnes causas inter ipsos emergentes, iudicabit in Leucha, ciuitate prouincie capitali, iuxta ius et consuetudines prouincie approbatas.

(5) de penis uero seu mulctis, seu birsagiis, de causis maioribus prouenientibus, comes pro tempore constitutus duos recipiet denarios, comiti prouincie tercio denario remanente, hoc expresso, quod de simplici uulnere, quod non transit in mutilacionem, cedit media marca, de mutilacione quinque marce, de fissura similiter quinque marce, de cede uero cedent decem marce, casus uero minores pro pecunia uel heredibus, comes prouincie per se iudicabit.

(6) concessimus eciam iisdem liberam licencie facultatem sacerdotes quoscunque decreuerint in suas ecclesias eligendi, qui de ubertate nostre gracie liberis decimis iugibus temporibus sacientur ad omnipotentis gloriam et honorem.

(7) uolumus eciam quod nullus comitum pro tempore constitutorum, ipsos contra libertates eisdem concessas molestare audeat uel presumat.

(8) insuper de prerogatiua speciali, hanc ipsis dedimus libertatem, quod per nullius condicionis, status, aut ordinis hominem possint ad nostri presenciam extra prouinciam euocari uel citari, maxime quia homines sunt simplices, et in iure nobilium nequeunt conuersari, agriculturis et laboribus intenti, proprio iure et lege speciali perfruuntur.

(9) uerum omnes cause pro possessionibus et hereditatibus, metis et limitibus, facultatibus et mortibus, seu quibuscunque casibus, per comitem pro tempore constitutum et comitem prouincie, terraneis mediantibus iudicabuntur, in loco superius memorato, secundum formam iuris.

(10) deinde singulis annis, in ramis palmarum monetam nostre camere regie, cum omni reuerencia suscipere tenebuntur, et solemniter permittere currere secundum ius, uigorem, et lucrum camere regie cambiare uniuersaliter tenebuntur, ita quod comes camere, uel sui officiales, quos ad hoc deputauerit, altero dimidio mense, siue sex hebdomadis plenam habeant potestatem cambiandi, ius et lucrum camere prosequendi, de qualibet marca, in cuiuslibet fori uel empcionis titulo recipient unum pondus.

(11) uolumus eciam monetam quinte esse combustionis, finito autem tempore sex hebdomadarum expresso superius, comites camere surgent de cambio, cessante omni uigore eorumdem, ipsa moneta nihilominus curret

per totum annum, usque ad reuolucionem noue monete, quod quilibet habeat liberam licenciam emendi, uendendi cum ipsa moneta, cum auro et argento, uel cuiuscunque substancie facultatis.

(12) nec pretermisso, quod sepedictis hospitibus nostris fidelibus in aquis piscandi, in campis, in syluis uenandi, plenam concessimus libertatem.

(13) uolumus insuper quod in metis et limitibus, syluis et nemoribus, per nullius condicionis hominem impediantur uel grauentur, uerum ipsi larga pociantur licencia syluas exstirpandi, et in terram arabilem redigendi, suisque usibus applicandi.

(14) cum autem collectores terragii nostri, certo tempore prescripto ad ipsos peruenient, tenebuntur eos suscipere honorifice et gratanter, in certo numero quatuor personarum et quinque equorum, quibus in uictualibus et deliciis laucius prouidebunt, donec summa trecentarum marcarum, cum pondere prenotato integraliter colligatur.

(15) postremo ipsis petentibus hanc concessimus graciam: querendi mineras et metalla in montanis, inuenta tollere, et suis usibus applicare, saluo iure nostro, dedimus potestatem.

ut igitur huius a nobis concesse libertatis series robur obtineat firmitatis perpetue, nec per quempiam processu temporis retractari ualeat, aut in irritum quomodolibet reuocari, presentes concessimus litteras, dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. datum per manus magistri Benedicti Orodiensis ecclesie prepositi, aule nostre uicecancellarii, dilecti et fidelis nostri. anno domini millesimo ducentesimo septuagesimo primo. VIII. kal. Decembris indictione XIV. regni autem nostri II.

STEPHANI V. REGIS
LIBERTAS HOSPITUM DE IAURINO.
MCCLXXI.

E membrana protographa.

Stephanus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque rex, omnibus Christi fidelibus presentes literas inspecturis, salutem in omnium saluatore. sicut in multitudine gentis regum gloria et honor attenditur in gubernando, sic in conseruacionibus municionum regni defensio et subditorum multiplex commodum procuratur. hinc est, quod ad uniuersorum noticiam tam presencium quam posterorum, harum serie uoluimus peruenire: placuisse nobis et placet, hospites nostros de Iaurino ad castrum transferre Iauriense, permansuros de cetero in ipso castro, in illa et eadem libertate, qua ciues et hospites nostri Albenses gratulantur, exemtos nihilominus a iudicio, iurisdictione, potestate et iudicatu comitis Iauriensis, et curialis comitis sui perpetuo et pariter expeditos, ita uidelicet:

(1) quod uillicum quem de castro uoluerint eligant inter se, quem electum nobis presentabunt, et nos ipsis confirmabimus, qui omnes causas ipsorum tam maiores debeat et possit iudicare.

(2) et si idem uillicus iusticiam querulantibus facere recusaret, non hospites, sed uillicus ad nostram presenciam iuxta regni consuetudinem euocetur.

(3) absoluimus et eosdem et expedimus a solucione dimidii fertonis, quam racione terragii comiti Iauriensi soluere debent annuatim, iuxta continenciam prioris priuilegii nostri de qualibet mansione.

(4) preterea concessimus eisdem liberum forum, tam in castro, quam exterius celebrandum, ubi comes Iauriensis et eius officiales nullam penitus iurisdictionem poterunt exercere, hoc solum et specialiter in presentibus declarato, quod tributum fori, quod die sabbathi in uilla Iauriensi celebratur, comes Iauriensis percipiet plenarium, quemadmodum percepisse dignoscitur usque modo.

(5) adiunximus eciam et coniunximus populos episcopi et capituli Iauriensis in eadem uilla communita, cum iisdem hospitibus residentes, hospitibus nostris memoratis, ut in omnibus et per omnia eadem perfruantur libertate, qua hospites nostri gratulantur memorati, eo saluo, quod terragium, seu censum debitum uillicus eorumdem in octauo Pentecostes episcopo seu capitulo Iauriensi proueniens, ab eisdem hospitibus persolui faciet ex integro, prout exstitit consuetum.

(6) ceterum statuimus, quod hospites nostri Iaurienses, nec in ipso foro, nec alias infra regni nostri limites de suis propriis mercimoniis aliquod tributum soluere teneantur, more regalium hospitum aliorum.

(7) adhuc ut pro edificiis reparandis uirgas et palos habeant, et pro agricultura ac pro curiis terram habeant ampliorem, contulimus eisdem hospitibus nostris quamdam insulam cum suis populis in Danubio usque occidentem ex opposito castri Iauriensis adiacentem, cum suis nemoribus, pratis et pariter piscaturis.

(8) contulimus et eisdem terram castri Iauriensis Malomsok uocatam, ultra Danubium usque Zamoly existentem, quam primitus dederamus simul cum omnibus utilitatibus suis, et pertinenciis uniuersis.

(9) dedimus insuper ipsis hospitibus nostris quamdam uacuam terram, monasterii Zerphel, Terendoiul uocatam iuxta Rabam existentem, cum omnibus utilitatibus suis, ita, ut de ipsorum medio malignorum cauillacio amputetur, quosdam populos castri Iauriensis quinque ponderum solucionem, et quosdam populos castri Zolga-Geur, hospites, et mansiones regalium tauernicorum, populos et cruciferorum domus hospitalis s. Ioannis, nec non et populos de uico s. Adalberti, ac alios eciam populos communes, cuiuscunque condicionis, qui inter ipsos hospites nostros residebant, eisdem hospitibus nostris coniunximus, ita quod de cetero pristine condicionis ipsorum immemores, in ipso castro resideant, et nobis in libertate eorumdem hospitum nostrorum seruire teneantur.

(10) statuimus eciam quod omnes mercatores usque Austriam in Hungariam descendentes, et de Hungaria in Austriam transeuntes, mercimonia sua in castro deponant Iauriensi ad concambium faciendum.

(11) statuimus insuper quod nullus baronum nostrorum descensus super ipsos facere audeat uel presumat.

(12) adhuc quia paupertas ipsorum hospitum Iauriensium nobis constitit euidenter, de libertate ciuium Albensium hoc solum excipimus, quod nobiscum uel cum aliquo alio barone nostro exercituare nullatenus teneantur.

(13) concessimus insuper et prouide duximus ordinandum, ut omnis controuersia de eorum medio excludatur, portum pro se habeant, et habere possint liberum in Danubio.

ut igitur hec ordinacio per nos racionabiliter facta robur obtineat perpetue firmitatis, nec in posterum cursu temporum ualeat per quempiam in irritum reuocari, presentes concessimus litteras per apposicionem dupplicis sigilli nostri roboratas. datum per manus magistri Benedicti, Orodien. ecclesie prepositi aule nostre uicecancellarii, di-

lecti et fidelis nostri, anno ab incarnacione domini milesimo ducentesimo septuagesimo primo, regni autem nostri anno secundo.

STEPHANI V. REGIS
PRIVILEGIA ECCLESIÆ AGRIENSIS.
MCCLXXI.

E transumto Caroli regis anno 1323.

Stephanus — — — ad apicem pertinet regie maiestatis suorum predecessorum priuilegia renouare seu restaurare, que per temporum curricula ab ecclesiis quoquomodo alienata exstiterunt, ut per renouacionis seu restauracionis titulum ea inconcussa permaneant, que suis temporibus excelsi principes statuerunt. proinde ad uniuersorum noticiam tenore presentium declaramus, quod quum nos conuocacionem et congregacionem omnium nobilium existencium a parte Danubii uersus orientem in Haycuholm et Heues commode fecissemus, pro statu regni nostri reformando, et iusticiam unicuique reddendo, iuris ordine tamen obseruato, cum consuetudine laudabili a sanctis progenitoribus nostris approbata, tandem die octaua solemnitatis eiusdem conuocacionis et congregacionis, quo tempore ardencius et efficacius unicuique ius suum per iusticiam reddebatur, Lambertus miseracione diuina episcopus Agriensis surgens et stans in nostri presencia et omnium regnicolarum, proposuit in hunc modum: quod ecclesia Agriensis super omnes ecclesias cathedrales regni Hungarie priuilegio libertatis exstitisset decorata per sanctos reges nostros predecessores, uidelicet in possessionibus

suis possidendis, in decimis dicandis et exigendis, in tributis datis et donatis, et breuiter in quibuslibet fructibus et utilitatibus eidem ecclesie prouenientibus: item et exemcione nobilium suorum, uasallorum condicionariorum, ciuium et ceterorum rusticorum seu uillanorum, tamquam domina, in solio sue maiestatis resedisset, remota contradictione cuiuslibet, munita libertate et uallata, quum eadem ecclesia tempore necessitatis loco nutricis regum filiis conseruatrix sit et magistra. sed proh dolor! quia licet eadem ecclesia in eisdem libertatibus, quibus fuisset per sanctos reges decorata, et nunc gratulatur: nihilominus tamen priuilegia sanctorum regum, super eisdem libertatibus emanata per Tartarorum insultus in eadem ecclesia Agriensi fuissent penitus ablata et combusta, demum quum Cletus episcopus, predecessor eiusdem cum inclito carissimo patre nostro Bela rege, maritimas fuge presidio partes, Tartaris uictoriam obtinentibus, attigisset, et tribus annis cum eodem Bela rege residenciam insularem peregisset, post hoc, Tartaris recedentibus cum rege Bela Hungariam remeasset, et idem rex Bela pater noster carissimus unicuique quantum potuisset, perditas libertates et priuilegia restaurasset, et specialiter ecclesie Agriensi, tamquam sue proprie suorumque successorum nutrici speciali, tandem mortuo Cleto episcopo, condicionarius ecclesie predicte, uidelicet Samuel filius Sibini, collectis omnibus ipsis priuilegiis, que per Belam regem fuissent restaurata, combussisset, et in cineris fauillam redegisset, qui quidem condicionarius propter excessum infidelitatis, deiecta nobilitate, qua eum idem Cletus episcopus nobilitauerat, per eundem redactus in seruitutem exstitisset, ut asserunt, et inde in Rutheniam auffugisset et sic euasisset, quapropter nos humiliter postulauit, ut omnes libertates, quibus a tempore sanctorum regum nostrorum progenitorum ipsa ecclesia Agriensis dignoscebatur fulciri, et nunc

in eisdem sedet et gratulatur, seriatim rescribendo ad eternam rei memoriam inuiolabiliter nostro dignaremur priuilegio confirmare, et predicta priuilegia per hoc restaurare. quibus auditis et clare intellectis, maxime quia iusta erant, que per ipsum petebantur, et quia eciam nos et nostros successores tangebat super omnes ecclesias cathedrales specialissimo iure patronatus, de consensu omnium nobilium nobiscum in nostra congregacione assidencium decreuimus, quod XXV seniores nobilium de diecesi Agriensi eligerentur, qui tacto uiuifice crucis ligno, sub fidei religione, omnes libertates ecclesie Agriensis nobis publicarent, et publicatas in formam priuilegii nostri ad eternam rei memoriam redigi faceremus.

Electis ergo ipsis nobilibus, uidelicet Ireneo — de genere Acus, item M. Machiano de Debro, item Gerhardo, Paullo comite, filio Compoldi, Leustachio Magno, comite Nicolao, Petro et Georgio nobilibus de genere Alba, item Gula et Serus de genere Bartyan, Ueche et Picruslo, item Bartholomeo et Feliciano comitibus de Beregh et Ugocsa, item comite Aladario de Uarad, item M. Iacon magno de Nagy-Mihály, item comitibus Hute, Laurencio et Omodio de genere Guthkeled, item magistro Bagon et comite Gerhardo de genere Chaak, et comite Abraham de Cholth, de comitatu de Zarand, item comite Ladislao de Rabei, item Benedicto de Iaan de genere Catha, item Michaële filio Ubul de Nagy-Sennien, presente discreto uiro Benedicto preposito Orodiensi uicecancellario nostro dilecto et fideli, tacto uiuifice crucis ligno, iurauerunt in hunc modum, prout idem uicecancellarius noster et nobiles ad predictum iuramentum electi concorditer retulerunt, quod ecclesia Agriensis talibus libertatibus et priuilegiis a sanctis regibus exstitisset decorata:

(1) primum quod uacante sede Agriensi nullus alius possit eligi in episcopum, nisi nobilis genere et iuris peri-

tus. unde de tribus presentatis per dominum regem, moribus et uita approbatus et legitime etatis, qui in custodia regis filio impendenda, regi et regno fideliter possit deseruire, quum idem episcopus Agriensis ex statutis sanctorum regum locum nutricis teneat in tempore insultus infidelium et iniquorum in custodia et defensione facienda.

(2) Item decimas bladorum de omnibus generibus debent decimatores episcopi et capituli dicare et exigere in horreis uillanorum et rusticorum, in inuicem congregatorum et in aceruum cumulatorum, sicut in frumento, siligine, hordeo, auena, milio, pisis, leguminibus, canabo et lino — —

(3) Item debent decimatores accipere ad dicandum in festo sancti regis Stephani, nulla alia conuencione, uel aliqua pactione interueniente.

(4) Item, si rusticus uel uillanus solus seruat unam curiam integram seu portam, et caret tritico, dicabitur pro duabus capeciis pro decima personali et eleemosyna annuali ob reuerenciam fidei catholice.

(5) Item inquilinus coniugatus pro una capecia.

(6) Item de agnis, hedis, et suillis decimam integram persoluent ad dicacionem decimarum domini episcopi uel capituli.

(7) Item de apibus similiter.

(8) Item de horreo nobilis unus ferto.

(9) Item de seruo coniugato una capecia.

(10) Item de una porta una gallina decimalis.

(11) Item de quolibet grege anseris una auca.

(12) Item de poledris decima integra, que decima poledrorum filio regis Hungarie nato uel nasciturо debet reseruari, deducta parte tercia episcopo Agriensi, ut quum filius regis ad etatem peruenerit legitimam, superabundans in equis existat, et patronum ecclesie Agriensis se cognoscat, rege autem patre suo antiquato, erecto uexillo reg-

num gubernare ualeat et ab incursibus malorum defensare.

(13) Item decimam partem omnium tributorum, per quemcumque exigi consuetorum, in comitatu uidelicet Borsod, Abauiuár, Zemplen, Ung, Szabolcs, Zarand, Küszolnok, Heues Uiuár, Beregh, et Ugocsa: qui duo ultimi comitatus, scilicet Ugocha et Beregh, fuerunt foreste sanctorum regum traditi et donati per predecessores nostros ecclesie Agriensi supra dicte in decimis dicandis et persoluendis, prout ceteri comitatus.

(14) Item decime uini omnibus comitatibus ubi uinee sunt plantate uel plantabuntur in posterum, per decimatores episcopi uel capituli dicabuntur, et exigentur ex integro, excepto comitatu de Zarand, ubi uina decimalia soli episcopatui dignoscuntur pertinere.

(15) Item hospites uenientes ad manendum et habitandum in possessionibus ecclesie Agriensis sine omni telonio et tributo per loca tributorum transeant et ueniant permansuri, exceptis mercatoribus hospitibus ecclesie, qui in locis tributorum persoluant tributa consueta.

(16) Item ciuitatem Agriensem et ciues, uillas et uillanos, possessiones omnes et singulas mansiones, condicionarios et uasallos, nobiles suos, in quibuslibet comitatibus existentes, nullus iudicum, baronum, palatinorum, uel quouis alio nomine nominentur, iudicabit, sed solus episcopus Agriensis et capitulum eiusdem, uel uicarius aut comes, per ipsum episcopum deputatus, et unicuique reddet ius suum petenti de quacunque causa, iuris ordine obseruato, qui si iusticie complementum reddere recusaret, idem episcopus et non alius ad presenciam regiam citabitur, de sua negligencia et de non reddita iusticia racionem redditurus.

(17) Item quod nullus episcoporum possessiones ecclesie Agriensis uendere seu quouis modo alienare possit,

nec de consensu regis et regine, que si uel uendiderit uel alienauerit, pro non uenditis uel alienatis habeantur.

(18) Item, quod episcopus nulli decimas relaxare possit in specie, nec causa malignandi per ambiciosos sceleratos laicos contra ecclesiam regalem inueniatur, sed cui uoluerit idem episcopus, exacta pecunia decimali, prouideat, quomodo ualet. qui relaxauerit in specie, indignacionem dei omnipotentis et sanctorum regum se nouerit incursurum.

Quicunque ergo nostrorum regum successorum, baronum aut nobilium, cuiuscunque preeminencie dignitatis existant, de omnibus premissis articulis uel eorum singulis aliquid quoquomodo immutare, diminuere, seu negare presumserit, iram et indignacionem ipsius dei omnipotentis et regum sanctorum similiter se nouerit incursurum. insuper barones, deposita dignitate, et nobiles de ipsorum bonis exhereditentur, quorum bonorum due partes regis fisco applicentur, tercia parte episcopo permanente. in cuius rei memoriam — — — datum per manus predicti M. Benedicti prepositi Orodiensis aule nostre uicecancellarii, dilecti et fidelis nostri. anno domini MCCLXXI. regni autem nostri anno secundo.

LADISLAI III. REGIS
LIBERTAS HOSPITUM DE VILLA LATINA IN SCEPUS.
MCCLXXIII.

E membrana protographa.

Ladislaus, dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie Bulgarieque rex. uniuersis Christi fidelibus, tam presentibus quam futuris, presentem paginam inspecturis salutem in omnium saluatore.

Regalis sublimitatis immensitas, cuius est in multitudine subiectorum gloriari, quantum tenetur quoslibet incolas regni sui in suis iuribus conseruare, tanto magis libertates hospitum suorum tenetur suorum priuilegiorum munimine roborare, ut hominibus certa lege gaudentibus, honor regius augeatur. proinde ad uniuersorum noticiam harum serie uolumus peruenire, quod hospites nostros de Latina uilla in Scepes, regie benignitatis fauore prosequi intendentes, cupientesque eosdem in suis antiquis libertatibus et iuribus acquisitis indempnes conseruare, concessimus eisdem, imo a predecessoribus nostris, regibus Hungarie illustribus dudum concessum innouamus:

quod in omnibus et per omnia illam et eandem ipsi et eorum successores libertatem et honestam consuetudinem habeant, quemadmodum et hactenus habuerunt. qua uniuersi alii omnes hospites nostri Saxones de Scepes, iuxta

formam priuilegiorum suorum, que tam ipsis Saxonibus, quam Latinis prenotatis, priscis temporibus communiter concessa fuerunt, gratulantur, hoc nihilominus saluo et specialiter declarato, quod ad ecclesiam eorum, ubi est regalis plebania, plebanum per uniuersos concorditer, uidelicet per maiorem et saniorem partem electum, archiepiscopo Strigoniensi uel eius uices gerentibus, et non preposito de Scepes nomine ipsorum Saxonum presentent confirmandum, cum eadem ecclesia et hospites de Latina uilla predicta a iurisdictione et potestate prepositi de Scepes ab ipsorum principio sint exempti.

Ut igitur huiusmodi libertas robur perpetue firmitatis obtineat, presentes concessimus litteras, duplicis sigilli nostri munimine roboratas. datum per manus magistri Benedicti Orodiensis ecclesie prepositi, aule nostre uicecancellarii, dilecti et fidelis nostri. anno domini millesimo ducentesimo septuagesimo III. indictione prima, 14. kal. Ianuarii. regni autem nostri anno secundo.

MATTHÆI BANI SCLAVONIÆ IURA REGNI ET BANATUS.

MCCLXXIII.

E transumto capituli Chasmensis ann. 1350.

Nos Matheus Banus tocius Sclauonie significamus omnibus presencium per tenorem ..... regni tocius Sclauonie generali, nobiles et iobbagiones castrorum hec iura regni et banatus infrascripta redacta in scriptis nobis exhibuerunt, petentes quod eadem in iudiciis exercendis et banatus iuribus ..... per nostros iudices obseruare.

nos itaque qui de bonis regni et utilitatibus gratulamur, ipsorum peticionem iustam, eo quod premissa iura ueris et legitimis racionibus fundabantur, admisimus debito cum effectu.

(1) Primum: secundum ..... pristaldum, suum consanguineum et cognatum, aut seruientem, aut suum parochialem sacerdotem pro testimonio recipere nullus possit.

(2) Ad hec si actio fiat in presenciam nostram, quindena diei actionis, si uero in presencia nostrorum iudicum, actio debet pro termini ..... si actor primo certificacionis edicto in litis iudicio sue exprimeret actionem, ne locus fraudibus reseruetur, et si conuentus in primo non comparuerit termino, XL denariorum iudicio subiacebit. pro ceterorum uero obmissionibus terminorum consueta iudicia regni soluere.

(3) Item citatus in causa possessionis, furti, uiolencie, homicidii aut infidelitatis, si personaliter uel per hominem suum comparuerit, responsio peremptoria siue iudicii grauamen usque ad septimum terminum debeat prorogari, accepcione cuiuslibet termini quindecim dierum iudicia obseruentur. uel pro septem edictis que legitime recipi possent, unus terminus peremptorius assignetur, et si quis in premissis casibus in septimo termino non comparuerit, iudex in octauo termino publice faciet proclamari, quod reus iuri parere debeat, quare in prioribus terminis non comparuerit, ostensurus iustam et legitimam racionem. qui si eciam tunc se absentauerit, actor mittetur causa rei summende in possessionem contumacis, pro modo delicti uel maleficii in litis iudicio declarati.

(4) Preterea si quis pristaldo contradixerit uel maculam obiecerit falsitatis, si ipsum legitime conuincere non possit, soluet pro iudicio marcam unam. item si quis pristaldum uerberauerit uel hominem capituli datum pro testi-

monio, conuictus tamen legitime pene decem marcarum subiacebit. si quis autem in figura iudicii litterio capituli uicium apposuerit falsitatis, et non conuicerit regni legitimis documentis, decem marcarum penam soluet.

(5) Ceterum cum quis in causa pecuniaria condemnatus, iudici uel aduersario suo usque ad secundum terminum satisfacere non curauerit, dicto termino unus de iudicibus per regnum constitutis ibit cum homine comitatus Zagrabiensis uel Crisiensis, adhibito testimonio capituli Zagrabiensis uel Csasmensis, et de bonis seu rebus contumacis iuxta condignam estimacionem iustum exiget iudicatum. in peculio autem petito magne quantitatis, iudices inspecta qualitate personarum, secundum suam discrecionem moderabuntur terminos pro solucionibus faciendis.

(6) Item si quis alteri crimen obiecerit lese maiestatis uel dixerit quod falsam cudi faciat monetam, si conuincere non possit, penam pati debeat talionis.

(7) Statutum fuit eciam, si quis contra alterum in iudicio proposuerit, quod in regno ducat uitam publice uiolentam, et non conuicerit secundum iuris processum, soluet dimidii homagii iudicium, pensas scilicet sexaginta.

(8) Si uero actor proposuerit contra reum, quod ipse rerum suarum fur extiterit, si satis et legitime non conuicerit, iudicia duo soluet.

(9) Si quis autem in iudicio constitutus, alterum seruum suum in iudicis presencia uituperauerit, iudicium lingue soluet, scilicet XXV pensas. in minoribus autem causis conuictus solo iudicio aggrauabitur.

(10) Item si cui obiectum fuerit in iudicio quod super domum alterius manu uenerit uiolenta, et non conuicerit iusticia mediante, iudicium soluet duplex.

(11) Adiectum fuit eciam premissis, quod in quolibet genere actoris adiudicato ad duellum siue sacramentum, si

partes ad composicionem fecerint, iudex ultra formam composicionis habite plus petere non ualebit. item in una causa, siue actor reo deferat, siue reus actori referat sacramentum, iudex inter ipsos duellum non possit iudicare, sed per sacramentum causa debeat emanere, nisi partes examen duelli assumpserint spontanea uoluntate.

(12) Extitit eciam ordinatum, quod causa homicidii uel furti, si quis per sacramentum adiudicatum se purgabit, soluet purgacionis denarios XL. ut eciam in causis uinearum, molendinorum, si ad iudicatum fuerit sacramentum, idem debet iudicium obseruari.

(13) Item in causa pecuniaria reus conuentus nullatenus debet captiuari, si pecunia uel possessione carere inuentus fuerit manifeste.

(14) In actione eciam furti siue uiolencie, uel cuiuslibet maleficii, homo possessionatus sine caucione fideiussoria iudicetur.

(14) Item alter pro alterius delicto, sicut pater pro filio emancipato, uel e conuerso, aut frater pro fratre diuisionis titulo separato, non debeat condemnari, nisi fuerint conscii uel participes criminis perpetrati. sed quisque in bonis propriis uel porcionibus iuxta suum meritum aggrauetur.

(15) Item porcio hereditaria sine herede decedentis cognacioni sue debeat remanere, uti et pertinencie. quod se eciam alterius reambulacionis iudex ad fructus uel utilitates eius non debebit mittere manus suas, donec causa per partes fuerit fine debito terminata.

(16) Item dum hostilis incursus uel exercitus uenerit super regnum, aut dominus rex processerit in expedicionem personaliter, tunc nobiles regni dicti Sclauonie singuli et uniuersi ire ad exercitum tenebuntur. ita tamen quod idem cum baronibus quibus uoluerint exercituandi habebunt liberam facultatem.

(17) Item super dicatores zalusinarum, uel procuracionum aut descensuum exhibita satisfactione, banus descensum facere non debet, nisi iusta causa regni et legitime imminente. et nobiles ac iobbagiones castrorum de descensibus bani debent usque dies s. Martini modis omnibus expediri.

(18) Item si quis in soluendo mardurinas, collectam septem denariorum, iudicia exercitualia, uel eciam collectam que in regno fieri continget, seu iudicia in quibus si conuictus contumax exstiterit et rebellis, comes Zagrabiensis uel Crisiensis cum uno de coiudicibus sibi . . . . . ad exigendum procedet, assumto secum testimonio capituli Zagrabiensis uel Csasmensis, pro eo ne plus iusto debito exigatur.

(19) Et in processu suo super aliquem nobilem uel iobbagionem castri descensum facere non debebit, sed expensas quas fecerit descendendo, de bonis eciam recipiet contumacis.

(20) Insuper uolumus, sub silencio pene, quod nobiles in Zagoria et aliis comitatibus similibus, eo die prout alii descensum dare non teneantur, nec eius adstare iudicio, sed banus eos iudicabit pro tempore constitutus.

(21) Sane collectores eciam mardurinarum non cum pluribus procedere debeant, nisi cum duodecim hominibus, habentes XIV equos, et non plures. quibus quidem de qualibet condicione pro uictualibus administrari debeat . . . una, seu gallina, anser unus, quarcio cubuli de uino, cum cubulo tuni palmarum XII. cubuli de pabulo cum cubulo quatuor palmarum et non ultra, prout felicis recordacionis domini nostri illustris regis Bele in priuilegio continetur.

(22) Collectores autem septem denariorum uel iudiciorum exercitus, de medietate habebunt descensus memorati. dictique collectores mardurinarum in curiis nobilium

uel iobbagionum castri, domus aliquas aut domum uillici aut preconis, molendina et stubas dicare non debeant ullo modo.

(23) Uillico eciam domus una acturie sue pro recipiendis hospitibus libera relinquatur. et talis debet habere uillicum uel preconem, qui decem iobbagiones possidet et non infra.

(24) Item aliqui commorantes super terris nobilium uel iobbagionium castri dicari non debent, sed iobbagiones eorum, si quos habent.

(25) Et quod omnia premissa debito ordine obseruentur, cum comite Zagrabiensi continuo nobiles et duo iobbagiones castri, et totidem cum comite Crisiensi, quos regnum eligendos duxerit, iudicabunt. qui si omnino adesse non possent, tres uel duo iudices eo die sufficient ad iudicium faciendum

Ut autem hec statuta suprascripta seu constituciones robur perpetue obtineant firmitatis, presentes concessimus literas sigilli nostri munimine roboratas. datum Zagrabie, quinta feria proxima post octauas pasce. anno ab incarnacione domini millesimo ducentesimo septuagesimo . . . . .

LADISLAI III. REGIS

ARTICULI ADDITI

LIBERTATI HOSPITUM DE CASTRO BUDENSI

MCCLXXVI.

E schedis Podharaczkii.

Insuper nos habito tractatu, de consilio baronum nostrorum, ex gracia concessimus speciali:

(1) ut si qui ex ipsis habentes heredes uel proximos, pro homicidio uel alio equali excessu, casuali uel malefico, uel quocunque nocumento grandi commisso, pro defensione persone sue recesserint fugitiue, de bonis et possessionibus talium nec per nos, seu per barones nostros, nec per iudicem eorum aliquid auferatur, sed integra et salua apud uxorem seu heredes aut proximos eorum conseruetur, ne possessionibus eorum receptis seu distractis, ipsis fugitiuis redeundi omnino spes tollatur, sed ut lesis satisfacere ualeant de eisdem. si uero heredibus aut proximis ipsi fugitiui caruerint, de possessionibus et bonis eorum ciues lesis satisfacere teneantur secundum commissi qualitatem, residuum uero, si quid fuerit, ad opus castri Budensis expendatur.

(2) Si uero quispiam ex predictis hospitibus nostris intestatus decesserit, possessiones et bona talium in tres partes diuidantur, et una distribuatur per eleemosynas pro remedio anime decedentis, due uero partes ad munimenta et edificia castri Budensis reseruentur.

(3) Ad hec concessimus eisdem, ut non cogantur recipere aliquem iudicem per nos datum, sed ex electione sua libera assumant in uillicum quem uolent, prout in tenore priuilegii aui nostri est expressum, qui quidem uillicus in anni reuolucione uillicatum debeat in manus ciuium resignare.

(4) Ceterum ut iidem ciues nostri, ut merito, sic numero augeantur, ualeantque honestius et commodius sublimitati nostre deseruire, concessimus et concedimus: quod pro nullo graui excessu eorum possessiones eorum alienentur per manus regias aut barones, seu per iudicem ipsorum, sed excedentibus inferatur debita pena in personis, hereditates uero seu possessiones ipsorum uel bona, uxoribus, heredibus, proximis uel cognatis indemniter conseruentur.

THOMÆ BANI
LIBERTAS HOSPITUM DE KOMAROM.
MCCLXXVII.

E tabulario urbis Komárom.

Thomas Banus, comes Posoniensis, Nitriensis et de Kamarum, uniuersis quibus presentes ostenduntur, sincere salutis affectum. Constans dilectio labente tempore non labitur, sed in altis consistens radicibus protelatur. proinde ad uniuersorum noticiam harum serie uolumus peruenire: quod nos hospitibus nostris de Kamarun congregatis uel congregandis hanc duximus graciam faciendam, et libertatem concedendam:

(1) quod a iudicio castellani nostri uel curialis comitis de Kamarun penitus esse debeant absoluti et exemti, sed

omnes causas inter ipsos ortas in propria persona nostra iudicabimus, aut uillicus ipsorum, quem inter se elegerunt teneatur iudicare.

(2) Preterea de integra curia per circulum anni pro terragio soluere debeant dimidium fertonem, partem in octauis beati Georgii, partem uero in octauis beati Michaelis archangeli.

(3) Si qui autem sine herede mortui fuerint, res ipsorum pro anima, siue cognatis, cuicunque uoluerint liberam habeant facultatem relinquendi.

(4) In legacionibus autem ire non debeant cum missione uel precepto aliorum, nisi receptis litteris nostris.

(5) Item fenetum pro arundine ultra Vág falcandi habeant pro se ipsis facultatem.

(6) Item in aquis cum ipsorum maneriis quocunque uoluerint liberum habeant transitum et securum.

(7) Item decimas ipsorum decimatoribus pro tempore constitutis soluere debeant cum frugibus in manipulis.

Et ut hec premissa robur perpetue obtineant firmitatis nostrum concedimus priuilegium sigilli nostri munimine roboratum. datum in Kamarum, feria quinta proxima post quindenas pasce domini. anno autem domini millesimo ducentesimo LXXVII.

LADISLAI III. REGIS
LIBERTAS CIVIUM DE SOPRONIO.
MCCLXXVII.

E transumto Matthiæ I. regis anno 1464.

Ladislaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanie Bulgarieque rex. uniuersis Christi fidelibus presencium noticiam habituris, salutem in omnium saluatore.

Ad uniuersorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod accedentes ad nostram presenciam fideles nostri ciues de Supranio, a nobis humiliter supplicando pecierunt, quod nos ipsos in libertate ipsorum per charissimos progenitores nostros Belam auum nostrum, et Stephanum patrem nostrum illustres reges Hungarie felicium recordacionum concessa, dignaremur liberalitate regia conseruare. nos itaque ipsorum iustis peticionibus pietate debita inclinati, attendentesque eorum ciuium gratam fidelitatem et graciosa obsequia, que nobis in conseruacione castri nostri Supraniensis et aliis omnibus contra regem Boëmorum, regni nostri inimicum capitalem, qui in tenera etate nostra multos uastus multaque spolia in regno nostro nequiter committere non expauit, et multa castra nostra fecit uiolenter et fraudulenter occupari, exhibuerunt indefesse, et graui necessitate compulsi, filios eorum regi Boëmie traditos in obsides, pro fidelitate nobis obseruanda non parcentes filiis, idem castrum nostrum nobis illese et

sine periculo, filiis eorum apud eundem regem Boëmie remanentibus restituerunt, promisimus et promittimus eisdem, ut ipsos ciues nostros in eadem libertate indempnes inuiolabiliter conseruabimus, quam eisdem dominus Bela auus noster, et Stephanus pater noster, illustres reges Hungarorum, mediante priuilegio eorundem concesserunt et ordinarunt.

Propterea uolumus:

(1) quod iidem ciues a iurisdictione et potestate ac iudicio omnium baronum nostrorum et specialiter comitum Supruniensium pro tempore constitutorum, exempti penitus et excepti habeantur. ita quod omnes causas tam maiores quam minores, quoque super effusione sanguinum uel homicidii inter ipsos emergentes, uillicus ipsorum pro tempore constitutus, quem iidem ciues communiter in festo s. Georgii elegerint, iudicet et decernat more ciuium Albensium, et aliorum hospitum in regno nostro existencium.

(2) Et si idem uillicus in facienda iusticia negligens fuerit, non reus, sed uillicus ad nostram presenciam euocetur, et nos personaliter decernemus de caussis eorumdem.

(3) Ceterum nobis pro reformacione status regni nostri ad d. Rudolphum regem Romanorum accedentibus, et inter alia negocia nostra ad ipsum castrum nostrum Supron diuertentibus, consideratisque antiquis operum consumcionibus et fracturis in eodem castro nostro Supron, ad reparacionem earumdem fracturarum concessimus et tradidimus eisdem ciuibus uicesimam decimarum frugum, que de decimis uen. patris episcopi Iaurinensis in comitatu Supron prouenire annue debemus et habere, ita ut ciues ipsam uicesimam decimarum perpetuo ualeant ex regia munificencia pro reparacione castri, ut prediximus, possidere.

(4) Ad hec uolumus, quod medietatem tributi Fertheu, quam Bela auus noster, et Stephanus pater noster

inclyti reges Hungarie pro reparacione et conseruacione turrium, in eodem castro existencium eisdem ciuibus concesserant, iidem percipere ualeant pacifice et quiete.

(5) Item concessimus eisdem ciuibus, quod quicumque turrim in ipso castro nostro edificauerunt uel edificare uoluerint ex nouo, nullus preter regiam manum aufferre possit uel debeat ab eisdem.

(6) Sane uolumus, quod quicunque de ipsis ciuibus terras seu uineas a nobilibus uel ab aliis extraneis precio comparauerint, in libertate ciuium Supron possidere ualeant et habere, et de qualibet uinea in terra nobilium existenti nonnisi sexaginta tres denarii persoluantur, iuxta antiquam eorum libertatem.

(7) Item uolumus, quod si aliqui nobiles, uel quicumque libere condicionis homines ad ipsum castrum nostrum Soprunium conuenire uoluerint, libere conueniant, et secure commorentur, et nobiles possessiones eorum in libertate ciuium predictorum ualeant conseruare, et si qui de ipso castro recedere uoluerint, saluis rebus omnibus, uenditis edificiis, iusto terragio persoluto, recedere ualeant de eodem.

(8) Item concessimus eisdem forum liberum et sine aliquo tributo, feria tercia, omni septimana celebrandum; ita, quod comites Sopronienses pro tempore constituti, ipso die non ab extraneis in regno nostro constitutis, non a ciuibus, tributum exigere debeant et presumant, a mercatoribus uero de externo regno uenientibus, tributum consuetum exigatur.

(9) Ceterum uolumus, quod iidem ciues de qualibet capecia frugum, duodecim denarios Uienenses, iuxta antiquam consuetudinem eorum soluere teneantur, decime uero uini, tempore uindemie per decimatores cum musto, iuxta consuetudinem approbatam, exigantur, uel denarii pro

ipsis decimis uini eo modo persoluantur, sicut tempore uindemie in torculari mustum comparatur.

(10) Ad hec terram uduornicorum nostrorum in territorio dictorum ciuium Supruniensium adiacentem, quam olim Bela auus noster et Stephanus pater noster, serenissimi reges Hungarie eis contulerant, ipsis ciuibus relinquimus, iuxta continenciam litterarum regum predictorum pacifice possidendam.

(11) Porro ad melioracionem dicti castri nostri Supron, animaduersione debita inuigilare cupientes, considerantesque damna eorumdem, que post nostrum descensum sunt perpessi, sagittarios nostros de uilla Luer quorum medietatem Bela rex auus noster et Stephanus pater noster in ipsorum ciuium numerum et augmentacionem transtulerant, simul cum alia medietate in terris eorum concessimus ad conseruacionem castri et augmentacionem ciuium predictorum, uolentes ut iidem sagittarii illa per omnia gaudeant libertate, qua dicti ciues Suprunienses gratulantur, sicut id plenius in alio nostro priuilegio ex inde confecto continetur.

Ut igitur huiusmodi libertatis series et collaciones per carissimos progenitores nostros illustres reges facte et demum per nos confirmate perpetuo robore fulciantur, nec possint ullo unquam tempore in irritum retractari, presentes eisdem ciuibus concessimus litteras, duplicis sigilli nostri munimine roboratas. datum per manus uenerabilis uiri magistri Thome, electi ecclesie Albensis, aule nostre V. cancellarii, dilecti et fidelis nostri. anno domini MCCLXXVII regni autem nostri sexto.

LADISLAI III. REGIS
CONFIRMATIO LIBERTATIS IOBBAGIONUM CASTRI ZAGRABIENSIS.

MCCLXXIX.

E transumto Uladislai II. regis anno 1514.

Ladislaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie Bulgarieque rex. uniuersis Christi fidelibus, ad quos presentes peruenerint, salutem in omnium saluatore. ad uniuersorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire: quod accedens ad nostram presenciam comes Ladislaus, filiis Gumzyna, iobbagio castri nostri Zagrab, pro se et aliis sociis suis, exhibuit nobis priuilegium Nicolai Bani tocius Sclauonie, petens cum instancia, ut idem ratum habere, et nostro dignaremur priuilegio confirmare, cuius quidem priuilegii tenor is est:

Nos Nicolaus, Banus tocius Sclauonie, significamus tenore presencium, quibus expedit, uniuersis: quod cum feria tercia proxima ante ascensionem domini congregacionem regni Sclauonie Zagrabie haberemus generalem, uniuersi iobbagiones castri Zagrabiensis ad nostram accedentes presenciam in communi consilio predicto condiciones libertatum ipsorum antiquas nobis exposuerunt sub hac forma:

(1) Quod persolutis commutacionibus descensuum ex parte ipsorum prouenientibus, nec uiceiudex noster,

aut curialis comes eiusdem descensum facerent, eo facto a debito commutacionis descensus iidem iobbagyones castri essent expediti, si uero descensum non facerent, ex tunc semel in anno, scilicet circa festum sancti Martini racione eiusdem descensus comiti nostro decem et octo pensas iidem iobbagyones dare tenerentur, et sub eadem forma racione descensus nostri in festo predicto nobis octo marcas soluere tenerentur, eo quod nec iudex noster, nec curialis comes ipsius in eundo uersus Gozd, uel redeundo descensum facere possent inter ipsos, uel familia eorumdem, aut nostra.

(2) Item quantum in habita composicione aduerse parti darent, tantumdem iudici dare tenerentur, nec aliquis possessionatus racione alicuius debiti deberet captiuari.

(3) Si quis uero ex ipsis contumacia ductus usque septimum terminum iuri parere negligeret, penam eiusdem terrestris comes iudicis nostri predicti recipere teneretur, et receptam ipsi comiti nostro assignare, nec aliquis inter ipsos terrestris comes esse posset, nisi de communi consensu eorumdem, et euoluto termino anni terrestrem comitatum renouandi haberent facultatem.

(4) Subiunxerunt eciam, quod nullus collectorum iobbagiones in cura eorum iobbagionum castri existentes dicandi haberet opcionem, nec racione iudiciorum exercitus ipsos possemus aggrauare, nisi eadem collecta emergeretur per regnum supradictum.

(5) Curialis uero comes Zagrabiensis predictus nullo unquam tempore posset descensum facere inter ipsos.

Nos itaque auditis, et intellectis libertatibus supradictis, uolentes plenius certificari de eisdem, uniuersos nobiles regni, quorum multitudo aderat copiosa, requisiuimus, qui unanimiter retulerunt, quod iidem iobbagiones castri, a tempore, cuius non exstat memoria, in libertatibus pre-

dictis permansissent. unde nos per nobiles regni certificati de libertatibus supradictis, easdem, ne in futurum per quempiam possint irritari, presentibus duximus roborandas. in facti memoriam et cautelam ampliorem presentes contulimus, sigilli nostri munimine roboratas. datum Zagrabie in ascensione domini. anno ab incarnacione eiusdem MCCLXXVIII.

Igitur nos iustis et legitimis peticionibus eiusdem comitis Ladislai fauorabiliter inclinati, ipsum priuilegium ratum habentes et acceptum, de uerbo ad uerbum presentibus inseri facientes, dupplicis sigilli nostri patrocinio duximus roborandum. datum per manus discreti uiri magistri Nicolai, aule nostre uicecancellarii, dilecti et fidelis nostri. anno domini MCCLXXIX regni autem nostri anno septimo.

LADISLAI III. REGIS
LIBERTAS HOSPITUM DE CASTRO FERREO.
MCCLXXIX.

E transumto Caroli Roberti regis anno 1279.

Ladislaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie Bulgarieque rex. uniuersis Christi fidelibus, presentibus pariter et futuris, presentes litteras inspecturis, salutem in eo, qui regibus dat salutem. ad uniuersorum noticiam harum serie uolumus peruenire, quod quia hospites nostri de Castro ferreo per plurimos descensus et continuas deuastaciones Teutonicorum et aliorum depauperati sunt plurimum et dispersi, ut iidem et alii libere condicionis homines in eandem uillam conuenire ualeant, et numerus eorum augeatur, et per hoc honor regius accrescat, hanc eisdem

graciam duximus esse faciendam, et libertatem ordinandam.

(1) Ut a iudicio et iurisdictione omnium iudicum et specialiter comitis Castri ferrei pro tempore constituti sint excepti penitus et exempti, ita uidelicet, quod nec iudicium trium articulorum, homicidii scilicet, furti et latrocinii, de cetero comes castri facere ualeat inter ipsos, in quibus articulis primitus in ipsius comitis presencia stare tenebantur, qui eosdem nostro tantum iudicio reseruamus.

(2) Et uolumus, quod nec comes Castri ferrei, nec aliquis descensum uiolentum faceret inter ipsos.

(3) Item concessimus, quod uillicum quem uolent eligant inter se, qui eosdem in omnibus articulis causarum iudicabit.

(4) Item ordinauimus statuenda, quod ad exercitus quoslibet, ad quos personaliter uadimus, duos milites armatos cum equis ductilibus, tentoribus et aliis ornamentis mittere teneantur, qui sub nostro uexillo regali permanebunt.

(5) Item concessimus, quod si cause alique contra ipsos hospites nostros mote fuerint per extraneos, ut testium productio habeatur necessaria, per testes, qui hospitali gaudent libertate cause huiusmodi comprobentur, sicut eciam hospites nostri in maioribus ciuitatibus regni nostri gratulantur.

(6) Ceterum concessimus, quod in nullo casu duellum inter ipsos possit iudicari, sed cause emergentes per quemcumque modum iuramento ipsorum, secundum negocii exigenciam terminentur, prout aliorum hospitum nostrorum regalium libertas et condicio requirit.

(7) Ad hec ordinauimus, quod si aliquis ex ipsis hospitibus sine herede decesserit, iidem decedentes de bonis suis ordinandi, legandi et conferendi tam uniuersaliter,

quam in parte cuicunque uoluerit, liberam habeant facultatem.

(8) Item statuimus quod mercatores extranei ad forum ipsorum uenientes pannum incisum uendere non presumant, sed pecias integras uendere teneantur.

(9) Concessimus eciam, quod in sylua Graba ligna recipiendi pro usibus suis necessaria, falcandi fenum et herbas, et utendi usu aque, sine exactione et impedimento aliquo liberam habeant facultatem.

(10) Item concessimus, quod cum monetarii nostri ad forum ipsorum hospitum nostrorum accesserint, causa concambii faciendi, hominem uillici fide dignum sibi in socium assumant, sub cuius testimonio super cursu monete in ipsa uilla secundum ordinacionem a nobis ipsis monetariis traditam procedant.

(11) Super exactione autem tricesime taliter duximus temperandum, ut in nullo locorum regni nostri tricesimam de suis curribus et quibuscumque rebus oneratis soluere teneantur, nisi de his tantum, que in regnum nostrum de terris extraneis sunt delate, de quibus debitam soluant tricesimam, uelut alii mercatores.

(12) Item concessimus et concedimus, ut in locis ubi tributa in comitatibus Zaladiensi et Castri ferrei recipi consueuerunt, nullum tributum ab eisdem hospitibus exigatur, quantum libet curribus oneratis pertransirent.

(13) Item uolumus, quod populi, qui in forum eorumdem hospitum causa mercature faciende conuenerunt, in foro eorumdem de mercimoniis eorum nullum tributum soluere teneantur.

(14) Item statuimus et concessimus declarando, ut in aliis articulis libertatum, more et libertate ciuium nostrorum in Alba gaudeant et fruantur.

In cuius rei memoriam perpetuamque firmitatem presentes concessimus litteras, sigilli nostri dupplicis muni-

mine roboratas. datum per manus magistri Nicolai aule nostre uicecancellarii dilecti et fidelis nostri, anno domini MCCLXX nono. regni autem nostri anno septimo.

LADISLAI III. REGIS
ARTICULI CUMANORUM.
MCCLXXIX.

E Farlati Illyrico sacro. V. 378.

Ladislaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie Bulgarieque rex, omnibus Christi fidelibus presentes inspecturis salutem in auctore salutis.

Diuine uisitacionis exordium, quo nos dominus uerus oriens uisitauit ex alto, quo sancte matris uisceribus adunamur lumine catholice fidei illustrati, in progenitore nostro sancto rege Stephano, a sacrosancta romana ecclesia recognoscimus ut debemus. in ipso enim orthodoxe fidei, diuina afflante clemencia sacrum redoleuit unguentum, in ipso, alludione celestis gracie pullulante, una cum serenissimis regibus Hungarie claro germine descendentibus, ab eadem regni gubernaculum suscepimus et coronam, et ut principatum fidei in sacrosancta romana ecclesia consistere, eandemque Christi thalamum et Trinitatis hospicium luculencius demonstraret, non a se uel ab alio, sed ab eadem ecclesia romana matre omnium et magistra, regni diadema reuelacione diuina meruit obtinere, ut ab ea quasi quodam capite principali, dona sua in omne corpus effunderet lux diuina, et exsortem se ministerii intelligeret esse diuini, qui a Petri soliditate recederet deuiando. et quia

nihil est quod lumine clariore perfulgeat quam in principe recta fides, cupientes toto mentis annisu tentorium fidei dominice ampliare, eiusdem sanctissimi regis Stephani progenitoris nostri uestigiis pro modulo inherentes, ut in aream domini sub unitate fidei inter ceteros Cumanorum multitudinem pro parte charactere dominico insignitam, suscepto baptismatis sacramento, quamuis adhuc in uia morum errantem, reliquam eciam partem a ritu paganismi ad agnicionem Christiane fidei, mediante uenerabili et sanctissimo patre domino Philippo dei gracia episcopo Firmano, apostolice sedis legato, eiusque sancto ministerio domini cooperante clemencia perducamus, quatenus celeste regnum proficiat per terrenum, solemniter promisimus et iurauimus ad sacrosancta dei euangelia, in presencia eiusdem uenerabilis patris domini legati et omnium prelatorum et religiosorum uirorum et satraparum nostrorum, qui aderant tunc presentes.

Primo quidem iurauimus: quod fidem catholicam et ecclesiasticam libertatem seruaremus et teneremus, ac teneri faceremus et seruare in regno nostro et terris nobis subiectis, quodque constituciones et decreta sanctorum regum progenitorum nostrorum, et bonas consuetudines eorundem, nec non omnia alia et singula, que nostri progenitores in sua consueuerunt coronacione iurare, inuiolabiliter seruaremus, uenerabilique patri Philippo apostolice sedis legato et aliis quibus ex officio competeret, assisteremus debito cum effectu iurisdictionis et potestatis nostre brachio, ad comprimendos et expellendos hereticos de regno et terris nobis subiectis.

Secundo iurauimus in presencia predictorum, quod nouem alios articulos, qui quidem catholicam et ecclesiasticam libertatem nec non Christianorum et Cumanorum

statum tangunt effectualiter impleremus, ea modo simili seruaremus et seruari a nostris subditis faceremus.

Demum promisimus et iurauimus uenerabili patri domino legato prefato attendere et seruari facere articulos infrascriptos, quos pro cultu iusticie et unitate fidei obseruanda Uzacus et Tolon principales Cumanorum, quorum uicem et consensum se habere dicebant, in presencia eiusdem domini legati et nostra solemniter et publice se facturos et seruaturos sine refragacione qualibet assumpserunt. et modis omnibus curabimus ac in nostrum suscipimus officium et ministerium regie maiestatis, sub oligacione regni nostri et nostra, eosdem principales Cumanorum et uniuersos Cumanos articulos infrascriptos fideliter obseruaturos, omnem ad hoc, quantum ad nostrum spectat officium, curam et operam impendendo, qui quidem articuli hoc ordine declarantur.

Articuli Cumanorum.

I. Ut scilicet uniuersi Cumani et singuli cuiuscunque etatis et sexus, quicumque nondum sunt baptisati, uolunt et desiderant recipere baptismatis sacramentum et suscipere et tenere omnia ecclesiastica sacramenta, et quecunque alia seruanda docet, tenet et predicat Romana ecclesia sacrosancta, et idolorum cultura ac omnibus et singulis paganorum ritibus dimissis et prorsus relictis, seruare catholice fidei unitatem.

II. Et quod discedent et recedent a tabernaculis suis et domibus filtrinis, et habitare et morari in uillis Christiano more in edificiis et domibus solo fixis expressius assumpserunt, et conformare se in omnibus moribus et ritibus Christianis promiserunt expresse.

III. Preterea in regno et terris nostro dominio subiectis ab omnibus insolenciis et homicidiis faciendis, ac interfectione Christianorum et eorundem sanguinem effundendo retrahant penitus manus suas, ut in antea nullo unquam tempore facient, nec pacientur fieri huiusmodi aliquatenus per suos famulos et subiectos.

IV. Preter hec iidem procuratores Cumanorum eidem domino legato humiliter supplicarunt, quod ipse dominus legatus procuret ordinare inquisitores aliquos fide dignos, qui per singulas generaciones eorum et generacionum gradus sibi inuicem quacunque linea attinentes, et per omnes alios subiectos eorum inquirant et sciant super premissis omnibus et singulis ueritatem, quam domino legato et nobis referre et exponere teneantur, ut is qui in aliquo premissorum transgressor inuentus fuerit, penam ecclesiasticam quam meretur ab eodem uenerabili patre et ecclesia ipsa recipiat, et per nos temporalis uindicte debitam senciat ulcionem.

V. Ceterum sepedicti procuratores nomine Cumanorum procuratorio pro se et pro eisdem Cumanis renunciauerunt et abdicauerunt omnia monasteria et ecclesias, et possessiones monasteriorum, ecclesiarum et omnium nobilium et ceterorum Christianorum, que et quas hactenus iniuste et minus debite occuparunt ac eciam tenuerunt, asserentes eosdem Cumanos et se esse paratos ad remittenda et restituenda iuxta mandatum eiusdem domini legati omnia et singula supradicta.

Promittimus eciam sub sponsione fidei et prestiti iuramenti ac obligacionibus supradictis, quod ut premissa omnia et quecunque alia pro ampliacione fidei Christiane et ecclesiastice libertatis, ac sublimacione regalis solii, et

statu pacifico regni nostri idem pater uenerandus apostolice sedis legatus in uocacione publica regni nostri facienda uicesima die post festum beati Ioannis Baptiste duxerit ordinanda, acceptabimus, seruabimus et attendi et seruari ab omnibus nostre dicionis subditis firmiter faciemus. que omnia, uidelicet tam articulos prenominatos, quam alia, que in prefatam conuocacionem per ipsum dominum legatum fuerint ordinata et solemniter publicata ad eternam rei memoriam in nostris scriptis publicis sub bulla aurea seriatim redigi faciemus, ac sic redacta et bullata legato trademus et tradi faciemus prefato. quod si prefatos Cumanos ad predicta et singula obseruanda et implenda, exhortacionibus, persuasionibus, racionibus et precibus forsan inducere non possemus, recepimus, promisimus, et iurauimus, quod in congregacione predicta contra dictos Cumanos indicemus et faciemus exercitum generalem de regno et terris nobis subiectis, ad quem nostros et regni nostri inuitabimus, ac inuitari faciemus amicos, ad compellendum eos per dictum exercitum et alios quoslibet utiles modos brachio regie potestatis, ad recipienda, facienda ac eciam obseruanda omnia et singula supradicta. promittimus sub obligacionibus supradictis, quod eos faciemus dare necessarios obsides custodiendos et tenendos iuxta regnum et terram nostram ad mandatum et preceptum prefati domini legati in loco seu locis per illum seu illos, de quo uel quibus eidem domino legato uidebitur expedire. in quorum omnium testimonium, memoriam et noticiam pleniorem, nec non perpetui roboris firmitatem presentes concessimus literas duplicis sigilli nostri appensione et munimine roboratas. datum Bude per manus magistri Nicolai aule nostre uicecancellarii, dilecti et fidelis nostri. anno domini millesimo ducentesimo septuagesimo nono. IX. Kalendas Iuly. regni autem nostri anno septimo.

LADISLAI III. REGIS
CONSTITUTIO DE CUMANIS.
MCCLXXIX.

Ladislaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex. omnibus Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in salutis largitore. ad uniuersorum noticiam, tam presencium quam futurorum uolumus peruenire, quod cum uenerabilis pater Philippus, dei gracia Firmanus episcopus, apostolice sedis legatus, ad nos et regnum nostrum specialiter ab eadem sede sancta, a Christi scilicet uicario fuisset destinatus, ipsius salubri suasione et sancta inductione concurrentibus, placuit dominis Comanorum, scilicet Alpar et Uzur, et ceteris dominis de Comanis, ac simpliciter omnibus nobilibus de Comanis et uniuersitati eorumdem, ut ipsi relictis idolorum cultura, et omnibus ac singulis paganorum ritibus prorsus dimissis, ad catholice seu orthodoxe fidei unionem conuertantur, ac sacri baptismatis uniuersi et singuli cuiuscunque etatis et sexus, qui nondum sunt baptizati, recipiant sacramentum, et seruent omnia ecclesie sacramenta, et quecunque alia docet, tenet, et predicat ecclesia Romana sacrosancta. et quia fides sine opere mortua, sicut legitur, reputatur, nos, ut assumpte fidei sancte perfectio apud ipsos et in ipsis sumat inicium, et principale iaciat fundamentum, cum ad hocce eosdem dominus legatus quodammodo coarc-

taret, recepimus et prius de septem generacionibus eorumdem Comanorum, prout sunt, septem obsides, que nos ad tempus faciemus obtineri. quos quidem dominos de Cumanis et nobiles Comanorum et totam gentem eorumdem, in regno nostro existentem, nos solemni et publica congregacione in regno nostro facta, et diligenti deliberacione cum baronibus et nobilibus regni nostri habita descendere fecimus, modo ac locis infrascriptis.

(1) Uidelicet a modo descendent et recedent a tabernaculis suis et domibus filtrinis, et habitabunt ac morabuntur in uillis more Christianorum, in edibus et domibus solo fixis.

(2) preter abrasionem barbarum et abreuiacionem capillorum, et habitum uestium eorumdem, super quibus eosdem preter ipsorum uoluntatem uenerabilis pater dominus legatus, ad nostram deuotam instanciam, lenitate paterne pietatis condescendens, inuitos non coëgit, sed in aliis se moribus Christianorum conformabunt.

(3) et quod in regno et terris nostris ab omnibus insolenciis et insidiis faciendis, ac interfectione Christianorum, ac eorum sanquine effundendo, retrahent penitus manus suas.

(4) et ut antea nullo unquam tempore facient, nec fieri permittent huiusmodi per suos famulos et subiectos. et ut premissa per eosdem obseruentur, ordinabit dominus legatus inquisitores aliquos fide dignos, qui per singulas generaciones eorumdem et generacionum gradus, quacunque linea sibi inuicem attinentes, et per alios omnes subditos eorum inquirant, et sciant super premissis omnibus et singulis ueritatem, quam nobis et eidem domino legato, immo ecclesie, referre et exponere teneantur, ut ille, qui in aliquo premissorum transgressor inuentus fuerit, penam ecclesiasticam, quam meretur, ab ecclesia accipiat, et nihilominus per nos temporalis uindicte senciat ulcionem.

(5) Et quia copiosa multitudo Comanorum copiosum terre spacium capiebat, statuimus, ut hi, qui cum generacione sua inter Danubium et Ticiam, aut iuxta fluuium Kriss, uel inter flumina Morus et Kris, aut ex utraque parte fluminis eiusdem, uel inter flumina Tymus et Moros, aut circa eadem descenderant, et non alias, sed super eisdem fluminibus seu locis, siue terris, super quibus primitus quamlibet generacionem cum suis tabernaculis dominus Bela rex auus noster illustris rex Hungarie, inclyte recordacionis, descendere fecerat, ibi et nunc descendant et resideant modo premisso, tanquam nobiles regni nostri, conferendo et dando eis ibi terras nostrorum uduarnicorum reginalium, et alias terras condicionariorum, aut hominum nobilium, sine herede decedencium, quamlibet illarum cum pertinenciis et utilitatibus suis, syluis uidelicet, fenetis, piscaturis, quas eorum descensus concluserit, que nostre collacioni de iure dignoscuntur pertinere, remanentibus iuribus et possessionibus monasteriorum et ecclesiarum semper saluis.

(6) Dedimus insuper et contulimus eisdem uacuas terras nobilium et iobbagionum castri, tales, que a tempore Tartarorum uacue perstiterunt et fructuosis utilitatibus carent, uidelicet piscaturis et syluis lucratiuis, ita tamen, quod iisdem nobilibus, et iobbagyonibus castrorum nos pro talibus uacuis terris ipsorum aut iustum precium persoluemus, aut concambium equiualens conferemus. quas omnes iidem domini et nobiles de Comanis, de qualibet generacione ipsimet inter se diuident, pro modo et qualitate cuiuslibet, siue statu.

(7) Tales uero uacuas terras nobilium et iobbagionum castrorum, que fructuosis uigent utilitatibus et abundant piscaturis uidelicet et syluis indensis, quemadmodum est premissum, et eciam terras tales, super quibus iidem nobiles et iobbagiones castri domicilia aut populos, seu uillam

habent, siue in aliis minoris utilitatis existant, easdem tales terras ipsi quidem nobiles et iobbagiones castri, quorum fuerint, libere et pacifice inter eosdem Comanos possidebunt, quod et predicti domini de Comanis et generaliter omnes nobiles Comanorum consenserunt, ut ad presens inter ipsos et eosdem nobiles mutua compaternitas et cognacionis affinitas contrahatur, et maior inter ipsos dilectio et amicicia propagetur, uerum iidem nobiles et Comani equali prerogatiua libertatis gratulentur.

(8) Precise expressimus, quod domini et nobiles Comanorum uniuersi et singuli ad nostrum exercitum, ad quem nos personaliter accesserimus, uenire teneantur, sicut ceteri nobiles regales seruientes, et si qui ex iisdem negligentes exstiterint, eandem ulcionem, idemque iudicium pacientur, quam uel quod incurrent alii nobiles regni nostri, qui non ueniendo exstiterint negligentes.

(9) Ceterum, cum super articulo restitucionis captiuorum Christianorum, quem dominus legatus precipuum et maximum pre ceteris mente reputabat, ad nostram et uenerabilium patrum episcoporum et ceterorum prelatorum, ac baronum nostrorum instanciam, idem dominus legatus paternaliter condescendit hoc modo: quod captiuos, quos in regno et terris nostris Christianos quoquo modo retinebant, precise et absolute reddere, nec retinere tenebuntur, alios uero captiuos suos, in extraneis regnis captiuatos retinebunt.

(10) Ad hec: quia predicte septem generaciones Comanorum in diuersis locis, et in pluribus processibus, utpote domini archiepiscopi Colocensis, et uenerabilium patrum dominorum Uaradiensis, Agriensis, Chanadiensis et Uaciensis episcoporum residebunt et descendent, uolumus eodem domino legato annuente, ut unus quisque eorumdem uenerabilium patrum accedat ad generacionem in sua diecesi descendentem, cum uno barone nostro et duobus seruien-

tibus de regni nobilibus fide dignis, et idem nondum baptizatis sacri baptismatis imponat sacramentum, et tum super captiuis, qui in regno et terris nostris fuerint captiuati remittendis, quam eciam super uacuis terris nobilium pretaxatis, quas modo premisso eorumdem Cumanorum descensus incluserit, uideant et inquirant omnimodam ueritatem, et demum nobis fideliter debeant remandare, ut nos eisdem nobilibus regni nostri, quorum terre fuerint, sciamus in precio uel in concambio respondere.

(11) Nec hoc pretermittimus, quod iidem domini de Comanis et nobiles et uniuersitas Comanorum, iudicio Palatini regni nostri, qui fuerit pro tempore constitutus subiacebunt, sicut tempore Bele, aui nostri fuerat institutum, qui quoslibet cum incolis regni nostri in omnibus articulis iudicabit, assidente ei iudice seu principe, qui in generacione qualibet fuerit institutus, prout a tempore aui nostri exstiterat obseruatum, hoc duntaxat excepto, quod, si lis inter duos nobiles Comanos super effusione sanquinis, uel aliquo casu inciderit, extunc eundem solus iudex illius generacionis, qui de parte rei exstiterit, iudicabit, nihilque in eorumdem duorum nobilium Comanorum litibus precipere poterit Palatinus, et, si alter huiusmodi duorum inter se litigancium sentenciam iudicis sue generacionis refutaret, ad nostram presenciam euocando, extunc eosdem duos nos personaliter assidente nobis similiter iudice generacionis sue iudicabimus iusticia mediante: hoc specialiter declarato, quod si in alterum talium duorum nobilium Comanorum effusio sanquinis immineret, et idem pertinens ad mortem, ad nos confugere posset incidenter, ex tunc huiusmodi effusionem sanquinis, ex hoc, quod ad nos peruenit, euadet, sed nihilominus debebit exsulari, et sic manendo extra regnum, tanquam exul requiret graciam redeundi ab iis, quos excesserat, si poterit obtinere,

sed interim donec obtinebit, non in regno sed extra regnum permanebit. si uero persona excedentis talis fuerit, pro qua intercessores de dominis et nobilibus Comanorum statim, cum ad nos confugerit, accesserint ueniam super exulacione excedentis postulantes, extunc talis excedens ab huiusmodi exilio erit absolutus, sed de rebus et bonis suis, et in quem excessit, ut premisimus, satisfaciat.

(12) Porro assumsimus et assummimus, quod neminem de seruis eorumdem dominorum et nobilium de Comanis, si ad nos uenerit recipiemus, nec barones, nec nobiles regni nostri eosdem recipere poterunt uel tenere, immo eosdem seruos cum uniuersis rebus suis, apud quoscunque inuenti fuerint, restituere tenebuntur, uillas eciam, quas a quibusdam ex iis, que nostre collacioni de iure spectant, abstuleramus, eisdem a quibus abstulimus restitui faciemus.

(13) Ceterum quoniam predicti domini de Comanis et nobiles Comanorum una ac eadem cum regni nobilibus perfruantur libertate, statuimus, ut sicut a tempore sanctorum regum progenitorum nostrorum super regni nobiles et eorum populos, nec per nos, nec per regni barones descensus fieri debebit uiolentus: ita et super eosdem dominos et nobiles de Comanis, ac eorumdem populos, nec per nos nec per dominam reginam, karissimam consortem nostram, et nostros barones descensus uiolentus fieri non possit, nec debeat, ullo modo.

(14) Insuper eciam terras seu possessiones, quas hactenus ex collacione progenitorum nostrorum et nostra, cum priuilegiis eorumdem et nostro, uel aliquibus aliis euidentibus instrumentis iuste et pacifice possidere dignoscuntur, ea possidere ualeant et habere.

Ut igitur series huiusmodi ordinacionis per nos facte robur obtineat perpetue firmitatis, presentes concessimus

litteras dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. datum per manus discreti uiri magistri Nicolai aule nostre uicecancellarii, dilecti et fidelis nostri. anno domini MCCLXXIX. quarta idus Augusti. regni autem nostri anno septimo.

CONSTITUTIONES SYNODUS BUDENSIS.

MCCLXXIX.

Iste constituciones edicte et promulgate per uenerabilem patrem dominum Philippum dei gracia Firmanum episcopum, in Hungaria, Polonia, Dalmacia, Croacia, Rama, Seruia, Lodomeria, Gallicia ac Cumania apostolice sedis legatum, de consilio, et consensu archiepiscoporum, episcoporum, electorum atque abbatum, prepositorum, archidiaconorum, priorum, ministri custodis, guardianorum, plebanorum, canonicorum, rectorum, et aliarum personarum, et clericorum, nec non capitulorum tam cathedralium, quam aliarum ecclesiarum secularium et regularium Cisterciensis sancti Benedicti, Premonstratensis sancti Augustini, Predicatorum, et Minorum, ac aliorum ordinum congregatorum in concilio celebrato, in castro Budensi, Uesprimiensis diecesis per eundem dominum legatum ad honorem et gloriam sancte et indiuidue trinitatis, ad reuerenciam, ad honorem sancte Romane ecclesie, ac beatissimi ac sanctissimi patris domini Nicolai pape III. ac successorum eius, ac reuelacionem, fulcimentum ac defensionem fidei catholice et ecclesiastice libertatis, nec non reformacionem uite, morum, et actuum cleri et populi legacionis predicte, sub annis domini millesimo ducentesimo septuagesimo nono, indictione septima, die decima quarta intrante Septembri, in quo uidelicet die ter-

minatum fuit concilium supradictum, pontificatus prefati sanctissimi patris domini Nicolai pape III. anno secundo.

(1) Quia sicut prelati quosque sibi subditos dignitate et auctoritate precellunt, ita moribus, uita, habitu, et conuersacione honestis precellere, et precedere debent, eosdem cum eorum uita si sit bona, et amplius si sit mala trahatur a subditis in exemplum, statuimus, quod ipsi prelati coronam et tonsuram parentibus omnino auribus circularem iuxta regularium seu religiosorum generalem consuetudinem approbatam, cum nulla religio pontificali religione sit maior, de cetero deferant, ab omni excessu in capillis, et defectu notabili in corona, protinus abstinentes, sicut enim seruantes in predictis sibi subditos poterunt reformare.

(2) Preterea statuimus et ordinamus, quod prelati de cetero cum equitant, uel eciam in publico pedestres incedunt, habeant et deferant camisias albas siue rosetas, quas semper sub cappis siue mantellis, ante pectus uel post collum hinc inde connexis deferant, cum in publico, et extra secreta habitacionis eorum ipsos contigerit ire uel stare. prohibemus autem ne ipsi prelati de cetero deferant uel habeant mantellas, cum quibus hactenus equitare, et quos et in propriis et alienis hospiciis non solum coram famulis suis, sed eciam coram aliis consueuerant deferre. permittimus autem quod possint habere mantellos rotundos siue sabardas longitudinis moderate, eosque deferre cum capuciis separatis ab eis tempore pluuioso, niuoso seu pruinoso, et cum ad exercitus, seu curiaciones, aut expediciones ex certis et necessariis causis a sacris canonibus minime reprobatis eos contigerit proficisci. insuper prohibemus ne prelati, uel ecclesiarum cathedralium canonici, aut aliqui alii in personalibus dignitatibus seu in sacris ordinibus constituti deinceps sub mantellis uel cappis pro paratura uarios quoruncunque colorum siue

uarietatum, nisi forte uarietates huiusmodi pellibus agninis, uulpinis et linceis, seu zendatum rubeum, uel in aliquibus uestibus fimbrias, hoc est premidiones seu ornamentum, nobilia exterius apposita de lutria seu biuaria, seta aut de aliqua alia simili materia deferant ullo modo. prohibemus ne prelati aut alii in dignitatibus personalibus seu canonicatibus ecclesiarum cathedralium, seu collegiatarum, siue in ecclesiis curam animarum habentibus aut in sacerdocio constituti manicas deferant consuticias, nec togas siue guarnacias, seu supertunicalia, aut quecunque alia uestimenta desuper portent aperta, sed ipsa superiora indumenta circumcirca usque ad fimbrias habeant clausa. nulla collaria, nisi forte in sabardis, uel mantellis ad equitandum circumcirca omnino rotunda, uel bottones, seu fibulas aureas uel argenteas, aut aliquid auri uel argenti habentes ornamentum in aliquibus suis uestibus deferentes. quod si qui contrarium fecerint, uestes huiusmodi per suos ordinarios auferantur in usus pauperum, aut in alios pios usus conuertende. nihilominus qui in hoc inuenti fuerint excessisse, nisi ad mandatum sui superioris se correxerint, usque ad satisfactionem a suis beneficiis sint ipso facto suspensi.

(3) Interdicimus omnibus clericis portare annulos, nisi sint prelati quibus licite competit ex officio dignitatis, uel ex priuilegio sedis apostolice speciali, consuetudine in hoc contraria non obstante. quod si quis de cetero clericus annulum portans inuentus fuerit, auferatur ei annulus per suum ordinarium, et non reddatur eidem, imo idem transgressor clericus eciam tantundem ad ualorem illius annuli in rebus aliis cogatur pauperibus erogare. clericus autem qui annulum dare diecesano, uel predictam quantitatem soluere contemneret, ab ingressu ecclesie arceatur, donec annulum reddat, et penam soluat predictam.

(4) Statuimus quod nulla persona ecclesiastica in domibus siue curiis in quibus habitant tabernam ubi uinum minutatim uendatur, uel ubi uiles, leues, seu suspectate hospitentur aut conuersentur persone habere, tenere uel sustinere presumat, quod si quis in his excesserit, et a suo superiore monitus non emendauerit infra terminum sibi dandum, ex tunc usque ad emendacionem condignam ab ingressu ecclesie excludatur.

(5) Statuimus eciam, et inuiolabiliter obseruari precipimus, quod omnes et singuli, de aliquibus religionibus siue ordinibus ad pontificalem dignitatem assumpti, aut in posterum assummendi, illius religionis siue ordinis de qua, uel de quo assumpti fuerint uel de cetero assummentur, habitum tam in uestibus, quam in calceamentis, et quibuscunque aliis toto tempore uite sue deferre teneantur et deferant in publico et secreto, nec habitum illum tempore ullo dimittant, aut uestes, calcimenta, uel aliqua alia deferant, in colore, forma seu materia contraria uel dissimilia religioni seu ordini supradictis. qui uero contra huiusmodi sancitum et regulare statutum uenire presumpserint, ingressum ecclesie et execucionem pontificalium sibi nouerint interdicta. per hanc tamen constitucionem non interdicimus ocreas, nec cappas rotundas, aut mantellos ante pectus, uel post collum connexos, in colore et aliis suis religionibus seu ordinibus congruentes.

(6) Perpetuo prohibemus edicto ne prelati et alii clerici cuiuscunque sint ordinis, dignitatis aut status, sedicionibus, preliis, spoliis, rapinis, incendiis, et aliis seuis factis se aliquatenus immiscere presumant. nec bellicis actibus se implicent uel inuoluant, nisi forte pro ecclesiarum suarum et patrie defensione, non ad impugnandum uel propulsandum, sed ad defensionem tantum si necessitas eos compellat, et tunc in propriis personis non pugnent.

(7) Clerici officia uel comercia non exerceant, maxime inhonesta, minus histrionibus et ioculatoribus intendant, et tabernas prorsus euitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti, ad aleas, et taxillos non ludant, nec huiusmodi ludis intersint. comam et tonsuram patentibus auribus habeant congruenter, et in officiis ecclesiasticis, et in aliis bonis studiis se exerceant deligenter. excedentes autem in talibus a suis moneantur prelatis, et si moniti parere contempserint, ab officio et beneficio suspendantur, nec prius talis suspensio reuocetur, quam ad arbitrium prelatorum per eos fuerit satisfactum, ac sub certa pena suffacient, et cautum, quod in talibus uel similibus ulterius non excedant.

(8) Nullus clericus sentenciam sanguinis dictet aut proferat, aut ubi exercetur intersit, nec quisquam clericus litteras dictet aut scribat pro uindicta sanguinis destinandas, nec illam partem chirurgie exerceat que ad ustionem uel incisionem inducit, nec quisquam purgacioni aque feruentis aut frigide, seu ferri candentis ritum cuiuslibet benedictionis aut consecracionis impendat, scientes quod si ex huiusmodi mors uel membri mutilacio fuerit subsecuta, irregularitatis laqueum non euadent.

(9) Prohibemus sacerdotibus, et aliis clericis in sacris ordinibus districte ne secum prolem habeant, quam in sacro ordine genuerant, propter scandalum. et ne huiusmodi parochialium sacerdotes in domibus suis habeant aleas, uel taxillos destrictius inhibemus. Filii autem siue filie predictorum in familia siue famulatu, seu pro familiis maioris ecclesie, cui sunt inmediate subiecti redigantur, ac eciam teneantur.

(10) Prohibemus quoque ne archidiaconi et alii rectores ecclesiarum laicis uel clericis uxoratis suas presumant committere uiarias; et ad hoc dicti archidiaconi et ecclesiarum rectores per suspensionem officii, et priuacionem

beneficii, laici autem uel clerici uxorati ne huiusmodi uicarias recipiant per excommunicacionis sentenciam a suis diecesanis compescantur omnino.

(11) Districte precipimus ne sacerdotes uel clerici in quouis ordine constituti gladium uel cultelum, quod uulgariter dicitur boret portent, nisi eis manifesti timoris causa ingruerit, nec tunc absque licencia prelatorum portent.

(12) Inhibemus districtius, ut nullus clericus beneficiatus aut in sacris ordinibus constitutus mulieres aliquas in domibus sue habitacionis retinere, uel alibi eis cohabitare presumat. qui uero ipsas nunc tenent, nisi ifra tres menses ab ultimo die presentis synodi in antea numerandos, eas a cohabitacione sua prorsus eiecerint, uel qui eiectas resumpserint uel eis cohabitauerint, ex tunc se sciant excommunicacionis sentencia innodatos, a qua sentencia per suos diecesanos absolui possint, primo de suis cohabitacionibus mulieribus predictis eiectis, ac ipsis clericis ab earum omnino cohabitacionibus separatis, et sufficienti prestita caucione, quod contra constitucionem huiusmodi de cetero non uenient, sed ipsam omni tempore inuiolabiliter obseruabunt.

(13) Suademus ut quociescunque clericos contigerit simul uel singulariter incedere ante altare seu figuram beate uirginis aut eciam crucifixi, et maxime cum pro diuinis officiis intrant chorum, inclinent capita sua depositis pileis reuerenter, atque instruant et inducant laicos diligenter. uolumus quod omnes clerici quociescunque in diuinis officiis «Aue Maria» audiuerint, flexis genibus se reuerenter inclinent, prohibentes ne clerici beneficiati, aut in sacris ordinibus constituti discalceati, seu nudis pedibus chorum intrare seu in ipso stare presumant, dum ipsa diuina officia celebrantur. item quod presbyteri sine cappis rotundis uel superpelliceis ad psallendum horas canonicas,

maxime uesperas, Matutinas uel Missam ecclesias ingredi uel in eis stare non presumant, nisi forte essent extranei, uiatores, aut eciam peregrini.

(14) Quoniam sicut audiuimus nonnulli ecclesiarum prelati et persone ecclesiastice nostre legacionis, et maxime regni Hungarie, cum suas dioceses, uel parochias uisitant, uel ex aliis causis ad ecclesias ipsas declinant, grauibus et importabilibus fere descensibus, non solum in prelatis et clericis, uerum eciam in laicis reprobandis atque damnandis, ecclesias uel parochias ipsas plerumque aggrauant et molestant, nos huiusmodi descensus graues, onerosos, difficiles et importabiles fieri de cetero prohibentes, statuimus quod cum prelatos et personas predictas ex iustis et racionalibus causis ad ecclesias ipsas declinare contigerit, sic se honeste habeant et modeste, se suasque familias a superfluis, et illicitis cohibentes, quod per immoderatos descensus huiusmodi ecclesie imporabiliter non grauentur, in predictis et aliis taliter se habentes, quod ipsi non ea que sua sunt, sed Iesu Christi pocius querere uideantur. qui autem in predictis excesserint, per superiores suos abstinere, atque desistere, et de illatis grauaminibus satisfacere lesis, et grauatis ecclesiis per censuram ecclesiasticam et alia prompta remedia, sublato cuiuslibet frustratorie appellacionis obstaculo, compellantur.

(15) Prohibemus ne aliquis abbaciam, prepositurarn, prioratum, plebanatum, cappellaniam uel aliquod beneficium ecclesiasticum de manu recipiat laicorum, statuentes quod archiepiscopi, episcopi et alii ad quos de iure uel consuetudine seu priuilegio abbatis uel aliorum confirmacio, institucio uel prouisio spectat, nullum confirmare uel instituere presumant, nisi eis prius de canonica ipsorum electione et eligencium ac electi qualitate inter eos plene constet. ueris patronis in illis ecclesiis in quibus illius obti-

nent patronatus, iusticia ac iure plene seruatis ac saluis, que eis a sacris canonibus conceduntur atque seruantur.

(16) Cum ad beneficia ecclesiastica curam habencia animarum annexam tales queri debeant et admitti, qui in ipsis beneficiis uelint et ualeant residere, et personaliter per se ipsos et non per alios deseruire, ordinamus atque precipimus, ut omnes et singuli plebani, rectores et capellani ecclesiarum parochialium tocius legacionis nobis comisse in ipsis deseruiant per se ipsos, et non per uicarios, perhibentes ne aliqui talium ecclesiarum rectores de cetero absque diecesanorum consensu, quibus ecclesie ipse subsunt, aliquos instituant uicarios, uel institutos in eis teneant uel sustineant. et qui contra fecerint fructibus et prouentibus illius ecclesie per annum sint ipso iure priuati, dictique fructus de mandato diecesani episcopi in libris et ornamentis ecclesiasticis ad opus eiusdem ecclesie irreuocabiliter expendantur. nec antea percipiant de fructibus ecclesiarum ipsarum, quam sufficienter cauerint, quod huiusmodi constitucionem inuiolabiliter obseruabunt. illos autem qui contra tenorem constitucionis presentis huiusmodi receperint uicarios, suorum ordinariorum arbitrio relinquimus puniendos.

(17) Coniuraciones, colligaciones, et conspiraciones inter personas ecclesiasticas quocunque modo fraude uel ingenio omnino de cetero fieri prohibemus, factasque nec non iuramenta, promissiones, obligaciones et alia super predictis prestita, uel que de cetero super his fieri contigerit, uel prestari aut earum occasione penitus reprobamus, dissoluimus atque cassamus, et eos qui huiusmodi promissiones, obligaciones, aut eciam iuramenta sub aliquibus eciam pecuniariis uel aliis penis fecerunt aut eciam prestiterunt, protinus absoluentes ipsos decernimus, et ad obseruacionem coniuracionum et conspiracionum et obligacionum ipsarum, uel solucionem aliquarum penarum

siue pecuniarum aliquatenus non teneri. statuentes quod qui in talibus de cetero inuenti fuerint excessisse, preter excommunicacionem quam ipso facto incurrant, a suis diecesanis aut aliis suis superioribus per priuacionem perpetuam, aut eciam temporalem beneficiorum que obtinent, et alias penas taliter castigentur, quod pena ipsorum transeat aliis in exemplum, quam constitucionem, quantum ad penas imponendas ad promociones seu mediaciones predictarum coniuracionum, conspiracionum, colligacionum, iuramentorum, promissionum et obligacionum predictarum extendi uolumus et mandamus.

(18) Statuimus quod cum ex deliberacione et ordinacione archiepiscoporum, episcoporum et aliorum ordinariorum synodus fuerit celebranda, per duos, tres uel tot dies qui sufficere uideantur, antequam se ponant in uia eundi ad synodum, rectores parochialium ecclesiarum eorumque perpetui uicarii qui per presidentes synodi faciende fuerint generaliter siue specialiter seu singulariter euocati, diligenter inquirant siqui sint infirmi seu debiles in parochiis suis, eosque uisitent eciam non requisiti, et faciant circa eos quidquid necesse fuerit ad animarum salutem.

(19) Statuimus eciam et precipimus, ut omnes tam regulares, quam seculares in dignitatibus, seu personaribus constituti illius metropolis in qua prouincialis, et illius diecesis, in qua episcopalis synodus fuerit celebranda, ad synodum ueniant, nisi remanserint de suorum superiorum licencia speciali, de quorum ordinacione synodus fuerit facienda, et si taliter impediti fuerint, quod ad synodum uenire non possint, legitimum excusatorem clericum cum pleno mandato ad acceptandum et recipiendum eaque in synodo fuerint ordinata transmittant. in eundo, stando, et redeundo honeste ambulent, honesta aquirant hospicia, et in eis circumspecte se habeant modeste, ne uita, mores, et gestus clericorum populo fiat in scandalum et contemp-

tum. qui uero ex causa ad synodum ire uel uenire non possunt, eam archidiaconis et archidiacono sui diecesani studeant nunciare. quod si ueniendo, et denunciando racionabilem causam negligentes, seu contemptores exstiterint ad diecesanorum suorum arbitrium puniantur.

(20) Preterea statuimus, quod archiepiscopi, episcopi, abbates, et quilibet alii, qui ex priuilegio mitris utuntur, mitrati cum superpelliceis, stolis, cappis, seu pluuialibus, prepositi uero, priores, et alii inferiores prelati cum superpelliciis et stolis, si diaconi saltem sine, et si uelint pluuialibus seu cappis. rectores uero et simplices sacerdotes cum cottis, seu superpelliciis et stolis tantum. inferioris uero status uel ordinis clerici cum cottis synodum intrent, et in ea deuote, et cum reuerencia usque ad finem, nisi casus necessitatis emerserit, perseuerent. religiosi quoque nullam prelaturam uel administracionem habentes perpetuam, permittimus in habitu suo cum stolis in synodo posse stare, eciamsi administracionem habeant.

(21) Statuimus eciam quod omnes abbates, prepositi, priores, plebani et alii ecclesiarum prelati, et rectores curam animarum habencium promoti ad dignitates, seu curas predictas, ante concilium Lugdanense nouiter celebratum, si presbyteri non sint, in proximis futuris quatuor temporibus successiue se faciant usque ad sacerdocium ordinari, aut omnino dimittant huiusmodi dignitates, et curas, et per suos diecesanos aut superiores sublato cuiuslibet appellacionis obstaculo amoueantur a dignitatibus, et curis predictis, nisi in sacerdotes fuerint ordinati. institutis autem, siue instituendis post concilium Lugdunense prefatum per diecesanos, et alios superiores eorum denuncietur singulariter singulis et uniuersaliter uniuersis, quod nisi infra annum a die sue constitucionis in dignitatibus, et beneficiis curam animarum habentibus in presbyteros fuerint ordinati ipso iure huiusmodi beneficiis sint priuati, et be-

neficia illa per illos ad quos eorum ordinacio spectat, ex tunc de personis idoneis libere ordinentur.

(22) Statuimus ut per omnes ecclesias chrisma, oleum sanctum, et eucharistia sub fideli custodia clauibus adhibitis conseruetur ita, ut non possit ad illa manus impia extendi. si uero is ad quem spectat custodia, ea incaute reliquerit, tribus mensibus ab officio et beneficio suspendatur, et si per eius incuriam aliquid inde nepharium contigerit, grauius puniatur.

(23) Nullus permittatur deseruire altari, uel epistolam legere nisi in superpellico, et cappa clausa. sacerdos quoque diurnum officium pariter et nocturnum distincte, et aperte quantum deus dederit celebret et deuote. quia multorum assercione comperimus et pro certo didicimus, quod in multis ecclesiis ac monasteriis ac ecclesiasticis beneficiis nostre legacionis multi per secularem potenciam absque libero et legitimo ecclesiasticarum personarum assensu, ad quas ipsarum electio, ordinacio, prouisio, et institucio pertinere dignoscitur, damnabiliter sunt intrusi, ac quotidie intruduntur contra sacrorum statuta canonum, et ecclesiasticam libertatem. ex quo multa prouenerunt, et proueniunt quotidie detrimenta, et animarum deploranda pericula subsequuntur.

(24) Statuimus quod nullus laicus cuiuscunque auctoritatis, excellencie sui status aliquem de cetero in ecclesiis uel monasteriis, aut ecclesiasticis beneficiis legacionis predicte ponere, uel intrudere quacunque occasione uel auctoritate, quin pocius transgressione uel temeritate presumat, saluo, et reseruato iure patronatus, ueris competente patronis, prout canonica iura declarant. decernimus autem instituciones, siue intrusiones talium nullas esse, nullumque ius competere sic intrusis, et nisi intrusi huiusmodi infra sex menses ecclesias, monasteria, siue beneficia, que de facto modo sunt adepti predicto, omnino, et sine diffi-

cultate dimiserint, et quicunque alii de cetero aliqua beneficia ecclesiastica per manus receperint laicorum, et electionibus, postulacionibus, prouisionibus, seu institucionibus ad minas, comminaciones, terrores, siue impressiones laicorum, quorumcunque aliorum presumpserint consentire, ex tunc se sciant excommunicacionis sentencie subiacere, ipsosque per diecesanos, et alios quibus ecclesie, monasteria, et beneficia sunt subiecta predicta, arctius compellendos ea dimittere, et satisfacere de fructibus et prouentibus exinde perceptis, inuocato ad talium proteruiam conterendam, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

(25) Inhibemus ne persone ecclesiastice agant uel respondeant, siue fideiubeant aut se astringant uel obligent coram iudice seculari, nisi de his, et super his que ad seculare non ad ecclesiasticum forum spectant, et de quibus absque sacrorum canonum iniuria, et contradictione in predictis, uel aliis potest per ecclesiasticas personas seculare forum adiri. personas autem ecclesiasticas, que contra huiusmodi inhibicionem uenire presumpserint, et iudices seculares qui personas prefatas coram se agere, respondere uel fideiubere, aut se astringere, uel alia facere que ad forum seculare non pertinent contra priuilegia ordini clericali uel personis ecclesiasticis generaliter, seu specialiter ab homine uel a iure concessa compulerint, nisi postquam de huiusmodi excepti fuerint, coram eis ab huiusmodi processu omnino destiterint, et reuocauerint omnem processum habitum contra personas predictas excommunicacionis sentencie uolumus subiacere, a qua per diecesanos locorum in quorum iurisdictione persone huiusmodi consistunt post satisfactionem idoneam, et dignam iuxta formam ecclesie possint absolui.

(26) Nullus sacerdos uel aliqua persona ecclesiastica de personalibus iniuriis uel eleemosinis ecclesie factis co-

ram seculari iudice audeant litigare, nisi de licencia sui episcopi.

(27) In concilio statum est, ut a modo reliquie extra capsam nullatenus ostendantur nisi in precipuis festiuitatibus, uel ad hoc ex deuocione concurrentibus peregrinis sicut quarumdam ecclesiarum laudabilis consuetudo exposcit, nec aliquomodo exponantur uenales. inuentas autem de nouo nemo publice uenerari presumat, nisi prius auctoritate Romani pontificis fuerint aprobate. qui uero contra fecerit, si clericus fuerit ab officio et beneficio se nouerit suspensum, si laicus per mensem ingressum ecclesie sibi nouerit interdictum.

(28) Nullus passim recipiatur ad predicandum nisi fuerit autentica persona, uel alias per sedem apostolicam priuilegiata aut ad hoc per episcopum destinata. questores quoque elemosynarum tantum ea dicant populo, que in litteris domini pape uel episcopi continentur: sacerdotes tamen loci populum sibi commissum diligenter inducant ad elemosynas erogandas intuitu pietatis, non animo extorquendi. Nullus eciam questarius pro hospitalibus uel aliis similibus locis recipiatur ad elemosynas querendas sine litteris domini pape aut legatorum eius, uel diecesanorum ipsorum.

(29) Statuimus quod ornamenta ecclesie non obligentur pignori nisi pro necessitate ecclesie, et de licencia episcopi cum consilio parochianorum. preterea statuimus quod nullus prelatus superior uel inferior, aut ecclesiarum rector pro alio fideiubere, nec possessionem ecclesie sue, uel alias res ecclesiasticas quascunque mobiles aut immobiles, uel se mouentes, presertim sacras pro alieno facto obligare presumat, nec eciam pro suo facto proprio nisi euidenter in utilitatem sue cedat ecclesie, et cum licencia diecesani, et cum consensu capituli siue conuentus illarum ecclesiarum, siue monasteriorum que habent capitulum

uel conuentum. transgressores autem constitucionis huiusmodi per suos superiores compellantur reficere omne damnum, quod monasterio uel ecclesie ex fideiussione uel obligacione huiusmodi incurrissent.

(30) Statuimus et statutum eciam declaramus, quod ecclesiarum rectores de bonis mobilibus uel iuribus, seu libris aut ornamentis ad ecclesias ipsas spectantibus nihil dare, concedere uel donare possint in uita, nec de ipsis seu aliis mobilibus uel immobilibus aut se mouentibus aquisitis contemplacione ecclesiarum ipsarum possint condere testamentum, nisi in casibus a iure permissis, quod si contra factum fuerit illud decernimus irritum et inane, precipientes districte quod successores eorum qui in talibus excesserunt predicta bona cum auctoritate diecesanorum, et eciam iudicum secularium, si fuerit opportunum, ad ius et proprietatem ipsarum ecclesiarum efficaciter studeant reuocare, ipsique prelati se fauorabiles, et promptos ipsis rectoribus exhibeant in predictis, et si qui de dictis rectoribus in reuocacione huiusmodi fuerint negligentes ipsos ad id per diecesanos predictos compelli uolumus, et mandamus. archidiaconi quoque singuli, uidelicet in singulis archidiaconatibus suis tam de predictis quam aliis ad bonum, et utilitatis ecclesiarum suorum archidiaconatuum curam et sollicitudinem habeant diligentem. et si quid super predictis et aliis difficultatis emerserit, illud diecesanis suis studeant quam cicius nunciare.

(31) Nullus clericus nostre legacionis in quouis ordine constitutus peregrinari extra regnum uel prouinciam suam presumat absque diecesanorum episcoporum, uel aliorum ordinariorum suorum licencia speciali quod siquis contrarium fecerit, a beneficio ecclesie uel ecclesiarum in qua uel quibus beneficiatus exstitit, per unius anni spacium sit suspensus.

(32) Decernimus ut nemo incognitus ad ministrandum

in sacris ordinibus admittatur, nisi sui ordinatoris uel successoris eius litteras omni suspicione carrentes ostendat suscepti ordinis mencionem facientes expressam, et qui contra constitucionem huiusmodi uenire presumpserint, tales ad celebracionem diuinorum admittendo uel retinendo post trinam admonicionem uel unam peremptoriam a diuinorum percepcione et ingressu ecclesie arceantur, et de hoc per diecesanos episcopos frequens inquisicio fiat.

(33) Precipimus ut ecclesiarum parochiani singulis diebus dominicis et festiuis ad diuina officia specialiter ad missam uadant ad suas parochiales ecclesias, ibique diuina officia prout deus dederit audiant diligenter, nec ipsi parochiani relicta sua parochiali ecclesia uel contempta ad alias ecclesias cuiusque sint ordinis, religionis aut status, siue huiusmodi ecclesie sint parochiales siue non, ad audienda diuina officia, et specialiter missam, presumant accedere, maxime diebus dominicis et festiuis, aut in alienis parochiis uel ecclesiis ad huiusmodi officia permittantur, seu ipsis per alios quam per suos parochiales presbyteros ministrentur ecclesiastica sacramenta, exceptis clericis religiosis transeuntibus, et peregrinis, qui ad huiusmodi officia in parochiis suis siue ecclesiis possunt recipi alienis, et nisi forte causa deuocionis maioris aliqui ex predictis ante uel postquam in suis parochiis diuina audiuerint, ad huiusmodi ecclesias uel parochias uelint accedere, sine preiudicio sue parochialis ecclesie, uel nisi aliqui circa hoc a sede apostolica sint muniti priuilegio, aut indulgencia speciali parochiani uero contra constitucionem huiusmodi uenientes a percepcione sacramentorum, ille autem qui contra constitucionem huiusmodi parochianos alienos receperint ad diuina, uel eis administrauerint ecclesiastica sacramenta ab execucione suorum ordinum nouerint se suspensos. et qui parochianis alienis taliter suspensis ecclesiastica ministrare presumpserint sacramenta excommunica-

cionis sentenciam ipso facto se nouerint incurrisse, a qua congrua satisfactione exhibita illi parochiali rectori cuius parochiano ministrare presumpsit ecclesiastica sacramenta per diecesanos episcopos secundum formam ecclesie possint absolui.

(34) Omnes autem abbates, prepositi, priores, et alii prelacionem habentes, saltem semel de suis omnibus redditibus et expensis, et statu ecclesiarum suarum, ceteri uero administratores camerari seu officiales, tam interiores quam exteriores, bis in anno duobus terminis, uno uidelicet in festo sancti Thome apostoli, alio in festo sancti Georgii reddant in capitulo plenariam racionem, consuetudine quarumdam ecclesiarum, ubi pluries racio reddi solet in suo robore duratura. in quibus si prelati et officiales, uel predicti negligentes, seu infideles et mendaces inuenti fuerint, secundum qualitatem culpe per episcopum uel alium suum superiorem puniatur, alii uero ipso facto administraciones amittant, grauius iuxta arbitrium episcopi uel sui superioris alterius puniendi.

(35) Inhibemus abbatibus, prepositis, prioribus, plebanis, rectoribus ecclesiarum, et clericis uniuersis, ne ipsi mutuo dent uel accipiant, abbates, prepositi ultra duas uel tres marchas, ceteri unam marcham, sine noticia et consensu capituli sui, uel maioris partis, aut diecesani episcopi, assensu speciali.

(36) Prohibemus insuper ne inferiores prelati absque episcoporum, nec ipsi absque archiepiscoporum, nec ipsi metropolitani absque sedis apostolice licencia speciali aliqua de bonis immobilibus uel iuribus ad monasterium siue ecclesias suas spectantibus nisi in casibus a iure permissis alienare presumant. quod si contra fecerint pro irrito habeantur et alienantes si inferiores prelati sint a suorum ordinum, archiepiscopi et episcopi a pontificalium execucione sint ipso facto suspensi. quam suspensionem supe-

riores ordinarii alienancium, alienatis prius ad ius, et proprietatem monasterii seu ecclesiarum reuocatis, uel aliis indemnitati ipsorum monasterii et ecclesiarum prouiso ualeant relaxare.

(37) Statuimus quod ecclesie parochiales, uel alie ecclesie seu monasteria per maiores seu minores, uel personas, seu magistros, aut capitula cathedralium ecclesiarum, uel aliarum ecclesiarum prelatos nouis iniustis, et indebitis exactionibus non grauentur, nec eis noui imponantur census, aut indebitas exactiones inducant, nec ueteres augeantur pensiones. qui uero inuenti fuerint in talibus ecclesias molestare aut aggrauare predictas, si episcopi per metropolitanos eorum, si inferiores persone per suos diecesanos a talibus per censuram ecclesiasticam, ac alia opportuna remedia desistere compellantur.

(38) Cum tam de iure quam de generali consuetudine multarum ecclesiarum archidiaconi iurisdictionem habeant causas matrimoniales, et plerumque alias audiendi, examinandi, decidendi, statuimus atque precipimus, quod nulli de cetero in regno Hungarie et prouincia Polonie in archidiaconos assumantur, nisi in iure canonico taliter sint instructi atque periti, quod causas huiusmodi secundum iura et racionabiles consuetudines locorum, in quibus huiusmodi iurisdictionem obtinent, audire, examinare, atque decidere possint, uel alias in artibus sint, aut in aliis scientiis taliter informati, quod in talibus annuente deo uerisimiliter proficere possint, et si tales in archidiaconos assumi contigerit, teneantur ad minus triennio in canonico iure studere, dimissis in ipsis archidiaconatibus talibus uicariis, qui honeste possint suplere uices eorum, hanc autem ad studium quantum ad constitucionem triennii ad iam institutos archidiaconos extendi uolumus et mandamus, nisi et instituti quum facti sint, et instituendi post suas instituciones fiant absque uicio et culpa ipsorum

edificare in cimiterio permitatur, nec fimus uel immundicie alie in cimiteriis adunentur. talia facientes quousque satisfecerint, ad uoluntatem rectoris ab ingressu ecclesie illius arceantur.

(44) Precipimus quod ecclesiarum rectores in suis ecclesiis uigilias fieri a laicis non permittant, cum ex hoc scandala proueniant et peccata, nisi forsan in illis ecclesiis, in quibus ex deuocione fidelium uigilie tales consueuerunt fieri ab antiquo.

(45) Ad dilatandum in diuinis officiis ecclesie decus presenti constitucione duximus statuendum, quod prepositi, canonici plebani et alii ecclesiarum rectores et clerici uniuersi in prepositurís, canoniis, et plebanatibus, rectoriis, et aliis ecclesiis, in quibus beneficiati existunt, uel a quibus ecclesiastica recipiunt stipendia, residenciam facientes, horis canonicis ad minus matutinis, misse uel uespris intersint, cum eis ad hoc sint ecclesiastica beneficia deputata, ut de ipsis honeste debeant uiuere, et deo et dictis ecclesiis in ipsis diuinis officiis cum reuerencia deseruire. quod siquis eorum in predictis pateat negligens uel remissus, et per diecesanum uel capitulum uel alium superiorem ammonitus non emendauerit, sed huiusmodi negligenciam, ne dicamus contemptum, non uideatur emendacioni sed consuetudini pocius deputare, quotidianis distribucionibus illius diei, quo absque racionabili causa abfuit a diuinis, in aliqua de tribus horis predictis, ipso sit facto priuatus, per diecesanum uel alium superiorem suum si huiusmodi negligenciam, uel contemptum non studuit emendare. officia continuando predicta, grauius puniendus, et ut huiusmodi constitucio melius obseruetur, deputentur aliqui a singulis capitulis cathedralium et collegiatarum ecclesiarum qui absencias et negligencias talium notent, et scribant. parochialium uero sacerdotum, et aliorum clericorum negligencie et offense in talibus et aliis, que a cura et

sollicitudine pendent eorum, per archidiaconum, prepositos, et alios, et demum per episcopos, quibus subsunt, corrigantur et salubriter emendentur.

(46) Presenti quoque constitucione declaramus atque decernimus, quod consuetudo secundum quam archidiaconi Hungarie pro occisis gladio siue fuste, uel aliorum armorum genere, seu ueneno aut quocunque alio damnabili et reprobato modo, consueuerunt recipere unam marcham argenti, antequam si occisi tradantur ecclesiastice sepulture. ad eos qui fulmine percussi uel fluminibus suffocati, exusti incendio, arboribus oppressi aut de equo cadentes, uel aliis similibus, siue fortunatis casibus diem clauserunt extremum, seu interiise noscuntur, nullatenus extendantur, nec ab eorum heredibus, propinguis siue amicis marca huiusmodi exigatur, sed sic defuncti, dummodo penitentes decesserint, uel in morte penitencie signa apparuerint manifesta, sicut alii Christiani ecclesiastice sepulture tradantur. archidiaconi uero per suos ordinarios ab huiusmodi exactione indebita arceantur.

(47) Prohibeant sacerdotes, ne Laici publice teneant concubinas, et qui post ammonicionem tenuerit, tam ipse quam ipsa ab ingressu ecclesie arceantur, et si per hos se non emendauerint, per suos diecesanos forcius compellantur.

(48) Cum ex uicinitate turpium mulierum et maxime meretricum publicarum, que corpora sua pro uilli precio uel mercede uenalia indifferenter exponunt, multis plerumque pecandi occasio ministretur, ut de multis aliis specialibus et temporalibus, que pessime ex earum uicinitate damnabili consueuerunt contigere periculis taceatur, religio Christiana ac multorum bonorum honestas enormiter infamatur, statuimus, quod nulla persona ecclesiastica aut eciam secularis uniuersitas, collegium uel conuentus, huiusmodi infamas et abhominandas personas in

aliqua ciuitate, castro uel uilla, in domibus seu possessionibus suis habitare permittat, nec eis uel aliquibus aliis ipsarum nomine, uel pro ipsis aut infamatis de lenocinio, fauore, commercio aut conuersacione siue protectione talium mulierum domos ipsas uel possessionem suam eis concedere, locare, uendere, uel donare quocunque modo, uel fraude presumat. quod si quis contra huiusmodi constitucionem uenire presumpserit tandiu per ordinarios locorum et presbyteros parochiarum in quibus uiolatores constitucionis huius degerint, ab ecclesie arceantur ingressu, et a perceptione sacramentorum habeantur suspensi, donec ipsis turpibus personis de dictis domibus et possessionibus prorsus eiectis, et prestita sufficienti caucione, quod ulterius in talibus non excedent, et ad mandatum ordinariorum siue superiorum uel presbyterorum parochialium suorum, tantum de bonis suis in pios usus expendant, quantum pro huiusmodi locacione, uendicione seu concessione perceperint aut percepturi fuerint occasione predicta. persone autem ecclesiastice si in predictis excesserint, preter predictas penas per ordinarios siue superiores suos grauius puniantur. hanc autem constitucionem ad publicos adulteros et incestuosos, et ad publicas adulteras et incestuosas, quos et quas excommunicacionis sentencie decernimus subiacere, extendi uolumus et mandamus.

(49) Statuimus quod ad bona decendencium episcoporum seu episcopatuum, et aliorum inferiorum prelatorum secularium seu religiosorum monasteriorum uel aliarum ecclesiarum uacancium, nullus Laicus quantecunque et cuiuscunque sit altitudinis, excellencie, condicionis uel status, manus suas extendi faciat uel permittat, bona huiusmodi auferendo, aut eciam occupando occasione iuris patronatus, uel alio quocunque pretextu. quod si quis laicorum contra constitucionem huiusmodi uenire presump-

serit, ingressum ecclesie et percepcionem seu participacionem sacramentorum usque ad satisfactionem omnium occupatorum ac subtractorum eciam ablatorum sibi nouerit interdictos, saluis aliis predictis et in aliis constitucionibus nostris expressis.

(50) Statuimus quod nulla persona ecclesiastica aut eciam secularis cuiuscunque sit excellencie, ordinis, dignitatis aut status, uel sub pretextu iuris patronatus, quod se habere dicat, contendat uel asserat, aut in ueritate habeat in aliquibus monasteriis uel ecclesiis nostre legacionis, seu alio quocunque pretextu uel modo, monasterium uel ecclesias predicta in quibus iura huiusmodi se habere contendunt, aut aliquid de bonis uel iuribus ad ipsas ecclesias uel monasteria spectantibus per se uel alios occupare, uendere, donare, permutare, locare, aut alio modo quocunque alienare, seu bona ipsa aut fructus aliquos in perpetuum uel ad tempus. aut alias in feudum, seu in pignus dare, concedere uel recipere, aut aliquid aliud circa disposicionem et ordinacionem ecclesiarum et monasteriorum predictorum seu bonorum mobilium uel immobilium aut se mouencium, et iurium eorundem propria auctoritate attemptare presumant, ueris patronis ecclesiarum, monasteriorum, legacionis prefate in quibus ecclesiis et monasteriis ius obtinent patronatus iure competenti occasione huiusmodi patronatus seruato in tantum, in quantum in hac parte patronis ecclesiarum canonica instituta concedunt. transgressores autem constitucionis huiusmodi postquam a diecesanis et aliis superioribus illarum ecclesiarum in quibus predicta uel predictorum aliqua attemptauit, per charitatem admoniti fuerint, nisi infra terminum ab ipsis diecesanis uel per alios dictarum ecclesiarum superiores statuendum eisdem ab ipsarum ecclesiarum uel monasteriorum, seu bonorum, ac iurium eorundem super predictis molestacione et perturbacione destiterint, et ad ipsorum

diecesani seu aliorum superiorum arbitrium satisfecerint de damnis et iniuriis irrogatis, occasione predicta monasterio et ecclesiis prefatis, et tunc se sciant excommunicacionis sentencie subiacere, a qua, iuxta tamen formam ecclesie, per diecesanos satisfactione premissa et sufficienti prestita caucione, quod ulterius in talibus uel similibus non excedant possint absolui prefatos.

(51) Presenti quoque declaramus statuto atque precipimus, quod quecunque persona secularis cuiuscunque sit excellencie, dignitatis aut status, quantumcunque liberaliter et absolute concedat, donec tradat seu tradidisse intenderit, uel intendat, uoluerit uel uelit monasterium seu ecclesias, in quibus ius tantum obtinet patronatus monasteriis uel aliis ecclesiis secularibus uel regularibus seu quibuscunque aliis piis locis uel personis ecclesiasticis aut secularibus illud faciat et facere debeat, de illorum diecesanorum seu prelatorum licencia seu assensu, in quorum diecesibus uel iurisdictione ecclesie uel monasteria ipsa consistunt. et tam predicte persone, quam alie persone ecclesiastice regulares aut seculares, cuiuscunque ordinis, dignitatis uel status, quantumcunque liberaliter et absolute concesserint, donauerint uel tradiderint, aut concedant, donent uel tradant, seu concessisse, donasse, tradidisse intenderint uel intendant, monasteria uel ecclesias in quibus ius tantum obtinet patronatus, locis uel personis predictis nihil aliud intelligatur seu presumatur conferre, aut eciam contulisse nec persone, aut loca predicta aliud ex collacione huiusmodi recipere, uel aquirere quam ius in iisdem ecclesiis seu monasteriis conferentibus competens patronatus. statuentes, et expressius prohibentes ne alique persone ecclesiastice aut eciam seculares, quibus de monasteriis, uel ecclesiis huiusmodi sunt donaciones, concessiones, uel collaciones facte, uel in posterum fient, aliquid nisi quantum patronis canonica iura concedunt exigere,

uel extorquere, aut capere motu proprio, uel accipere de bonis mobilibus uel immobilibus, aut se mouentibus, uel de iuribus monasteriorum aut ecclesiarum ipsarum, nec in eis statuere aliquas prelaturas seu eciam rectorias, nec remouere siue supprimere uel eciam reuocare statutas, nec de ipsis monasteriis uel ecclesiis aut temporalibus seu spiritualibus, uel iuribus eorundem, nisi quantum ad defensionem pertineant, ad quam patroni teneantur disponere, aut eciam se intromittere, uel aliquos in ipsis monasteriis aut ecclesiis instituere uel destituere, huiusmodi iuris patronatus pretextu, quocunque inuento colore presumant. decernimus autem irritum, et inane quidquid a prefatis personis circa monasteria et ecclesias et alia omnia et singula supradicta contra tenorem presentis constitucionis temere contigerit attemptari. per hanc autem declaracionem et constitucionem nullum ueris patronis super his que sibi competunt, id est iuris patronatus, preiudicium generetur. siqui uero quacunque presumpcione contra constitucionem huiusmodi uenientes monasteria uel ecclesias in predictis uel predictorum aliquo molestare aut perturbare, aut de ipsis monasteriis uel ecclesiis seu bonis et iuribus eorum se intromiserint quoquo modo, ingressu ecclesie et percepcione sacramentorum ecclesiasticorum se nouerint interdictos, donec satisfactione premissa, a perturbacione et molestacione, et aliis supradictis destiterint, et per diecesanum illarum ecclesiarum seu monasteriorum, quos huiusmodi occasione leserant ad ecclesie ingressum et sacramentorum percepcionem fuerint restituti. qui autem sic suspensis et interdictis, antequam ut superius est expressum ecclesiastica ministrauerint sacramenta, per sex menses a collacione sacramentorum nouerint se suspensos.

(52) Cum multorum assercione didicerimus, pestem quamdam in regno Hungarie, et aliis terris nostre legacionis contra deum et ecclesiasticam libertatem inualuisse

iam dudum, uidelicet, quod laici ecclesias, monasteria, earumque possessiones, et iura iuris patronatus seu alio quocunque pretextu, non absque damnabili et manifesta sacrilegii nota quasi indifferenter occuparunt hactenus, et quotidie occupant, et damnabiliter detinent occupata, quarum alique sunt deputate habitacioni et usibus laicorum, alie uero usibus iumentorum et aliorum animalium, altaribus et aliis ad cultum diuinum ibi statutis pia deuocione fidelium et auctoritate pontificum destructis et totaliter deformatis, nos contra huiusmodi pestem, quam pati nullo modo possumus nec debemus omnino intendentes de salubri remedio prouidere, omnes et singulos ecclesiarum et monasteriorum, bonorum ac huiusmodi detentores ex parte dei omnipotentis et sub obtestacione diuini iudicii ammonemus, quatenus ecclesias, monasteria earumque possessiones et iura, que taliter occuparunt seu detinent occupata, in regno et terris predictis, diecesanis episcopis uel aliis ordinariis, aut aliis ecclesiasticis personis ad quas predicta spectare noscuntur, infra sex menses a die publicacionis presentis constitucionis computandos, cum fructibus exinde perceptis reddere et restituere non postponant, alioquin prefatos detentores, quos excommunicacionis sentencie decernimus subiacere, ad requisicionem illorum ordinariorum, in quorum diecesi uel iurisdictione aut ecclesiis uel earum bonis et iuribus predicta sunt commissa, uel de cetero comittentur, ab omnibus prelatis regni Hungarie quantum ad Hungaros, et ab illis de Polonia, quantum ad Polonos, usque ad restitucionem et satisfactionem condignam excommunicatos publice precipimus nunciari, pulsatis campanis et candelis accensis diebus dominicis et festiuis, contra quos, si opus fuerit, inuocetur auxilium brachii secularis.

(53) Cum ecclesie ac monasteria secundum tradiciones euangelicas, apostolicas atque canonicas sint et esse

debeant domus oracionum, non spelunce latronum, uel munimenta predonum, dolentes referimus, quod quidam et non pauci in regno Hungarie, et terris nostre legacioni subiectis, multa monasteria, multasque ecclesias, possessiones et iura ad ipsas spectancia occupasse, plerumque ex eis incastellasse dicuntur, et cum ipsis ecclesiis et monasteriis ad laudem dei continua debentur ecclesiastica officia celebrari, et pro animabus tam defunctorum quam uiuorum deuote preces et oraciones deferri, in ipsis tyranni raptores habitant et predones, rapine spoliaque reconduntur et prede, et quod ualde horrendum est loca ipsa deo dedicata et sanctificata frequenter humano sanguine et semine polluuntur. cum autem et que sunt iuris diuine nullo modo debent ad humanos usus conuerti, maxime tam detestabiles et prophanos, nos nulla racione uolentes tantam iniquitatem et peruersitatem conniuentibus oculis pertransire, omnes et singulos, cuiuscunque excellencie, nobilitatis, status, aut condicionis, qui ecclesias, monasteria, aut bona uel iura ipsorum occupata detinent, aut de cetero inuadere, incastellare, seu eciam occupare propria temeritate presumpserint, nisi infra terminum, seu terminos omnibus communiter et singulis singulariter ab illis prelatis, in quorum diecesibus et iurisdictione ecclesie, monasteria, bona et iura consistunt prefata, peremptorie statuendos, monasteria, ecclesias, possessiones et iura illius personis ecclesiasticis, ad quas pertinent supra dicta libere et absque dificultate reddiderint et restituerint, et de fructibus, prouentibus atque damnis ad mandatum prelatorum ipsorum satisfecerint competenter, cauerintque sub certis penis, quod ulterius in talibus non excedent, anathematis uinculo decernimus et uolumus esse ligatos, a quo absolui non possint nisi predicta restituerint, et ad mandatum ipsorum prelatorum plene satisfecerint ut superius est expressum.

(54) Statuimus quod nullus iudex ordinarius, uel eciam delegatus faciat, uel eciam se facturum promittat alicui iusticiam per graciam seu receptam pecuniam uel promissam, aut per alias sordes pretextu alicuius odii, temporalis emolumenti, fauoris seu lucri, et qui contra fecerit, per annum officium iudicandi sibi inouerit interdictum, ad estimacionem litis parti quam leserit nihilominus condemnandus, prout in constitucione felicis recordacionis domini Innocencii pape IV, de re iudicata edita in concilio Lugdunensi cauetur.

(55) Statuimus quod iudices ordinarii aut eciam delegati omnes illos, quos per denunciacionem uel alio legitimo modo excommunicatos sciuerint esse ab homine uel a iure ab agendo, patrocinando, uel testificando in suo foro uel curiis aut iudiciis ex officio suo repellant, iudices autem qui excepcionem excommunicacionis contra agentes, aduocantes uel testificantes obiectam non admiserint, sed ea non obstante tales admiserint ad predicta, per mensem unum iudicandi officium sibi nouerint interdictum, et processus cum talibus excommunicatis habitus sit irritus ipso facto, nec per processus huiusmodi iudicium excipienti excommunicacionem siue ipsam exceptionem habuerint, siue non, ex quo per eum opposita fuit huiusmodi excepcio, et non fuit admissa aliquod preiudicium generetur.

(56) Statuimus quod iudices seculares excepcionem rei iudicate per ecclesiasticum iudicem, de qua quidem recognicio ipsum ecclesiasticum iudicem de consuetudine uel de iure pertinet, eciam ipsis propositam admittere non omittant. item e contra ecclesiastici iudices cum de re iudicata per secularem iudicem de his que ad eius iuri dictionem spectare noscuntur ex eis, coram eis exceptionem huiusmodi prout de iure tenentur admittant. quod si dicti iudices exceptiones huiusmodi forte admittere recusarent, per ordinarios de quorum iurisdictione fuerint bona, de

quibus uel persone contra quas fuerit iudicatum, ad recipiendam et admittendam exceptionem huiusmodi per opportuna remedia compellantur. cum quos dei timor de malo non reuocat, pena cohercere debeat temporalis.

(57) Statuimus quod uniuersi et singuli nostre legacionis, cuiuscunque sint excellencie, dignitatis aut status, temporalem iurisdictionem habentes, ad requisicionem prelatorum seu iudicum ecclesiasticorum contra rebelles et inobedientes, eos uel eorum sentencias contemnentes, seu non parentes, alias rei iudicate ab eis de his, et super his que principaliter uel incidenter de consuetudine uel de iure ad forum, iurisdictionem, seu cognicionem ipsorum spectare noscuntur, reuerenter brachium sue iurisdictionis impendant, rebelles et inobedientes, atque non parentes huiusmodi ac excommunicatos quosque ab ipsis prelatis seu ecclesiasticis iudicibus seu alias ab homine uel a iure, redire ad ecclesie unitatem ac satisfacere pro causis pro quibus excommunicaciones huiusmodi incurrerunt, per occupacionem bonorum que sub sua iurisdictione sunt, et alia opportuna remedia compellendo. ad quod prefati iudices per censuram ecclesiasticam compellantur. ipsi uero prelati et ecclesiastici iudices uersa uice laicorum iudicum, sua iurisdictione in his, et super his que canonicis non obuenient institutis, quoque adiuuent, et contra inobedientes et rebelles illorum, ac ipsorum secularium iudicum iustis sentenciis non parentes, gladium sue potestatis et auctoritatis, ecclesiasticam scilicet censuram, impendant, cum ab ipsis secularibus iudicibus super hoc fuerint requisiti.

(58) Statuimus quod omnes cause ad forum ecclesiasticum pertinentes, coram ordinariis uel ecclesiasticis iudicibus iuxta sacras et legitimas sanctiones agitari, tractari, uel uentilari debeant, et per eos libere et absque impedimento ullo uel obstaculo terminari, et si qui quando super huiusmodi causis apostolicam sedem uel alios superiores,

ad quos appellare iura permittunt, appellari contigerit, tam appellantes quam appellati ad prefatam sedem, seu ad superiores predictos accedere super appellacionum prosecucionibus libere, et absque inhibicione aliqua permittant. si uero rex seu regina, uel quicunque alii de regno predicto, postquam coram ipsis de hoc protestatum fuerit uel exceptum, contra constitucionem huiusmodi uenerint, de causis huiusmodi cognoscendo, uel appellantes ad sedem apostolicam seu superiores prefatorum a prosecucione appellacionum ipsarum quomodolibet prohibendo, seu alias contra constitucionem huiusmodi excedendo, ab huiusmodi prohibicione impedimento seu cognicione omnino non destiterint, rege seu regina prefatis in predictis excedentibus, tam diu ecclesie sit interdictus ingressus, quousque omnem processum per eos habitum in causis predictis quem cassum et irritum nunciamus, omnesque prohibiciones et grauamina reuocauerint cum effectu. alii uero duces, barones, et alii inferiores iudices contra constitucionem excedentes presentem, nisi infra triduum postquam coram eis ut supra denunciatum, protestatum fuerit uel exceptum, prohibiciones, impedimenta, grauamina, ac processus super huiusmodi reuocauerint cum effectu, ac procedendo in causis huiusmodi destiterint, ipso facto excommunicacionis sentencie se nouerint subiacere, a qua congrua satisfactione premissa, ab episcopis, in quorum diecesibus persone uel res super quibus uel contra quas processerint, iuxta formam ecclesie possint absolui.

(59) Cum regnum, principum, baronum et aliorum catholicorum fidelium proprium et peculiare ab antiquo fuisse noscatur, ecclesias, monasteria, locaque sacra deo edificare, destructas uero siue concisas, aut in se siue in ministris, uel in facultatibus, iuribus, priuilegiis uel immunitatibus suis diminuta siue oppressa releuare, reficere, defendere, ac eciam restaurare, prout per facti euiden-

eiam, uidelicet per edificacionem, refectionem, et reparacionem ecclesiarum et monasteriorum multis et latis possessionibus, edificiis, iuribus, priuilegiis, prerogatiuis, et immunitatibus dotatorum antiquitas ipsa omni digna ueneracione et imitacione testatur, multum profecto ab antiquorum et maiorum suorum uidentur uestigiis deuiare, qui ecclesias ipsas uel eorum bona seu iura destruunt, scindunt, occupant, uel inuadunt seu earum priuilegia et immunitates imminuunt, uel infringunt, aut qui talibus tacite uel expresse consenciunt, seu qui talia et his similia contra deum eiusque ecclesiam atque ministros impie commitentes per assumpte potestatis uel iurisdictionis officium non compescunt, et ab ipsis desistere per remedia opurtuna non cogunt, declaramus igitur atque decernimus, ecclesias et ecclesiasticas personas ab omnibus angariis et perangariis, exactionibus et collectis, ac aliis superinductionibus, oneribus, muneribus sordidis laicorum, nec non a prestacionibus tributorum, pedagiorum, seu uectigalium pro ecclesiasticis personis, uectionibus, et rebus ipsorum, que non causa mercimonii siue negociacionis, sed pro suis et ecclesiarum suarum necessitatibus per terram, siue per aquam ducunt seu transeunt, omnino immunes et exemptas esse, iuxta canonicas et legitimas sanctiones, nec per aliquos cuiuscunque altitudinis, iurisdictionis, seu eciam potestatis ad talium prestacionem posse uel debere compelli.

(60) Et quia in regno Hungarie, et aliis terris nostre legacionis ecclesie et ecclesiastice persone a multis et in multis et uariis, super predictis et aliis similibus, indebite et contra iusticiam aggrauantur, in periculum animarum illorum qui talia agunt, et ecclesiarum ac personarum ecclesiasticarum non modicum detrimentum, et derogacionem ecclesiastice libertatis, nos autem animarum saluti et ecclesiarum ac personarum ecclesiasticarum immunitati super hac prouidere uolentes, destrictius inhibemus,

ne de cetero ecclesiis et ecclesiasticis personis talia imponantur aut exigantur, seu extorqueantur ab eis, uel ipse ecclesie aut persone super talibus prestacionibus quomodolibet molestentur. quod si contra prohibicionem huiusmodi quidquam ab ecclesiis uel personis predictis aliquid occasione predicta extorquere presumpserint uel auferre, seu super predictis uel eorum aliquo ecclesias uel personas aggrauare predictas, nisi infra triduum omnia restituerint, que ab huiusmodi personis occasione predicta extorserint, ingressum ecclesie et percepcionem sacramentorum sibi nouerint interdictos. quod interdictum satisfactione premissa per diecesanum ualeat reuocari.

(61) Et quia inhonestum existit quod canonici regulares uel monachi diuersis uestibus uestiantur, cum ex hoc proueniat inuidia, murmur et scandalum inter ipsos, statuimus, quod omnes in eodem monasterio uel regula canonica, et sub eadem professione morantes, indifferenter uno et eodem uestiario induantur, prohibentes expresse, ne quis eorum uestes aliquas alicuius coloris, nisi tantum modo albi uel nigri, seu grisei habere presumat, in quibus brunetam nigram, garzatum, et alium quemcunque pannum notabiliter delicatum interdicimus uniuersis. uestes non habeant breuitate uel longitudine deformatas. qui uero in predictis excesserint, per suos diecesanos uel superiores alios castigentur, salua distinctione, ac discrecione diuersorum ordinum seruata, inter monachos siue canonicos, et conuersos.

(62) Quia sicut audiuimus quidam monachi et canonici regulares, sicut laici et clerici seculares consueuerunt incedere, in animarum suarum periculum et scandalum plurimorum, precipimus ut canonici regulares sine superpelliceis uel tunicis lineis seu cappis clausis, monachi uero sine cappis aut cucculis seu scapularibus extra domos suas de cetero non incedant, nec eciam intra domum. si uero

contrafacere presumpserint, administracionem habens eam ipso facto amittat, et monachus siue canonicus regularis per abbatem, priorem uel prepositum puniatur, et si negligens fuerit, per episcopum suppleatur.

(63) Statuimus, ut a die quatuor coronatorum usque ad diem natalis domini, a sanguine et carnibus omnes monachi cuiuscunque ordinis, preter quam infirmi, debiles et delicati, cum quibus abbates discrecione preuia poterunt dispensare, abstineant, omnibus diebus, exceptis dominicis ieiunantes, poterit tamen abbas ex causa cum aliquibus ut aliquando bis comedant dispensare, nec comedant ter in die nisi pueri, infirmi, uel qui in refectorio leget, nec comedant extra domos suas, in parochiis suis, nisi quando procuracio ab aliquibus debetur eisdem. a septuagesima usque ad Pascha, quantum ad esum carnium et esum sanguinis idem precipimus firmiter obseruari. canonicos autem regulares suam regulam regulariter precipimus obseruare. precipimus eciam quod nullus canonicus regularis diebus lune et mercurii carnes in refectorio comedat, nisi festum nouem fuerit lectionum. silencium autem in claustro, refectorio et dormitorio firmiter precipimus obseruari horis debitis et statutis, in loco ubi xl minus tres monachi aut regulares canonici commorantur, ita scilicet, quod aliquis loqui non audeat nisi uoce adeo submissa, quod tercius ab ipso audire non possit.

(64) Quoniam sicut audiuimus quidam monachi et canonici regulares aliquorum monasteriorum consueuerunt extra septa sui monasterii tam patenter quam latenter, tam turpiter quam damnabiliter per terram sepius euagari: statuimus ut nullus excepto capellano, et illis quibus ex necessitate amministracio competit, septa monasterii sui exire audeat, nisi prius abbate uel priore seu preposicio, et si abbas, uel prior uel prepositus presentes non fuerint, ab eorum uicariis, uel ab aliis potestatem habentibus eis

specialiter licencia sit concessa. quibus abbas seu prior uel prepositus, uel eorum uicarii sine causa necessaria uel racionabili exeundi licenciam non concedant, nec eciam obtenta licencia sine socio quis pedes exire presumat. si uero abbates, priores prepositi uel alii regulares prelati seu eorum uicarii in aliquo premissorum negligentes inuenti fuerint uel remissi, suspensionis uel maioris uindicte sentencia a diecesanis suis se nouerint puniendos.

(65) Prohibemus ne monachi, uel canonici regulares ecclesias ad firmam recipiant uel conducant, aut sine licencia diecesanorum episcoporum uel aliorum ordinariorum parochialium ecclesiarum capellani existant, sed ad sua monasteria redeant, donec redierint non celebraturi.

(66) Siquis religiosus inuentus fuerit cum canibus et auibus uenatoriis, cuicunque occupanti conceduntur a nobis. nullus regularis cuiuscunque ordinis continue deseruire audeat in parochialibus ecclesiis secularium ultra octo dies, sine illius parochialis ecclesie ordinarii licencia speciali. qui uero tales scierint ultra octo dies loco capellanorum ad celebrandum uel ad ecclesiastica sacramenta ministrandum tenuerint, aut sustinuerint sine ipso facto ab ordinum execucione suspensi, que suspensio per diecesanos imposita, eis pro huiusmodi excessu seu transgressione penitencia competente, ac iniuncto sibi quod in talibus ulterius non excedat, ualeat relaxari. excommunicentur monicione premissa omnes monachi et religiosi, qui relictis claustris suis absque prelatorum suorum licencia ad scholas ire, uel aliud quam grammaticam, theologiam aut logicam in scholis audire presumunt.

(67) Quia audiuimus et in parte uidimus, in regno Hungarie et aliis terris nostre legacionis ecclesiastice persone, tam regulares quam seculares, et plerumque quod grauius est prelati excommunicacionum, suspensionum et interdictionum sentencias in singulares personas, collegia,

uniuersitates ac terras, uillas uel loca a suis iudicibus, uel a iure, siue a canone promulgatas usque ad hec tempora in graue animarum periculum, et illorum ad quorum instanciam, uel pro quibus huiusmodi sentencie late fuerint non modicum, immo plerumque maximum detrimentum, nec non in grauissimum auctoritatis et potestatis ecclesiastice censure contemptum, et derogacionem ecclesiastice libertatis, prout tenentur et debent hactenus minime seruauerunt, nec fecerunt ab aliis obseruari, iuxta mandatum apostoli et statuta canonica excommunicatos huiusmodi non uitando, sed in salutacione, osculo, mensa, diuinis officiis, ac aliis ab apostolo et sacris canonibus prohibitis damnabiliter communicantes cum eisdem laicis, idiotis atque simplicibus, quos ad huiusmodi sentencias obseruandas persuasionibus, monitis, et exemplis inducere, et per censuram ecclesiasticam grauius compellere debuissent, suis prauis et perniciosis exemplis uiam, imo inuium et laqueos damnabiles ad contemptum libertatis et censure ecclesiastice parauerunt. quia ut scriptum est, quod fit a prelatis trahitur a subditis facile in exemplum, sicque peccatis exigentibus ex talium abusu negligencia et contemptus ac plurimorum malicia euenit, accidit quod pauci inueniuntur in regno et terris predictis, qui ecclesiasticam censuram reuereantur et timeant, cum uideant defensores ipsius censure, prelatos, scilicet et alias inferioris gradus ecclesiasticas personas, pastores, patres, et medicos animarum suarum huiusmodi sentencias per ipsos pocius diuina quam humana auctoritate prolatas, quarum ad ipsas specialiter spectat tuicio notabiliter et damnabiliter non seruari. quia ut sapiens ait, nec sic inflectere animos dicta possunt, ut uita regentis, propter que censura, et libertate huiusmodi uili pensis, iam indifferenter et impune in regno et terris predictis captiuantur, uerberantur, mutilantur, ac eciam occiduntur clerici, et quod seuerius est pre-

lati bonis, iuribus suis tam mundanis quam ecclesiasticis spoliantur, ecclesie, monasteria, et bona ac iura ipsorum ab ipsis laicis occupantur, inuaduntur, ac damnabiliter detinentur, prophanantur horibiliter, alique ruinis et incendiis destruuntur, earumque ac cemiteriorum immunitas infringitur ac eciam uiolatur, et libertate ecclesiastica quasi totaliter conculcata in omnibus fere dissoluitur quotidie numerus ecclesiastice discipline. nos autem omnibus prelatis tam regularibus quam secularibus, et uniuersis clericis in sacra synodo congregatis, cum instancia petentibus, nostram contra mala et pericula supra dicta per constitucionem de opportunis remediis prouideri, presenti constitucione precipimus quod omnes, et singuli prelati et clerici uniuersi tam exempti, quam non exempti, cuiuscunque dignitatis et ordinis uel religionis existant, excommunicacionis, suspensionis et interdicti sentencias ab eiusdem regni prelatis nostre legacionis, et aliis ordinariam uel delegatam iurisdictionem habentibus, uel a iure seu a canone in quascunque personas uel loca prolatas, postquam eis per denunciacionem illorum prelatorum uel iudicum, uel alio quocunque modo de talibus sentenciis constiterit, inuiolabiliter obseruent, ipsasque ad requisicionem dictorum prelatorum et iudicum denuncient, et a sibi subditis denunciari faciunt, et inuiolabiliter obseruari, se suosque subditos subtrahendo, aliosque a communione talium excommunicatorum in salutacione osculo, cibo et potu, ac diuinis officiis, nec non celebracione diuinorum interdictis locis uel ecclesiis quantum in eis fuerit reuocando, et expressius prohibendo. si qui uero proprie salutis immemores, et huiusmodi sancte constitucionis, nec non libertatis ac censure ecclesiastice contemptores tales excommunicatos denunciare, ac in predictis et aliis in quibus excommunicati sunt de iure uitandi, uitare, et a sibi subditis denunciari ac uitari facere, diabolica fraude contempse-

rint, uel in ecclesiis siue in locis interdictis celebrare diuina, quacunque temeritate presumpserint, si singulares siue priuate persone fuerint excommunicationis, si collegium uel uniuersitas ecclesiastica secularis aut regularis fuerit, eorum ecclesie siue monasteria ipso facto ecclesiastico subiaceant interdicto. a quibus sentenciis post congruam satisfactionem exhibitam illis prelatis siue iudicibus, qui huiusmodi sentencias protulerint, et illis pro quibus siue in quorum fauorem prefate fuerint sentencie late, ab ipsis prelatis et iudicibus qui sentencias protulere predictas, uel ab alliis superioribus ad quos talium absolucio et relaxacio spectat de iure, iuxta formam ecclesie absolucionis, et relaxacionis interdicti beneficium ualeant obtinere. Quod autem de denunciandis excommunicatis supradiximus, intelligimus de Polonis quantum ad Polonos, et de Hungaris et incolis terre regni Hungarie subiacte quantum ad Hungaros et ipsos incolas.

(68) Non nullos execrabiles peccatores, qui solent iustis hominum laboribus ex quibus fragilitas humana reficitur, nonnunquam eciam sanctis uiris, in agone huius seculi certantibus opportunis, peruersitate quadam diabolica inuidere, uidelicet uinearum et agrorum dissipatores, depopulatores, seu destructores, nocturnos et diurnos, publicos et occultos, excommunicacionis sentencia innodamus: a qua postquam satisfecerint damnum passis, et de publicis idoneam prestiterint caucionem, quod similia de cetero non comittent, ualeant a suis diecesanis episcopis, iuxta formam ecclesie consuetam, absolucionis beneficium obtinere.

(69) Cum uniuersalem ecclesiam, quam sibi redemptor noster suo sanguine copulauit, cui Romana ecclesia adeo specialis et singularis preminencia priuilegii est prelata, quod mater sit omnium et magistra; ipsiusque Prelati, sacerdotes et clerici sint patres, pastores et iudices

animarum religionis christicole, super reges et regna diuinitus exaltati, dictosque prelatos, sacerdotes, et ministros, quibus potestas ligandi atque soluendi animas a domino est concessa, reges ipsi et principes, ac fideles populi christiani honorare atque reuereri pro animarum teneantur salute: multum profecto presumere ac enormiter excedere sunt censendi, ii maxime, qui gloriantur nomine Christiano, cum ecclesias et personas ecclesiasticas, quibus de bonis a deo sibi datis erogare, easque suis fauoribus, priuilegiis, et immunitatibus premunire, atque ab iniuriis, damnis, seu uiolentiis, sue potestatis brachio defensare tenentur, per statuta, edicta, coniuraciones, confederaciones, colligaciones, machinaciones tacitas uel expressas, uel alia uaria diuersorum grauaminum genera perturbant, inquietant, opprimunt uel molestant, seu ecclesias ipsas aut bona ipsarum uel ecclesiasticarum personarum, uel iura ipsarum uel occupando, inuadendo, uel de facto indebite auferendo, aut in ipsas.....

LADISLAI III. REGIS
CONSTITUTIO DE NUNDINIS BUDENSIBUS.

MCCLXXXVII.

E transumto anni 1367.

Ladizlaus dei gracia Hungarie, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex. omnibus Christi fidelibus tam presentibus, quam futuris, presentem litteram inspecturis, salutem in omnium saluatore.

Quoniam regale culmen fastigii celsioris mortali, licet diuinitus sumpmi potencia presignitum, supra metas gery

perelatum expergefactum, condicionis humane, parentes primi contagio libertatis a primeuo nature tanquam beneficio manumisse, liberioris arbitrii feliciore sint antidoto, ad utrumlibet perstipatum perangariata iusticia necessitatis exigencia reuera produxit inortum fortitudini uirtuali, ast ea ipsa iudicia legitime prepolente prout teste iubetur apostolo. omnis anima suis principibus esse subiecta, et ducibus missis ab illis, nam preessendi, quam imo proficiendi pocius subiectis patrocinio diuinitus ad instar super celestis usie, prime et ultime, suis ordinibus et obsequiis, limitate expediencius mancipatis, quibus nature artificio doccioris eciam in sensu carentibus uerisimilia paradigmata concluduntur, dum in apibus unus princeps statuitur, qui mero prorsus imperio preditus, ceteris sui generis antefertur, uerum lauciore fortune aplausu diuini libra consilii cum singulis non competeret generum singillatim cum inter principem presidentem, et subiectos esse debeat distinctio personalis, fulgencia regum euexit solia, certis commissa personis. realius suos in posteros propaganda, mirifico. gratificacionis sue modo, occulciore iudicio taliter in ipsorum regum, mundique principum diuersorum propaginem, peculiarius deriuata, quibus ipsis parciendam talentum iusticie autumpnandum fore cerditur certa lege, ut bonos et fideles producciorem ad spem demulceat rediuiua largicio premiorum; malos uero principalis dextre uibratilis suis compar demeritis ultor gladius persecatur. Hinc est, quod cum Budensium ciuium nostrorum uniuersitatis indefesse semper fidei uirore uiguerit illibate, regiis nostris obsequiis studiosius obsecundans quam in ipsis elegancius augere cupimus, et intendi, uotiuis ipsorum beneplacitis principalis gracie munificenciis occurentes:

(1) nundinas, seu ferias, ac congregacionem fori annui iniciandi per spacium octo dierum ante festum dedicacionis ecclesie beati Ioannis euangeliste, quod dominico

proximo subsequenti post festum natiuitatis uirginis gloriose assolet celebrari, nec non post ipsum dedicacionis diem, similiter ad octauam, concessimus perpetuo et irrefragabiliter obtinendam, annis singulis pacifice celebrandam, liberam omnino et exemptam a iurisdictione regni nostri Palatini; qui regia de gracia pro tempore fuerit illius in fascibus dignitatis, aliorumque omnium uniuersaliter nostrorum regni magnatum et baronum, et specialiter magistri Tauernicorum nostrorum, ac iudicis curie nostre imperiosa iurisdictione qualibet in eisdem sibi nundinis foro congregacione generali, seu feriis; prorsus per omnia denegata, ipsius tantummodo Budensis nostri castri iudicis potencie, seu iudicio reseruatam.

(2) De teulonio seu tributo tam per uias terrestres seu aquaticas accedentibus ultro citraque, uidelicet per uillam Pesth uenientibus, uel passim undecunque uel de quibuscunque regionibus, occurrerint ubicunque in territorio, seu metis ipsius ciuitatis ad congregacionem sepedictam, dictas nundinas, forum, generalem congregacionem seu ferias illas eis esse uolumus per omnia liberas, et ab omni exactione tributi exemptas, ut nichil ab ipsis penitus exigi ualeat census naui per quempiam uel imponi in ipsa duntaxat fori nundinalis area dum mercantur.

(3) Preterea uolumus, quod si que littere quouis modo habite et obtente contra eosdem ciues nostros et contra donacionem huiusmodi ipsis per nos factam per quempiam quouis tempore exhiberentur, casse sint et inanes et uiribus penitus cariture.

Ut igitur huius nostre donacionis series robur obtineat perpetue firmitatis, nec processu temporum ualeat retractari, presentes ipsis fidelibus ciuibus nostris concessimus litteras dupplicis sigilli nostri munimine roboratas.

Datum per manus discreti uiri, magistri Theodori, prepositi Scebeniensis, sancte Albensis ecclesie electi, aule

nostre uicecancellarii, dilecti et fidelis nostri. An. domini MCC. octuagesimo septimo, nono kalend. Iulii, indictione quinta decima, regni autem nostri anno sedecimo.

LADISLAI III. REGIS
DECLARATIO TELONII STRIGONIENSIS.
MCCLXXXVIII.

E manuscriptis Hevenessii.

Ladislaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex. uniuersis Christi fidelibus, tam regni nostri incolis, quam exteris, presentem paginam inspecturis, salutem in largitore salutis.

Quoniam celsitudini congruit, ius summum unicuique tribuere, ac omnia in statera iusticie cercius equa lance librare: profecto quos amor iusticie, nec non zelus debite racionis ad iusticie congruenciam non allicit, nec inducit, euagari non debet illicite sinere, regalis trutina equitatis, ne girouaga libertas effrenis licencie, debitum iusticie uiolandi pro uoto cuiuslibet ac interpretacione libitoria, iuris exigenciam minuat aut eneruet; quum priuilegia seu regales sanctiones pragmatice que sacrosanctis presertim ecclesiis a sanctis nostris progenitoribus, quibus plurima saluatoris clemencia est elargita, debeant esse mansura, et omnis prorsus diminucionis extranea seu aduersa. hinc est, quod quum nuper nobis apud Strigonium resipiscere preteritis nostris de transgressionibus, auctore domino, studio meliore pertractis, fratres nostri, sancte Strigoniensis ecclesie capitulum, nobis quedam sua priuilegia de tri-

buto seu Strigoniensi telonio, olim regio, demum uero pro remedio animarum felicium nostrorum antecessorum, in perpetuam ipsi Strigoniensi ecclesie eleemosynam elargito, exhibuerunt priuilegium clare memorie Emerici regis confirmatorium dicti tributi, pristine seu donacionis antique, primo dudum facte, ac reuerendissime memorie regis Bele, incliti aui nostri; cuius quidem priuilegii, quidam interpretacione maligna uiolare calumniosi uolentes continenciam et tenorem, quum, si et dicta sunt luce priuilegia clariora, solitam tamen dubitacionem conficte fucatam, ne ius nostre ecclesie ualeat taliter per emulos inumbrari, aliquos maliciose transeuntes circa Strigonium prope ciuitatem, licet extra studiose in fraudem telonii non soluendi eo tueri conantur, et defendere ab ipsa solucione tributi, quod sepe dicti uectigalis in fraudem detrectant ingredi ciuitatem, inde sibi solamen euasionis indebite postulantes, unde possunt merito in penam committere uectigalis; quoniam eo ipso, qui in euasione taliter telonii sepe dicti aliunde declinant, debent omnia perdere, que deferunt, secundum approbatam consuetudinem nostre patrie, nec non racione parili, ut credimus, cuiuslibet regionis, sicut eciam iurisperiti testantur. quare regalis sentencie deliberacione sancimus,

(1) quod siue per Dorogh transitum ante ciuitatem, Strigonium nolentes ingredi, faciant, siue per Banhida, siue per aliam quamcunque uiam, de Buda uel de Pest, aut uicinis abinde partibus commeantes, uersus Iaurinum transeuntes, nisi apud Strigonium telonio debite persoluato, in pena committant non soluti, prout expedit, uectigalis, et apud Iaurinum ualeant exigi, quod tenentur; pena condigna propter hoc, secundum morem nostre patrie, tales pro modo commissi seuerius percellendi.

(2) Uerum quia plerisque hominum peruersorum opere precium esse dignoscitur calumniari iusticiam, ac assueta-

dinis debito decencie niti ferimus refragari; contra eamdem s. Strigoniensem ecclesiam aliud eciam absurdum audiuimus, per aliquos petulancius attentari: quod quum mercatores omnes, de ultra Rhenum aut de Francia, conterminisque illis partibus, aut eciam de Ueneciis uenientes, debite pareant, tributi in omnibus suis mercibus, quas deportant, soli Uiennenses et Ratisbonenses et illis conuicini, omnes uidelicet cis-Rhenenses, in omnibus aliis exsolucionibus tributorum rerum quarumlibet, per ipsos in regnum Hungarie delatarum, se cum aliis mercatoribus, similiter a tributo Strigoniensis ecclesie teneri fatentur, excepto, quod de pannis coloratis, de quorum peciis quadraginta ab omnibus aliis mercatoribus sine caussacione aliqua soluitur marca una, uerum omnes predicti cis-Rhenenses de ligatura, uel Calla una, quotcunque contineat pecias, etsi centum, nituntur quadam presumpcione, ébété singulari, soluere tandummodo pondus unum, dum suas sarcinas, siue ballas pannorum talium apud ciuitatem Strigonii non disligant, nec resoluunt, quoniam disligantes easdem apud Strigonium similiter alii mercatores, de iisdem pannis coloratis soluere telonium nihil caussantur.

(2) Quin imo de rebus omnibus ipsis, quas et ipsi deferunt cis-Rhenenses, soluant una cum aliis tam de sidone, quam de pannis griseis, se tuscanicis uel panulatis, et omnibus prorsus eorum rebus incunctanter, et mercimoniis aliis per uectigal. quamobrem, quum regum et mundi principum, quorum est priuilegia concedere condere seu largiri, ad eosdem eciam prius concessorum priuilegiorum pertineat interpretari ambigua, decidere dubia seu nodosa; nos cum nostrorum consultissima deliberacione baronum et procerum — — decernimus decisione regia, in perpetuum obtentura, quod siue mercatores de Pesth, uel de Buda, illisque partibus conuicinis uersus Iaurinum transeuntes, ingrediantur ciuitatem Strigonii, nec ne,

ranseantue per Dorogh uel per Banhida, quod certo cercius fieri semper presumimus, dicti uectigalis in fraudem, s. Strigoniensi ecclesie tributum debitum, seu limitatum, ac si ipsam transirent per mediam ciuitatem Strigonii, soluere integre eciam apud Iaurinum modis omnibus teneantur, sicque fraudare conantes dictum tamen tributum uel telonium ne euadant, immo reuera pena propter hoc legitima, sicuti qui non soluto uectigali transierint, puniantur. Uolumus similiter tributarium s. Strigoniensis ecclesie locum suum et mansionem habere in telonio Iaurinensi.

(3) In secundo uero dubitacionis articulo, consimili tutissima nostrorum interpretacione baronum, ac regni nobilium optimatum, in exsolucione tributi s. Strigoniensi ecclesie debiti, quum racio dissimilitudinis nulla absit, parificamus per omnia mercatores Australes, Uiennenses, Ratisbonenses, Bauaros omnes, Saxones, Bohemos, Polones et omnes breuiter circa Rhenum in predicta solucione tributi, de pannis eciam coloratis, regie liberalitatis de munificencia speciali, redintegrantes siue supplentes uberiorem et cautelam, seu de nouo eciam concedentes, et ex nostra certa sciencia largientes, si quid forte deesset iuri ipsorum telonii seu tributi, modo per omnia uel solemnitate supradictis omnium nostrorum baronum de consilio et consensu ac approbacione, rata, firma et inuiolata interpretacione seu concessione presenti perpetuo permansura.

Ne autem uarietate et longinquitate temporum premisse rei series nostreque concessionis et declaracionis effectus ualeat aliquatenus immutari, quum priuilegia regum et principum, presertim erga sanctam matrem ecclesiam deceat esse mansura, nulloque unquam tempore uiolanda, in eternam rei memoriam et perpetuam, eisdem fidelibus nostris, capitulo Strigoniensi, presentem concessimus paginam, dupplicis sigilli nostri munimine robora-

tam. datum per manus uenerabilis Patris d. Thome, dei gracia episcopi uaciensis, aule nostre cancellarii, dilecti et fidelis nostri. anno dominice incarnacionis millesimo, ducentesimo, octuagesimo octauo. regni autem nostri anno sexto decimo. duodecimo kalendas Aprilis.

LADISLAI III. REGIS
MODERATIO TELONII STRIGONIENSIS.
MCCLXXXVIII.

E transumto Ludouici I. regis anno 1365.

Ladislaus rex omnia priuilegia capitulo Strigoniensi ac monialibus de insula a predecessoribus concessa, et queuis singula premissorum in litteris suis priuilegialibus sub anno MCCXXXX.VIII. confectis, acceptando, ratificando, confirmando, ipsum tributum moderandum, quantum uidelicet, de quibuslibet rebus ad ipsum tributum deferendis exigi deberet, atque tali disposicione presentibus infra uerbaliter inserta duxit limitandum.

(1) Quod mercator de Ruscia ueniens unius equi, siue in Pesth, siue Strigonii siue alibi descendat, et similiter hi qui pelles deferunt caras, soluent dimidiam marcam.

(2) Item si de Bulgan, quod dicitur Marchia, ciues Strigonienses portent uinum, siue in carinis, siue in curribus, de qualibet tunella soluant duo pondera.

(3) Item si homines de Marchia uinum deferant Strigonium, de uiginti tunellis soluant unam marcam.

(4) Item si uina uenalia de quocunque locorum Strigonium deferant, siue de Simigho, siue de Zala, siue de

Sabaro, siue de Pesth, in carina siue in curru, de qualibet tunella unum pondus debetur.

(5) Item de qualibet carina de uino Bulgan tributariis datur ultra tributum supradictum unus cubulus de uino.

(6) Item si uina de Marchia, uel aliis locis delata Strigonium aliqui extranei, siue in aurifodinam, siue in Bohemiam, quocunque extra regnum, de qualibet tunella debet emtor unum pondus, antequam Danubium transeat.

(7) Item si panni ueniunt, de quadraginta peciis pannorum coloratorum una marca debetur.

(8) Item si mercatores Veneti ueniant centesimam partem omnium mercimoniorum suorum soluunt.

(9) Item de pannis frustannicis, marcam ualentibus: datur dimidium pondus, uel si fuerit maioris pretii soluetur iuxta eorum ualorem.

(10) Item de pellibus sgnocionum duorum millium, sex pondera soluuntur.

(11) Item singule mansiones fabrorum, sutorum et aliorum operariorum, qui suas fenestras habent, in quolibet sabbatho dimidium frisaticum debent.

(12) Item pistores de uico, seu aliubi quolibet sabbatho unum panem dant.

(13) Item tabernary uini et cereuisie, cuiuscunque nacionis sint, et ubicunque in ciuitate Strigoniensi uendant talia, quolibet mense tria pondera dant.

(14) Item de quolibet boue pastuali, — — — marcarum emptor debet unum frisaticum; similiter de porcis, item de quinque ouibus emptor debet unum frisaticum.

(15) Item a pascha usque ad festum s. Ioannis baptiste de decem agnis unum frisaticum, deinceps soluitur sicut de ouibus.

(16) Item de duobus pannis criseis unum pondus, similiter de ceconia tela, item de minutis, utpote caseis et fructibus, centesima pars datur.

(17) Item de singulis carinis oneratis, que de aliis terris descendunt, iustum et solitum tributum datur, ut supra dictum esset, secundum qualitatem rerum delatarum.

(18) Item de quolibet curru frumenti, siliginis, hordei, avene, brasy uel eciam piscium paruulorum, qui quotidie deferri consueuerunt ad forum, unum pondus datur, exceptis seruis regis, qui dimidium tributum soluunt.

(19) Item de singulis uzonibus recentibus et salsis, unum pondus; item de duobus sturionibus sicut de uno uzone, item de quolibet uiuario paruorum piscium uel maiorum, uel in uiuariis, uulgariter barka uocatis, soliti sunt portari ad forum, duo meliores pisces uiuary persoluuntur.

(20) Item de curru masa uocato, salsorum piscium minorum, uel luciorum maiorum, et pasardorum unciam dant.

(21) Item de masa uel centenario kupri, duos frisaticos, item de masa uel centenario plumbi unum frisaticum. de omnibus autem minutis fori, sicut de lino, de canapo, ollis, scutellis, scyphis, et aliis datur secundum consuetudinem approbatam.

(22) Item marcellary singulis diebus carnium dant dimidium frisaticum, exceptis qui carnes bouinas uendunt, qui dimidiam cutem bouum, quos occidunt, soluunt.

(23) Item si aliquis centum cutes emtas siue in curru, seu nauigio de Strigonio deferat, dat unciam, tantundem datur de pellibus caprinis et ouinis.

(24) Item de una masa cere, que continet ducentas uiginti marcas in pondere, uiginti frisatici dantur, siue quatuor pondera.

(25) Item de centum zuanis salium, de quocunque locorum quomodocunque Strigonium deferantur, zuanus salis datur.

(26) Item si carine de partibus inferioribus ascendant, continentes cutes boum, de centum cutibus soluitur uncia.

(27) Item de singulis nauibus uectualium de Torauagdo datur unus frisaticus.

(28) Item mercatores, qui in loco fori sunt cum suis tentoriis, singuli soluunt in omni sabbatho unum frisaticum.

(29) Item de singulis curribus transeuntibus cum suis mercimoniis ad confinium, soluitur iustum tributum.

(30) Similiter et de magnis bobus, si pellantur extra forum, uel in curru ad confinium, de quolibet boue emptor dat duos frisaticos.

(31) Item de curribus cum transeuntibus mercimoniis, de Mossonibus Pesth, et de Pesth in Mossonium, qui non intrant ciuitatem Strigoniensem, in uilla Thath integrum soluitur tributum.

(32) Item uenditores uestium antiquarum, pileorum, chirothecarum et cerdones, quolibet sabbatho dant unum frisaticum.

(33) Item uenditor seruorum et ancillarum dat quadraginta denarios usuales.

(34) De singulis oneribus cumulorum, que bytel uocantur, et de senna soluitur unus frisaticus.

LADISLAI III. REGIS
LIBERTAS CIVIUM DE GYLNICHBANYA.
MCCXC.

E schedis Wagnerianis.

Ladislaus, dei gracia rex. Regali incumbit maiestati suos subditos turbacionibus et necessitatibus oppressos ab ipsa turbacione et necessitate misericorditer releuare, et eosdem in iuribus eorum indemniter conseruare. Deinde ad uniuersorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod iudex, iurati et uniuersi ciues de Gylnichbania fideles nostri, ad nostram accedentes presenciam, a nobis humiliter supplicando postularunt, ut nos eosdem in libertatibus eorum, ipsis per Belam auum nostrum charissimum, et per Stephanum patrem, reges illustrium recordacionum mediantibus priuilegiis eorumdem que nobis pluries per eosdem exhibita exstiterunt, datis et concessis, simul cum possessionibus, terris, auri fodinis, argenti fodinis, ferri fodinis, aquis et syluis, cum omnibus utilitatibus earumdem, de benignitate regia tueri, et conseruare dignaremur. nos itaque, cui ex officio debiti et suscepti regiminis nostri, subditos nostros oppressos, turbacionibus et iuribus eorum, pro fidelitate nobis debita et impensa, priuatos releuare tenemur ipsi iudici, iuratis et uniuersis ciuibus de Gelniczbanya, illam et eandem in omnibus libertatem, qua temporibus d. Bele, aui nostri charissimi, et postmodum eciam patris nostri. regum illustrium recordacionum, usi sunt et gauisi, de benignitate

regia duximus concedendam, ita uidelicet: quod iidem specialiter ista prerogatiua libertatis a nostra maiestate indulta debeant congaudere.

(1) Ut omnes causas in medio ipsorum et populorum infra metas eorumdem constitutorum, emergentes, sanquinis uidelicet furti et latrocinii, iudicare possint, et finem debitum imponere, ut postulat ordo iuris.

(2) Concessimus eciam eisdem, ut nullus forum in uillis intra metas dicte ciuitatis constitutis in preiudicium ipsius ciuitatis habere possit, sed omnes populi infra metas eorumdem conclusi, ad forum dicte ciuitatis de Gelnizbanya cum mercibus eorum ire, et accedere teneantur, ibique res suas uenumdacioni exponere.

(3) Statuimus eciam, ut piscatores in aquis, structores carbonum, et incisores lignorum in siluis, seu aliqui alii laboratores de ciuitate Gelnichbanya infra terminos, seu metas eorum, libere et absque inquietacione quorumlibet laborare ualeant, et sua officia exercere.

Ut igitur huius gracie seu innouacionis series ipsis ciuibus de Gylnichbania per nos facte, robur obtineat perpetue firmitatis, nec per quempiam successu temporis in irritum ualeat reuocari, presentes concessimus litteras, dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. datum per manus discreti uiri, magistri Theodori, electi Uaciensis, prepositi Albensis et Scepeniensis aule nostre uicecancellarii, dilecti et fidelis nostri. anno Domini MCCXC. regni autem nostri anno XXIII.

ANDREÆ REGIS III. DECRETUM.

MCCXCI.

E transumto coevo capituli Albensis in Transylvania.

Andreas dei gracia Hungarie, Dalmacie, Crouuacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque rex. omnibus Christi fidelibus, presentes litteras inspecturis, salutem in omnium saluatore.

Ad uniuersorum, tam presencium quam futurorum noticiam harum serie uolumus peruenire, quod cum anno domini millesimo — .. e, et consensu uenerabilium patrum archiepiscoporum, episcoporum, baronum, procerum, et omnium nobilium regni nostri apud Albam, in loco nostro catedrali, annuente domino fuissemus coronati, et in regni gubernaculum successissemus iure, et ordine geniture, habita congregacione generali, in uo — — nobilium regni nostri, a sanctis progenitoribus nostris data et concessa, que in articulis exprimuntur infrascriptis, inuiolabiliter firma fide promisimus obseruare.

(1) Primum uidelicet: quod omnia iura ecclesiarum, in possessionibus, foris, tributis et aliis, que ecclesiis a sanctis uel aliis regibus, progenitoribus nostris, siue aliis incolis regni nostri data sunt et concessa, conseruamus. et omnia integraliter restituemus ab ecclesiis occupata.

(2) Item quod nullum comitatum regni nostri ecclesiis, uel earum prelatis, baronibus, uel nobilibus, alicui uel aliquibus in perpetuum conferemus. imitantes in hoc sanc-

torum progenitorum nostrorum, regum illustrium Hungarie, uestigia, pro modulo et pro posse.

(3) Promittimus eciam, quod dignitates seu comitatus regni nostri, seu castra, aduenis uel hospitibus, aut paganis uel ignobilibus, et his, qui in regno nostro nocumenta frequenter intulerunt, nullatenus conferemus, nec consiliis nostris interesse permittemus.

(4) Nec eciam barones suas dignitates in certa quantitate pecunie, locare permittemus. nec uices suas, siue iudicatus in parochia conferri ignobilibus paciemur.

(5) Item nullus sine testimonio capitulorum uel conuentuum, ad presenciam curialium comitum uel uicecomitum citari possit. nec comes iudicium recipere aut iudicare presumat, absque quatuor nobilibus nominatis.

(6) Item donaciones, que per dominos Belam et Stephanum, inclytos reges Hungarie, felicium recordacionum, — — . . . nullatenus reuocamus, cum iidem mediante iusticia felici successu et prospero regnum Hungarie gubernauerint, et salubri semper consilio fuerint usi.

(7) Nec hoc pretermittimus, quod quia dominus rex Ladislaus, frater noster, in etate tenera fuerat constitutus, et regnum Hungarie Tartari — . . . frequenter inuaserunt, et quorundam nobilium regni nostri patres et fratres, in defensione regni sunt interempti, donaciones pro eorum seruiciis meritoriis per eundem regem Ladislaum iuste et legitime factas, iuxta consilium archiepiscoporum, episcoporum et consiliariorum nostrorum per regnum deputatorum, conseruari faciemus.

(8) Collaciones uero indebitas et iniustas, tempore ipsius Ladislai regis factas, reuocabimus consilio eorundem. hoc tamen expresso, quod collaciones ab ipso rege Ladislao factas, usque festum sancti regis Stephani nunc uenturum, apud eosdem, quibus sunt collate, faciemus conseruari. exceptis iuribus regalibus, uidelicet castris,

prediis, ciuitatibus, hospitibus et uduornicis, que nobis omnes et singuli, si qui habent uel tenuerunt, reddere et restituere promiserunt et eciam assumserunt.

(9) Item Palatinum, magistrum Tauernicorum nostrorum, uice-cancellarium, iudicem curie, ex consilio nobilium regni nostri, ex antiqua consuetudine regni nostri faciemus. saluo tamen iure Albensis ecclesie, et priuilegio, quod Albensis ecclesia nostra in ipsa uice-cancellaria habet et habere dignoscitur ab antiquo.

(10) Item si aliqua potencia extrinseca ad inuadendum regnum nostrum uenerit, aut aliqua pars uel prouincia regni ab obediencia regia uel potencia regni se abstraxerit aut alienare aliquo modo uoluerit, nobiles regni nostri, et Saxones Transyluani, predia tenentes, et more nobilium se gerentes, nobis astare et adiuuare nos tenebuntur. hoc eciam expresso: quod nobiles regni nostri et predicti Saxones regni Transyluanie, cum nullo baronum nostrorum coacti uel inuiti, super factis et negociis regni nostri intrinsecis uel extrinsecis, absque nobis sine pecunia ire teneantur.

(11) Item nullam collectam, uel acones aut descensus super ipsos nobiles et Saxones prenotatos, ac populos eorundem recipi faciemus. nec eciam occasione lucri camere nostre, uel aliqua alia racione, exigi uolumus ab eisdem.

(12) Et, si monetam nostram in regno nostro currere facere uoluerimus, de qualibet prouincia quatuor boni homines, cum comite parochiali, ipsam monetam nostram currere faciant et quambiri.

(13) Nul . . . . . ipsi monete nostre in regno nostro fieri permittemus.

(14) Item si Palatinus in regno nostro ad faciendum iudicium processerit, in qualibet prouincia quatuor iudices deputati cum comite parochiali ire et iudicare debeant. et ius quod comitem parochialem in iudiciis contingit, ipsi

comiti debeat plene . . . et persolui. si uero Palatinus sinistre procedere intenderet, iidem quatuor homines cum comite ipsorum prohibere, et nobis intimare teneantur.

(15) Item statuimus, quod populos archiepiscoporum, episcoporum et ecclesiarum priuilegitarum, in causis temporalibus nullus iudicum preter personam nostram possit iudicare, et quod nullus iudicum archiepiscoporum nobiles regni nostri, et populos eorundem, possit iudicare. hospites eciam liberarum uillarum, regis scilicet et regine, nobiles regni nostri non possint iudicare.

(16) Item impignoraciones super transeuntes incolarum regni nostri, penitus uolumus et fecimus aboleri.

(17) Item omnia tributa, tempore Ladislai regis facta, omnino exstirpentur.

(18) Uolumus eciam quod in locis antiquorum tributorum populi nobilium et ecclesiarum tributa non persoluant. sed tantummodo mercatores de aliis regnis ad alia regna transeuntes.

(19) Preterea turres siue castra super ecclesiis edificata, aut locis aliis pro nocumento constructa, penitus euellantur.

(20) Item possessiones, fora et castra quorumcunque per uiolentos detentores indebite occupata restituantur et reddantur.

(21) Item decimas frugum secundum decreta sanctorum regum soluere teneantur, ita uidelicet, quod quilibet nobilis siue Saxo de numero nobilium, de quolibet aratro unum fertonem pro decimis soluant. populi autem ipsorum nobilium, et Saxonum de singulis capeciis soluant unum pondus. et decimator non per se, sed cum homine parochialis comitis dicare debeat. usque festum s. Martini super iuramento populorum nobilium ipse decime persoluantur. post ipsum autem festum credatur decimatorum iuramento. item decime uini in autumpno in specie recipiantur cum

musto. si uero tempus noui uini siue musti in exigendo distulerint, extimacio siue precium soluatur pro musto.

(22) Item priuilegium quod cum Bulla aurea consignatum fuerit, a cancellario decem marcis argenti redimi debeat, aut marca auri. si uero sub pendenti sigillo cereo fuerit, a uicecancellario marca argenti, et a notario fertone redimatur.

(23) Item .... es, aut ..... duo pond ..... et dedi ... unum pondus ..... uidelicet ....

(24) ..... iudicabimus, ordine iudiciario causas litigancium cognoscentes.

(25) Item in quolibet anno semel omnes barones et nobiles regni nostri Albam ad congregacionem debeant conuenire ... de statu regni. et inquirentes de factis baronum, qualiter quilibet ipsorum in suis comitatibus processerint et conseruauerint iura regni. et secundum sua merita premia, et demerita uel commissa supplicia, ipso die secundum iudicium nostrum, et consiliariorum nostrorum recepturi.

(26) Item concessimus, quod si quis nobilium siue Saxonum predictorum sine herede decesserit, possessiones sic decedentis hereditarie, emticie et eciam aquisite, nullatenus debeant confiscari. sed idem decedens propinquis suis, aut alicui propinquorum, seu uxori, uel eciam ecclesiis pro remedio anime sue legare in morte, et conferre in uita cuicunque uoluerit liberam habeat facultatem.

(27) Item si qui nobiles aut alii nocumenta intulerint, si clemencia regia personis eorum parcere oporteat uel debeamus, querulantibus tamen iusticiam omnimodam faciemus.

(28) Item si quis malefactorum coram aliquo iudice conuictus auffugerit, nullatenus ipsum recipiemus nec eciam defensamus. et similiter per barones nolumus nec paciemur defensari.

(29) Preterea si aliqui ex ipsis regnicolis nostris ui uel metu possessiones suas uendiderunt, aut non uendentes instrumenta uendicionis contra se prepotentibus confici coacti fecerunt, si huiusmodi uiolencia siue metus legitime et racionabiliter constiterit, instrumenta taliter confecta sint uiribus uacuata, et penitus red ....

(30) Item in possessiones nobilium seu Saxonum predictorum non possit introire extraneus racione dotis, aut racione quarte filiabus debite. sed heredes decedencium, uel proximiores de generacione sua, redimant eas secundum extimacionem iustam, regni nostri consuetam.

(31) Item comes parochialis .... regni nostri, ad predictos Saxones Transyluanos non nisi in tribus articulis, uidelicet: furto uel latrocinio facto decimarum et monetarum, debeat iudicare. item si aliquis ipsorum per comitem parochialem se senserit aggrauatum, ipsam causam reuocet, et reducat nostri iudicii ad — — — — — —

(32) ..... cum centum hominibus, infra uel supra iurauerint, nonnisi quadraginta denarios purgacionis soluere teneantur.

(33) Item si quis nobilium uel Saxonum prefatorum, possessiones suas pro suis excessibus et maleficiis amittere debeat uel contingat, cognati ipsi propinqui possessionem ipsam redimendi habeant facultatem, ne in possessionibus propriis et auitis extraneum doleant possessorem.

(34) Item uolumus, quod Uaiuoda Transyluanus nobiles siue Saxones memoratos partis Transyluanie, et banus tocius Sclauonie super nobiles partis Drauane nullatenus descendere possint, nec ipsos in aliquo indebite aggrauare.

Ut igitur hec nostra ordinacio, imo pocius a predecessoribus nostris regibus illustribus Hungarie primitus obseruata, robur obtineat perpetue firmitatis, presentes concessimus literas, duplicis sigilli nostri munimine roboratas.

datum per manus discreti uiri magistri Theodori, Albensis ecclesie nostre prepositi, aule nostre uicecancellarii, dilecti et fidelis nostri. anno domini MCC. nonagesimo primo, octauo kalendas marcii regni autem nostri primo anno.

ANDREÆ III. REGIS
LIBERTAS HOSPITUM DE THORDA.
MCCXCI.

E manuscriptis Cornidesii.

Andreas dei gracia etc. rex. Regiam decet maiestatem numerum hospitum sibi famulancium multiplicare, et paupertatibus et inopie ipsorum subuenire, ut iidem a necessitatibus ipsorum alleuiati, naturali domino feruencius et expedicius ualeant deseruire. proinde ad uniuersorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod hospitibus nostris de Thorda . . . Akna, qui omnia instrumenta ipsorum super statu libertatis eorum confecta in castro uia Bain, tempore Tartarorum . . . . . eosdem Tartaros dixerunt igne esse consumta et eciam concremata, quod et nobis per multos barones et nobiles regni nostri constitit euidenter, illam et eandem concessimus libertatem, qua hospites nostri de Deesakna, Zek et Kolos gratulantur, statuentes specialiter:

(1) Ut nullus uoyuoda noster pro tempore constitutus, ac pariochialis comes de Thorda, uel officiales eorundem, in ullo articulo caussarum possint uel debeant eos iudicare, preter personam nostre maiestatis uel magistrum Tauernicorum nostrorum, qui pro tempore fuerit constitutus. nec

residenciam racione iudicatus, nec iudicium inter eosdem facere uel exercere presumat ac eciam descensus uiolentos, sed per uillicum eorundem communiter .... debeant iudicari.

(2) Concessimus eciam eisdem fora, feria sexta ab hora pomeridiana usque horam uespertinam die sabbathi, absque ullo tributo omnibus ipsum forum causa mercandi intrantibus celebrandum.

(3) Statuimus eciam quod hospites nostri ibidem in Thorda domicilia habentes, de mercibus eorum nullum tributum soluant ..... eandem formam status libertatis aliorum hospitum nostrorum eciam eisdem de regia ....

(4) .... ut ante festum beati Martini octo diebus proxime precedentibus iidem sales in salis fodinis nostris liberam exercendi et uendendi habeant facultatem.

(5) Insuper eciam quasdam terras nostras, Külked, Wdwarnukteluk .... et siluam nostram Kiralyerdeje uocatam, ultra Tordahasadekia existentem, pro eo ut numerus eorum augeri possit, relinquimus eisdem possidendam, prout antea ab antiquo dinoscebantur possedisse.

Datum anno domini millesimo CC nonagesimo primo, regni autem nostri anno primo.

ANDREÆ III. REGIS
LIBERTAS HOSPITUM DE POSON.
MCCXCI.

E transumto Matthiæ I. regis ann. 1464.

Andreas dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanie Bulgarieque rex, omnibus Christi fidelibus presentes literas inspecturis, salutem in omnium saluatore. Regie sublimitatis immensitas, cuius est in subiectorum et populorum multitudine gloriari, solet suorum formam subiectorum libertatis, et solucionum numerum misericorditer moderari, ut numerus populorum eius augeatur, fruencium certa lege. proinde ad uniuersorum noticiam harum serie uolumus peruenire, quod cum hospites nostri de ciuitate Posoniensi, per seuiciam seu furiam Theutonicorum, tempore guerre inter dominum regem Ladislaum, fratrem nostrum patruelem et regem Boemorum habite, nec non per Albertum ducem Austrie et Stirie dispersi extitissent, et in combustione domorum suarum, ac in amissione aliorum bonorum suorum magnum damnum perpessi fuissent, ipsorum congregacioni inuigilare cupientes, ut congregati ualeant commorari, et congregandi securitatem omnimodam habeant et ueniendi, hanc ex regia liberalitate et munificencia statuimus libertatem et graciam duximus faciendam.

(1) Quod uillicum seu iudicem inter se, a festo sancti Georgii martiris usque ad anni reuolucionem duraturum, eligant de communi, qui omnes causas ipsorum, et eciam

extraneorum exortas inter ipsos, uel intra metas ciuitatis, more hospitum aliorum cum decem iuratis conciuibus suis possit iudicare.

(2) Ordinamus eciam et concessimus, ut de uineis ipsorum antiquis et de nouo plantatis uel plantandis, nullum debitum, scilicet nec akones, qui uulgariter chibriones dicuntur, uel aliam aliquam exactionem ullo unquam tempore dare et soluere teneantur.

(3) Preterea concessimus, quod racione silue uel lignorum, aut quorumlibet edificiorum, comiti uenatorum pro tempore constituto nullum debitum, et nullam solucionem dare debeant.

(4) Concessimus insuper eisdem portum in Challowkwz transeundi infra ciuitatem Posoniensem, in capite fluuii Challowo existentem, ubi terra ab utraque parte ipsius fluuii pertinet ad eandem ciuitatem nostram, cum utilitate ipsius portus perpetuo possidendum, ita quod naues et nautas in ipso fluuio pro suo commodo, quos uoluerint, conseruandi et tenendi liberam habebunt facultatem.

(5) Statuimus insuper, ut cum iidem hospites nostri cum suis mercibus uel curribus ubicunque in regno nostro causa mercandi uoluerint proficisci, nec de mercibus, nec de equis uel personis eorum cum mercibus et sine mercibus euntibus et redeuntibus nullum tributum, nullamque exactionem, uidelicet in portu Posoniensi, si uersus Haimburgam, in portu Chalow, in Zeuleus, in transitu fluuii Morauua, et in aliis locis quibuscunque in comitatu Posoniensi, et alias ubi tributum exigi consueuit, soluere teneantur.

(6) Item uolumus ut de hominibus ad ciuitatem eandem causa commorandi de quibuslibet uillis et ciuitatibus uenientibus uel se transferentibus nullum tributum in eundo exigatur.

(7) Item si aliquis de ipsa ciuitate, aut de suburbiis nocumentum inferret in prouincia, et posset uenire super metas terre ciuitatis eorundem, ipsum iudicabit iudex et duodecim iurati ciuitatis, cum actor forum rei sequi debeat, nisi causa exorta fuerit in eadem ciuitate, uel in suburbio ciuitatis ipsius.

(8) Item statuimus, quod contra ipsos ciues nostros et ad eos pertinentes, testes extranei uniuersaliter produci non possint, nisi duo uel tres intersint de eadem ciuitate, uel de aliis ciuitatibus seu uillis, eandem habentibus libertatem.

(9) Item si qui excessus emerserint uel inciderint de eadem ciuitate, uel pertinenciis eiusdem ciuitatis, continuus iudex et iurati secundum morem consuetum et solitum iusticiam faciet conquerenti, prout consuetudo ciuitatis exigit eorundem.

(10) Si uero iudex ipsorum, iurati uel ciues in reddenda iusticia defecerint, non partes, sed iudex et iurati, si inter se ad faciendam iusticiam partibus conuenire non poterunt, ad nostram presenciam euocetur.

(11) Item si aliquis de quacunque uilla in ciuitatem Posoniensem causa commorandi uenire uoluerit, dominus ipsius uille seu possessionis, ipsum impedire non presumat, sed cum omnibus bonis suis libere abire permittat, iusto tamen et consueto terragio domino terre persoluto.

(12) Item Iudei in ipsa ciuitate constituti habeant eandem libertatem quam et ipsi ciues, saluo iure archiepiscopi Strigoniensis et prepositi Posoniensis remanente.

(13) Item monetarios nostros precedat homo iudicis de ipsa ciuitate, qui eam faciet celeriter acceptari, exclusa potestate comitis parochiani de ipsa ciuitate nostra.

(14) Item decimas frugum persoluant more Theotonico, prout hospites aliarum ciuitatum dare et soluere consueuerunt, sicut eciam hactenus fuit obseruatum.

(15) Si qui autem in eadem ciuitate residere uoluerint, aut in suburbiis ciuitatis permaneant, et fruantur eadem libertate, quali ciues de eadem ciuitate perfruuntur. sed si qui in eadem ciuitate residentes, in pertinenciis ciuitatis se de libertate ciuium nostrorum predictorum pretextu seruicii uel occasionis alterius alicuius eximere uel retrahere uoluerint, iudex et iurati ac ciues ipsos excludendi habeant facultatem, preter canonicos et sacerdotes in ipsa ciuitate existentes.

(16) Item piscatores eandem habeant libertatem, qua et primitus sunt gauisi, ita uidelicet, quod de captis usonibus et piscibus sub glacie comprehensis, et aliis piscibus captis in reti quod protenditur in profundum, terciam partem comiti Posoniensi persoluant piscatores in eadem ciuitate constituti. nihilominus iidem piscatores singuli et uniuersi cum ciuibus Posoniensibus in aliis exactionibus et libertatibus congaudebunt.

(17) Item nec per nos, nec per barones nostros super ipsos hospites nostros de Posonio, nec super ad eos pertinentes descensum uolumus fieri uiolentum.

(18) Item uolumus quod iidem hospites nostri et ad eos pertinentes iudicio palatinatus in nullo astare teneantur.

(19) Item concessimus quod omnes mercatores pannorum, boum, piscium, de quibuscunque regnis uel locis ad ipsam ciuitatem uenientes, descendant in eadem, mercimonia sua libere et secure uendicioni exponendo.

Et hec omnia propter augmentum hospitum nostrorum predictorum, et municionem ipsius ciuitatis nostre, de gracia concessimus speciali. in cuius rei memoriam perpetuamque firmitatem presentes concessimus literas, duplicis sigilli nostri munimine roboratas. datum per manus discreti uiri magistri Theodori prepositi ecclesie Albensis, aule nostre

uicecancellarii, dilecti et fidelis nostri. anno domini MCC nonagesimo primo, IV. non. Decembris, indictione quarta, regni autem nostri anno secundo.

ANDREÆ III. REGIS
LIBERTAS METALLURGORUM DE TURUTZKO.

MCCXCI.

E transumto anni 1323.

Andreas dei gracia rex. Regiam decet maiestatem numerum fidelium subditorum ampliare, eorumque commodis et mutue tranquilitati prospicere, ut sic illi quoque naturali eorum domino feruencius ualeant deseruire. ad perpetuam ideo rei memoriam, harum serie uolumus peruenire: quod libere uille Turutzko uocate, prope fluuium Oronyos, inter prealtas petras et alpes in partibus Ultrasiluanis site, hospitum magistri, et ferri fodinarum ibidem existencium cultores, utpote ferri fabri, urburarii, carbonarii et laboratores, querulose exposuerunt; quod superioribus temporibus omnia litteralia instrumenta ipsorum, super uocacione eorum ex Austria, iuribusque et indultibus eorum, dum easdem terras incolere ceperunt benigne collatis, simul cum status eorum declaracione confecta emanata, per Tartaros, ut dixerunt, ignis uoragine fuisse consumpta ac eciam concremata. que nobis per multos barones et nobiles regni nostri constiterunt euidenter, supplicaruntque nobis pro renouacione eorumdem prece subiectiua, et quia regiam deceat coronam fidelium iustis precibus locum dare, nos quoque precibus eorum miseracionis uisceribus moti, ut ea, que in tempore fuerint litte-

rarum monumentis ab obliuione uindicentur: quum tandem aliquando regnum hoc nostrum post tot clades, et desolaciones, desideratam pacem nactum, regnicole quoque uberioris pacis et commodorum incrementum consequi ualeant, nos eciam ex regie clemencie habundancia in eam potissimum curam incumbimus, ut sub dulci alme pacis umbra, omnes ordinis regni nostri, grauissimis belli motibus attritos, paulatim restaurari, et renouari faciamus, ut taliter idem regnum nostrum, in pristinum suum nitorem, quo id fieri potest, reponatur; et quia inter omnia boni publici restaurandi monumenta, ex minerarum quoque, in uisceribus terre plerumque herencium, diligenciori cultura uberiora commoda et emolumenta in uniuersos ciues dimanare animaduertamus: proinde

(1) iisdem hospitibus Austriacis, pro ferri fabricis e loco Eisen-Uurczel cum affidacione in has terras Ultrasiluanas uocatis, et huc illocatis, eorumque successoribus, eamdem libertatem et eadem iura, ad que ab inicio uocati fuerunt, renouantes, et augentes, nos quoque concedimus, ut hospites magistrique, et ferri fabri, eorumque collaborantes, ferri fusores et cultores, ac omnes laboratores in eorum societatem hinc inde condescensuri, iisdem iuribus libertatibus, et indultibus, ad que uocati fuerint, de hinc quoque uti, frui et gaudere, ad instar reliquorum, in dicta Austria superiori constitutorum metallurgorum et ferri fabrorum uti, frui et gaudere possint in perpetuum;

(2) censum quoque ad instar illarum soluere non recusent, eaque perpetua gaudeant iurisdictionis libertate, ut proprium semper habeant magistratum et iudicem, senioresque e gremio illorum per libera uota eligendos et constituendos; coram quibus et nullibi alibi, preter nostre maiestatis, aut iudicis Tauernicorum consuetum iuri stare teneantur, nec iudicari possint.

(3) Insuper singulis hebdomadis concedimus illis in die sabbathi liberum forum annonarium, usum quoque syluarum, aquarum et pascuorum pro equis clitellariis ad distanciam unius raste uersus occidentem iisdem conferimus.

In euius rei memoriam ut status libertatis dictorum hospitum nostrorum, per nos quoque innouatus et auctus, firmus permanere queat in perpetuum, processuque temporis nulla in parte retractari ualeat, presentes concessimus litteras dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. datum per manus discreti uiri, magistri Theodori, ecclesie Albensis prepositi, aule nostre uicecancellarii, dilecti et fidelis nostri. A.D.M.CCXCI. regni autem nostri ann. I.

ANDREÆ III. REGIS
ABOLITIO TRIBUTORUM.
MCCXCVII.

E manuscriptis Fejervárii.

Andreas dei gracia etc. rex. ad uniuersorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire.

(1) Quod nos pro formacione status et commodo ac utilitate regni nostri connisi, tributa de nouo instituta, que loco inconsueto exiguntur, duximus omnino abolenda, uolentesque de cetero, ut uniuersi mercatores per regnum nostrum transeuntes, libere et absque aliqua indecencia transire ualeant, et nullus eisdem inferre presumat nocumentum.

(2) Preterea tributarii, ubique locorum in regno nostro constituti, tributum indebitum et iniustum super eosdem

mercatores exigere nullatenus presumant, sed iustum tributum, qualiter tempore domini Bele regis felicis recordacionis, aui nostri carissimi exigi consueuerat, more debito et consueto exigant super ipsos. scientes, quod si qui secus fecerint, et eosdem mercatores racione tributi indebiti molestarent, ex tunc eosdem in rebus et personis suis faceremus condemnari, et super possessiones eorundem, in quibus falsum tributum exigeretur, ad manus nostras deuolui faceremus.

(3) Uolumus eciam quod si qui ex nostris baronibus in suis possessionibus tributum potencialiter exigi facerent, suam dignitatem amittere possint eo ipso.

In cuius rei memoriam perpetuamque firmitatem presentes concessimus literas, duplicis sigilli nostri munimine roboratas. datum per manus discreti uiri magistri Gregorii, Albensis ecclesie prepositi, aule nostre uicecancellarii, dilecti et fidelis nostri. anno domini MCCXCVII. regni autem nostri anno octauo.

CONSTITUTIONES

PER PRELATOS ET NOBILES REGNI HUNGARIÆ APUD ECCLESIAM FRATRUM MINORUM IN PEST ANNO MCCXCVIII FACTÆ.

E transumto Uladislai I. regis.

Constituciones per prelatos et barones ac nobiles regni hungarie, tempore coronacionis Andree regis, dicti de Ueneciis, facte, sequuntur in hunc modum:

Tempore coronacionis domini Andree regis illustris Hungarie etsi non omnes condiciones seu libertates regni Hungarie ab antiquo obseruate, quedam tamen ex ipsis libertatibus et condicionibus notabiles et plus necessarie,

publico scripto, sigillo eiusdem domini regis uallato fuerint declarate. que, quia iniquis hominibus et cupiditate excecatis prauitatibus interuenientibus minime fuerunt obseruate, et ex trepiditate domini regis fuere penitus et postposite, regnum Hungarie in omni sui parte fluctuare fecit, et per astus uarios ac plurimos, ex potencia baronum et aliorum potentum prouenientibus in tantum anullari, ut ecclesie et nobiles, alii eciam regnicole, in suis rebus et facultatibus fere ad extremam exinanicionem deuenerint. quo uiso idem dominus Andreas, spiritu sancto suggerente, aures aperuit sue clemencie, et fidelibus consiliis aquiescens, congregacionem indixit generalem: ad hec, ut per prelatos, et uiros ecclesiasticos, nec non et nobiles huius regni, exclusis quibuscunque baronibus, prout moris est, huic regno casuro, et per nimios astus diminuto, salubriori consilio, quo posset, subueniretur, iniquitatibus peruersorum studio solerciori, obuians. nos itaque: Ioannes dei gracia archiepiscopus Colociensis aule domini regis cancellarius, Petrus Transyluaniensis Andreas Agriensis, Thomas Bosnyensis, Benedictus Uesprimiensis Quinqueecclesiensis. Paulus, per procuratores suos solempnes, Haab Uaciensis, Theodorus Iauriensis, Michael Zagrabiensis Emericus Uaradiensis, Anthonius Chanadiensis. ecclesiarum episcopi, apud ecclesiam fratrum Minorum in Pesth, anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo octauo, in festiuitate beati Dominici confessoris, cum omnibus nobilibus Hungarie, singulis Saxonibus et Comanis, in unum conuenientes, accepta auctoritate ex consensu domini regis et baronum tocius regni, prouti et aliorum, inuocata spiritus sancti gracia, tractare cepimus de his, per que regie magnificencie et statui regni tocius, ac eciam ipsarum ecclesiasticarum personarum et ordinum aliorum consuleretur. ideo statuimus:

(1) Ut dominum Andream ex regali stirpe descendentem reuereamur tamquam dominum regni naturalem.

(2) Et ut in persona ipsius regalis dignitas, secundum exigenciam sui culminis fulgere possit, omnia regalia pariter et reginalia, per quemcunque et quamcunque indebite occupata, pleno iure restituantur.

(3) Iura eciam ecclesiastica et nobilium, in possessionibus, in foris, in tributis et aliis, quocunque tempore et per quoscunque indebite occupata, penitus restituantur.

(4) Barones et alii potenter agentes, a uastibus et spoliis agendis omnino se refrenent. Et de his que male gesserunt, regiam maiestatem offendendo, ad graciam domini regis se conferant, ueniam petentes de commissis. et quod de cetero uastus, supplicaciones, latrocinia et occupaciones, seu uaria nocumenta cessent omnino.

(5) Et quicunque regalia et reginalia indebite occupata, possessiones eciam ecclesiarum et nobilium, fora, tributa, hactenus indebite detenta non restituerint, et infra spacium trium mensium a die congregacionis computandorum dimittere non curauerint. aut si qui de nouo ad spoliandum et occupandum possessiones regales et reginales, ecclesiarum et nobilium, contra hec statuta surrexerint, sentenciam excommunicacionis, quam contra iniustos ex nunc auctoritate presencium proferimus, incurrant ipso facto. a qua absolui non ualeant, nisi apud archiepiscopum colocensem, omnium episcoporum nihilominus consensu et assensu interueniente. et prehabita satisfactione competenti, domini regis cedant iudicio, pena debita puniendi. possessionibus tamen omnibus ipso facto priuati, deducta repensione dampnorum per tales illatorum, et eis quibus intulerunt assignatis uel adiudicatis, cetere possessionum partes in manus regias deuoluantur: ita quod heredes eorundem, propter excessus parentum legitima parte hereditatis denudati, inter nobiles non debeant computari, et

ab actibus nobilium, atque ab aditu . . . eorumdem exclusi maneant, ab omnibus actibus legitimis alieni.

(6) Si qui uero ex istis . . . . insurgerent, quos dominus noster rex Hungarie, inuocata et congregata regni sui manu deprimere non posset, et penis supradictis adducere, licitum illi sit auxilium aliunde implorare, per quod conuinci possit feritas delinquencium. et si idem dominus noster rex huiusmodi delinquentes persequi non curaret, et penis supradictis negligenter punire obmitteret, renunciando omni priuilegio, si quod habet de eo quod excommunicari non possit, per dominum archiepiscopum colocensem, omni prelatorum consilio attendente, prout ad hoc dominus rex se per literas suas speciales obligauit, a Romana sede capella eius interdicatur.

(7) Barones eciam et alii nobiles, qui se huiusmodi dampnatis et dampnacione dignis adiunxerint, simili subiaceant ulcioni.

(8) Et quia crescentibus excessibus, crescere debet et pena, pro eo episcopi diocesani, in quorum diocesibus factum hoc a deo et presenti statu dampnatum, attemptatum fuerit, in ecclesiis et populis taliter dampnandorum interdictum ponant, et positum tamdiu faciant obseruari, donec hec premissa, operacione domini regis accidente, finem capiant congruentem.

(9) Item municiones et Castella de nouo absque licencia domini regis, uel que fuerint tales, de quibus detrimenta inferuntur, uel imposterum inferri presumerentur, aut eciam quibus ipse possessiones non sufficiunt, minores eciam super ecclesias et monasteria facte, sine dilacione omni deleantur. que si destructa non fuerint, detentores earundem municionum, sentenciam excommunicacionis ex nunc natam incurrant. et nihilominus per dominum regem, ubi idem processerit in regno, uel per Palatinum huiusmodi municiones deleantur. terre siquidem, ubi tales mu-

niciones per dominum regem uel Palatinum reperte fuerint, in ius regium deuoluantur, nulla redempcione uel commutacione recepta. si uero fuerint aliorum, ueris et propriis dominis restituantur.

(10) Item statuimus, quod usque ad tres menses a die presentis congregacionis computandos, omnibus lesis, spoliatis seu depredatis, per eos qui leserunt et depredacionem commiserunt, plena fiat satisfactio et ablatorum restitucio.

(11) Si uero per potenciam extorta fuerit in remissionem, non teneantur. sed si infra predictum terminum satisfacere non curauerint, uel per potenciam sibi remissionem procurauerint, tanquam ex manifesta offensa, sentenciam excommunicacionis ex nunc natam incurrant, et infidelitate notati regis cedant iudicio, bonis, et possessionibus illorum talium ad fiscum regium deuolutis.

(12) . . . dummodo per hominem domini regis, ad hoc specialiter transmissum, et quatuor nobiles, in qualibet prouincia, ad inquirendas et sciendas spoliaciones preteritas et futuras, deputatos, domino regi fides fiat, sub testimonio capitulorum, ubi hec, dampnacione digna fuerint commissa uel fuerunt. si uero dicti quatuor nobiles, ob fauorem uel timorem, aut recepto precio recusare, uel huiusmodi depredaciones false suggerere, de his quos nouerunt presumpserint, excommunicacionem incurrant, ex nunc latam ipso facto. nihilominus domini regis cedat iudicio, pena contra eos pronuncianda.

(13) De spoliacionibus autem a tempore congregacionis inchoate factis decernimus statuentes, quodsi percepcio aliqua uel informacio, per quoslibet similes delectos episcopo diocesano, de his constare poterit, extunc quilibet episcopus diocesanus, illos tales in sua diocesia, dampnabiliter delinquentes. dampnacionis dignos excommunicet, et denunciet arcius ab omnibus euitandos.

(14) Et si qui religiosorum huiusmodi excommunicatos, uel alios, ut superius est expressum, ad ecclesie sacramenta admiserit, in uita uel in morte, extunc omnes qui de ista religione esse dignoscuntur, ab omnibus regnicolis eleemosyna priuentur. et quicunque ex regnicolis fratribus illius religionis, sibi proximis uel alienis contra hec statuta eleemosynas porrexerint, excommunicacionis sentenciam, exnunc latam incurrant ipso facto.

(15) Dominus autem rex eosdem excommunicatos sine strepitu iudiciorum, si de his per ueridicam relacionem constiterit, debita pena feriat, si ceteri satisfactionem non curauerint, et absolui non procurauerint sine mora.

(16) Barones eciam uel nobiles regni, si pro aliquibus malefactoribus intercesserint, in latam exnunc excommunicacionis sentenciam, incurrant ipso facto.

(17) Statuimus eciam, ut sicut ex parte regnicolorum precipitur fieri occupatorum restitucio, sic eciam dominus rex, ad omnium occupatorum, que ecclesiarum, et nobilium esse dinoscuntur, restitucionem teneatur. quod si non fecerit, sentenciam excommunicacionis per dominum archiepiscopum ex consensu prelatorum, ferendam, incurrat.

(18) Et si aliqua pars regni, quocunque titulo uel colore, per quemcunque regum alienata extitisset, teneatur reuocare, et idem dominus rex ad ius regium, ut regnum Hungarie, quasi quoddam ius totum suarum possit parcium integritate gaudere, sentenciam ipsius archiepiscopi colocensis, quam de consensu prelatorum regni, esset incursurus, si hoc, legitimo impedimento cessante, idem dominus rex neglexerit emendare.

(19) Item statuimus, quod si duo fuerint fratres, aut plures ad inuicem nulla diuisione facta, in suis possessionibus hereditariis, et non acquisitis commorantes, unus illorum, qui utilior et acrior repertus fuerit inter ipsos,

ad exercitum domini regis uenire teneatur. qui si uenire obmiserit, non ad plura iudicia, seu grauamine exercitus, preter ad unum simul omnes teneantur.

(20) Item statuimus, ut curia domini regis honorificencius regi possit, et regnum Hungarie decencius gubernari, dominus noster rex singulis tribus mensibus, singulos duos episcopos, secundum exigenciam ordinis, unum de suffraganeis Strigoniensis, et alterum de suffraganeis Colocensis ecclesie, totidemque et quasi omnes nobiles regni, quos ex nunc elegimus, secum habeat, congruis stipendiis, de bono regio sustentandos. et si idem dominus rex hoc facere obmiserit, quidquid preter consilium predictorum sibi applicandorum, in donacionibus, arduis, et dignitatibus conferendis, uel in aliis maioribus fecerit, non teneant.

(21) Statuimus eciam, quod domina regina Hungarie debite dignitatis culmine gaudere possit, curia sua dignitatibus et honore, in personis Hungarorum nobilium, non uero alienigenarum solempnius, sicut debet, ordinetur. et ut curia eiusdem domine regine decencius gubernetur, quosdam electos a domino rege barones ipsa domina regina habere teneatur. et regalia seu reginalia in tributis, seu tricesimis, cum omni integritate percipi possint. statuimus ut omnia tributa, a tempore regis Ladislai facta penitus deleantur, et quicunque res aliquas in huiusmodi deletis tributis retinere presumpserint, sentenciam excommunicacionis incurrant. possessiones uero seu terre, ubi huiusmodi illicita exiguntur, ad ius regium deuoluantur.

(22) Statuimus siquidem et perpetuo edicto stabilimus, quod ecclesia — — tam in capite quam in membris gaudere ualeat suis libertatibus. iura eciam ordinamus, imo ab antiquo ordinata declaramus, ut, tempore uacacionis bona et possessiones ecclesiarum, non per dominum regem uel ab eo missum, nec per eos qui se nominant parochia-

nos occupentur, spolientur, et ledantur, in parte uel in toto.

(23) Bona eciam decedentis episcopi dominus rex uel quelibet alia persona, rapere non possit, sed utilitati ecclesie, cuius idem prelatus fuisse dinoscitur, si intestatus decedit, applicentur.

(24) Si uero compos sue mentis de his disposuerit, secundum pomissionem iuris eis disponi debent, quibus fuerint appromissa, — — — seu detencione cognatorum, seruiencium aut officialium episcopi decedentis, a quocunque interueniente. etsi qui parochianorum, uel aliarum personarum priuatarum, contra hec statuta uenire presumpserint, exnunc latam incurrant ipso facto.

(25) Etsi qui collectas, uel exactiones quascunque super populos ecclesiarum et nobilium facere presumpserint, uel quoquo modo fiendas indixerint, barones uero, qui in monasteriis ius patronatus non habent, si super populos nobilium descensus fecerint uiolentos, penam excommunicacionis incurrant exnunc latam.

(26) Statuimus eciam — — potentum uel impotentum, aliquas prouincias commetaneas, duas uel plures, aut eciam unam committat iudicandas, sed omnes cause ad Palatinum, dum prouincias iudicat, uel tunc dum non iudicat ad parochiales iudices referantur. et, si aliqui huiusmodi prouincias iudicandas assumpserint, sentencia excommunicacionis exnunc lata innodentur.

(27) Item statuimus, quod nobiles seruire ualeant quibuscunque uoluerint sua spontanea uoluntate. et si qui potentum huiusmodi nobiles ad sibi seruiendum ui uel potencia artauerint, aut ipsos propter hoc in personis uel facultatibus. suis leserint, uel grauare . . . contra hoc statutum uenerint, excommunicacionem exnunc latam incurrant ipso facto. et, si de huiusmodi pressione nobilium

domino regi constiterit, tales depressores persequi teneatur, digna ulcione feriendos.

(28) Statuimus eciam, quod iudex curie regie, uel alii quicunque iudices, nobilem aliquem possessionatum racione iudicii uel iudiciorum captiuare non presumant. quod si fecerint, honore uel iudicatu quo funguntur, ipso facto sint priuati.

(29) Statuimus eciam quod Palatinus castra tenendo, in campis et conuentibus, et non in uillis uel ciuitatibus iudicare debeat, uernali, estiuali et autumnali, et non hyemali . . . . . etur. et quod ulterius ad alios consurgere, eciam non possit honores.

(30) Statuimus eciam ut per totum regnum una regalis et celebris sit moneta, quinqualitate combustum, ad duos annos. in reliquis uero annis, ex argento, decime combustionis confecta, per omnes regni ciuitates et uillas, fora continen. ualorem certum currere debeat.

(31) Et si qui nobilium uel potentum, in foro sue possessionis, uel eciam aliis in locis, de commissis secundum antiquam consuetudinem, monetam. eandem currere non fecerint, extunc iure fori priuentur, et ipsum ius fori, ad illum uel ad illos deuoluatur, qui — — modum in hoc, et in alliis digno et debito feruntur honore. et nihilominus, si qui eandem non assumpserint monetam, ad collectam dimidii fertonis per singulas mansiones sue possessionis teneantur.

(32) Et si que persona ausu temerario monetam in sua possessione uel domo, cudi fecerit, illa possessione uel domo priuetur, penam legis susceptura.

(33) Statuimus et perpetuo edicto stabilimus: ut dominus rex libertates regnicolarum suorum et ecclesiarum tempore coronacionis sue in literis expressas, et ea que in presentibus statutis exponuntur . . . . . domini archiepiscopi Colocensis, de consensu prelatorum ferendam incur-

rat. et preter hec eciam alia, que in literis domini regis tempore corronacionis sue datis continentur, plenius attendantur et firmiter obseruentur.

(34) Statuimus ut omnes prelati, quos legitimum impedimentum non detinuerit, nec non et omnes barones et nobiles uniuersi, ad quindenas beati Georgii in Rakus, iuxta Danubium, conuenire teneantur, ut omnibus ibidem recensitis, que in litteris domini regis expressa continentur, institutis, que necessaria fuerint — — statuentur.

(35) Obseruandum, quod sicut per barones, ita eciam per regem et proceres Hungarie, super populos ecclesiarum et monasteriorum nulla penitus collecta exigatur. et si contrarium factum fuerit, contrarium facientes. per dictum dominum archiepiscopum Colocensem ad modum supradictum . . . . . incurrant.

Et quia saluberrima statuta regio honori et statui regnicolarum magno remedio proficiencia, a predictis uenerabilibus patribus, et ab incolis tocius regni Hungarie de legali consensu domini regis et baronum processerunt, prout in superioribus est expressum, pro — — concessa debitam reperiant firmitatem. dominus rex et regni barones sigilla sua, ad instar sigilli prelatorum, huic charte statutorum apposuerunt.

APPENDIX.

REGESTRUM DE VARAD.

1201 — 1235.

---

(1) Anno dominice incarnacionis millesimo ducentesimo nono, pristaldo regis nomine Martinus de uilla Shama, in prouincia Suprutus, ueniens cum curiali comite Moyad comitis, nomine Fiod, et clerico Urcondon filii Dionisii comitis, contestatus est nobis diuisionem terre Hene ipso mediante factam, inter Moyad comitem et Nicolaum nepotem eius ex una parte, et Urcultus filium Dionisii cum fratribus suis, hoc modo. quia cum locus uille Hene in diuisione Mayad comiti accidisset, Urcultus uolens satisfacere, terram in Thoufö mensurando, Mayad comiti pro eo dedisset. sed Mayad comes eundem locum uille Urcundino et fratribus suis gratis concessisset. ipsa uero terra Hene tali ordine metarum diuisa inter predictas partes perhibetur. prima itaque meta egreditur de terra Bogdan, et uadit ad Thoufö, et inde transit ultra Ueyzlo, et inde uersus domum Urcultus etc.

(2) Yrgolin de uilla Fon impeciit conuillanam suam, uxorem Cheka, de ueneficio. quos Gregorius comes de Potoc discuciens, misit Uaradinum ad examen ferri candentis, per pristaldum nomine Thomas de uilla Kaboy. sed cum illa pre nimia senectute ferrum non posse portare uideretur, idem iudex dispensans cum ea, filium suum Mo-

dam nomine, portare ferrum pro matre sua precepit, qui portato ferro iustificatus est.

(3) Choma de uilla Petri impeciit conuillanos suos, nomine Fugod et Egidium, de damno rerum suarum ad estimacionem octo marcarum, iudice Laurencio curiali comite de uilla Terebus. predicti uiri, Fugod et Egid, portato ferro combusti sunt.

(4) Basilius abbas de Curru impeciit quosdam pro furto, scilicet Bazthu de Peles, item Adrianum, Laurencium, Bubtem, Micon, Tekze, Uduor, Ambrosium, Bencii de Uecher, de uilla Cheke, item Homodoy de uilla Horz. qui, dum a Nicolao comite palatino facta discussione, ad iudicium ferri candentis Uaradinum essent, in septimana domine in tua misericordia, per pristaldum nomine Chepanum de uilla Ladan directi non uenerunt, et prenominatus iudex rescripsit de eis, quod scriberentur pro condemnatis.

(5) Reynold de uilla Sucta impeciit Ioannem et Achyamanum, Uilalmum et Ornoltum de uilla Buntii de occisione sui filii, iudicibus Martino curiali comite de Nouo castro, et Gipolto Teotoneo hospite regine, pristaldis alio Acyamano de uilla Buntii, et Laurencio de uilla Hensy. predicti homines: Ioannes, Achyamanus, Uilalmus et Ornoltus, portato ferro iustificati sunt.

(6) Priuatus de uilla Iuren, impeciit Uocam de uilla Pereznek pro furto, iudice Tobia curiali comite de Zolnuk, pristaldo Giliano de uilla Uoznad. fur Uoka portato ferro combustus est.

(7) Uillani de Nyr, qui sunt pistores castri Zolnuk, impecierunt quosdam liberos homines eiusdem uille, scilicet: Fecieten, Agya, Michaëlem, et alios eiusdem generis, dicentes eos extorres. Illi autem e contra dixerunt se habere terram communem cum castrensibus, a prima occupacione sui generis. iudice Nicolao palatino comite

pristaldo Dettre de uilla Maysa, homo castrensium, portato ferro, iustificatus est.

(8) Gugus pristaldus, ut ipse dixit de se, Iacobi uaciensis episcopi, statuit ante nos quendam nomine Ipolitum de uilla Sap, asserens, quod ipse Ipolitus impeciisset conuillanos suos, scilicet: Iacob, Paulum, Moynolt, Crispen, Martinum et Dominicum, dicens: quod arassent per uiolenciam terram suam empticiam. illi autem respondissent, eandem terram, ad tria aratra, non empcione, sed uadio ipsum Ipolitum possedisse. prefatus itaque episcopus, ipso uidelicet Gugus pristaldo constituto, misisset utramque partem Uaradinum, ad examen ferri candentis, dato termino in octaua s. regis Stephani. et Ipolitus quidem cum prenominato pristaldo suo Gugus Uaradini fuit, paratus candens ferrum portare. aduersarii autem eius in eadem septimana non comparuerunt.

(9) Abbas de loco Triskai monasterio, litigauit cum abbate monasterii Porozlo, et patrono eiusdem ecclesie, scilicet Borokun, pro uiginti marcis, coram Bacione comite, iudice a rege delegato, pristaldo primus de uilla Uosyan. qui ad examen ferri candentis directi, taliter conuenerunt: quod abbas de Porozlo et Borokun darent abbati monasterii Triskai sex marcas, et idem conuenerunt dare unam marcam pristaldo, partem uero iudicis abbas Triskai persoluere teneretur.

(10) Petrus ioubagio castri Borsod impeciit castrenses eiusdem castri, scilicet de uilla Beleta et de uilla Lanczii et de uilla Mulchun et de uilla Zudesthan et de uilla Shazka, dicens quod officium eorum esset carceres custodire. illi autem e contrario dixerunt, quod milites quidem castri essent ad belligerandum, non ad carcerem custodiendum. quos Theodor comes eorum discuciens, per pristaldum nomine Stephanum de uilla Nemeth misit ad examen ferri candentis Uaradinum. ubi predictus Petrus renunciauit iu-

dicio ferri candentis, dicens eciam, castrenses de prenominatis uillis falso de custodia carceris impeciisse.

(11) Castrenses Dubukai de uilla Mochy, coadiuuantibus eum castri ioubagionibus, scilicet: Queduelen, Tynta et Petrus, impecierunt Cunpurdinum filium Teleguen, dicentes, quod ipse esset extorris, et terram eorum ui occupasset. ille autem dixit dimidiam partem eiusdem terre iure hereditario sibi attinere. quos Demetrius magister, precepto regis discuciens, per pristaldum nomine Adrianum de uilla Scil ad examen ferri candentis misit Uaradinum. ubi predicti castrenses, cum nominatis ioubagionibus eorum, subterfugerunt iudicium ferri candentis, dicentes, dimidietatem supradicte terre prefato Cumpurdino iure patronatus, sicut ipse astruebat.

(12) Zugna de uilla Fecie impeciit Zemert de uilla Uraka de furto, iudice Cumazan curiali comite de Zobolch, pristaldo Karachun de uilla Ekulch. predictus fur Zemer Uaradini portato ferro combustus est.

(13) Paul sacerdos de uilla Duba impeciit conuillanam suam uxorem Lodmer, dicens: quod cum ancillam quandam uendiderat, illa nondum precium persoluit. quoniam eadem ancilla, instinctu eiusdem uidue, res ipsius furtim subripiens aufugerit. cuius facti cum prefata uidua se ignaram esse contendens, curialis comes de Zounuk nomine Uitalis, de ancilla et rebus subreptis de Paulo sacerdote, ualentibus quatuor marcas et quatuor ponda argenti, discuciens, per pristaldum Numbiz de uilla Chumburd misit ad examen ferri candentis Uaradinum. ubi homo Pauli sacerdotis portato ferro iustificatus est.

(14) Mathias comes impeciit Benedictum de uilla Chehy, pro furtiuo equo, quem equum predictus Benedictus dixit ab eodem comite pro seruicio suo possedisse. quos Forcasius curialis comes de Bichor discuciens, per pristaldum suum Hegud de uilla Bichor misit ad examen

ferri candentis Uaradinum. ubi benedictus portato ferro iustificatus est.

(15) Fabianus de uilla Beka impeciit Samsonem de genere Opour de damno triginta marcarum, iudice Fila comite uicario Nicolai palatini comitis, pristaldo Paulo de uilla Ynata. predicti aduersantes Uaradinum ad examen ferri candentis directi, taliter ibi conueniunt, quod prefatus Sampson, redderet aduersario suo tria capita hominum, quos abstulerat, et decem boues, et quadringentos cubulos uini, de cubulo de Sumugy, et quinquaginta cubulos siliginis, quatuor palmorum, et idem satisfaceret iudici. partem autem pristaldi Fabiano dare conuenit.

(16) Scymcha procurator Desiderii episcopi de uilla Tomona, litigauit cum quodam de eadem uilla nomine Kezed, dicens quod pecuniam fratris sui sine herede mortui, centum pensas ualentem, occultasset, iudice Desiderio episcopo, pristaldo Scema de supradicta uilla. prenominatus Kezed portato candenti ferro Uaradini iustificatus est.

(17) Agazones regis de uilla Zecul, scilicet Teka et Tobias, impecierunt Tauernicos regis, de eadem uilla, scilicet Zotam et Thomam, dicentes, quod extorres essent. quos Demetrius magister, precepto regis discuciens, per pristaldum suum Martinum de uilla Edelen direxit ad examen ferri candentis Uaradinum ubi predicti agazones conueniunt dare Tauarnicis medietatem terre illius metis impositis, et iudici communiter satisfacere, pristaldi uero partem soli Tauarnici persoluerent.

(18) Youanka filius Barlay impeciit ioubagiones Sebastiani de Pou, scilicet Michaëlem et Kepam filios Nicolai de furto, iudice Nicolao palatino comite, pristaldo Cepam de uilla Ladan. predicti fures portato ferro combusti sunt. sed Michaël confugit ad ecclesiam.

(19) Nixa de uilla Nema impeciit quendam nomine

Budeu, de alia uilla Nema pro furto, iudice Nicolao comite de Geuru, pristaldo Gregorio de ciuitate Geuru. predictus Budeu portato ferro, antequam solueretur, aufugit.

(20) Eel filius Scema de uilla Eel, gener Capatani, impeciit quendam de uilla Custa, nomine Olduruh, dicens ipsum seruum suum esse, ille autem dixit se non esse suum seruum, sed tauornicorum regis, et duxit conuillanos suos cum ioubagionibus tauernicorum, Uiuiano, Gregorio et Ombud, qui eum dixerunt suum esse contribulem, quorum unus nomine Daba specialius dixit, eundem Olduruh suum esse cognatum. et portato pro illo ferro Uaradini iustificatus est, iudice Maurino uicepalatino, pristaldo Nicolao de uilla Arpás.

(21) Urbanus, Martinus, Santus, Petrus, et alii castrenses de Bursod, impecierunt quosdam, scilicet: Tum Pousam, Forkos, Manciam, dicentes illos suos esse contribules. isti autem responderunt se regis esse tauornicos, et tenuerunt causam eorum tauornici regis, scilicet Forkos et Moynolt de uilla Tord, item Sixtus et Hunda de uilla Tauornuk. quibus a comite Gyula, per pristaldum nomine Christophorum, ad iudicium ferri candentis Uaradinum destinatis, prenominatus Moynolth, secundum sentenciam iudicis portato ferro, combustus est.

(22) Camb impeciit Paulum de duabus marcis, et portato ferro Uaradini iustificatus est, iudice Martino comite, pristaldo domino Budud.

(23) Medue de uilla Kal impeciit Alexandrum de uilla Zub, cum tribus seruientibus eius. item Legerum, Uitalem et Gyroltum de uilla Libecii pro occisione patris sui Forcasii, coram Myca comite Bicoriensi, scilicet iudice ab Andrea rege delegato. quos idem iudex per pristaldum nomine Gylianum de uilla Uruz misit ad iudicium ferri candentis Uaradinum. Ubi impetrata licencia regis et prenominati iudicis pacificati sunt, et mutuo iuramento pacem

firmauerunt, et Alexander conuenit satisfacere iudici, et in festo omnium sanctorum dare aduersario suo nouem marcas, et tres pristaldo Uaradini, simul pro se et pro seruientibus suis. item Leger duas marcas aduersario eidem et unam pristaldo. Gyrolt quatuor marcas dimidia minus, et unam pristaldo, et satisfaceret iudici sicut Legar. Uitalis quoque septem marcas aduersario, ex quibus tres iam dedit, quatuor autem daturus est in predicto festo, sicut alii tenentur. pristaldo uero iam satisfecit. et si predicto die hec omnia non persoluerent, duplo dare tenerentur.

(24) Quidam nomine Hubugunithu, ut ipse dixit se uocari, pristaldus Nicolai palatini comitis, ut ipse perhibuit de se, statuit ante nos quendam nomine Absolonem de genere Ratha, de uilla Tolna, dicens: quod ioubagiones de Zemlun, scilicet: Scema hodunogio, Mocud centurio, Degus, et Chepanus prefectus castri, requisiuissent terram ipsius Absolonis, nomine Ság, et terram eiusdem ad quatuor aratra in Tolna, pro terra castri. et exhibuit quendam de ioubagionibus eiusdem castri, nomine Scentus, quem supradictus iudex, ut ipse dixit, iudicio ferri candentis addixerat. qui cum transacto triduano ieiunio, sicut mos est, ad portandum candens ferrum accessisset, quidam nomine Sumpon precedens, dixit se a prenominatis castri ioubagionibus esse directum, et ex parte illorum subterfugit iudicium ferri candentis, et memoratam terram memorato Absoloni remisit, dicens illam non esse terram castri.

(25) Chepanus de uilla Chula impeciit Petrum de uilla Uasarhel, dicens, quod cum equus suus furto esset sublatus, apud illum inuenisset, et cum uellet equum ab eo recipere, et ipsum capere, conuillani eius, et precipue Ipsa, eum uiolenter prohibuerunt. quos Olodarus, curialis comes de Zemlun discuciens, per pristaldum nomine Cos-

mam de uilla Uelchea ad iudicium ferri candentis transmisit Uaradinum. ubi prenominatus Chepanus, cum prefato pristaldo et homine suo ferrum portaturo, in septimana, qua festum s. Galli est celebratum, fuit Uaradini. aduersarii autem eius, scilicet Ipsa et Petrus, et conuillani eorum non comparuerunt.

(26) Isov de uilla Fulian citauit Marianum de uilla Barana pro eruicione oculorum suorum, ante Nicolaum palatinum comitem. ubi cum essent quidam boni homines de prouincia Zounuc, scilicet Michaël comes de uilla Mortun, et Modorus de uilla Pou, et alii boni homines, impetrata licencia prenominati iudicis, reformauerunt inter eos pacem, et memoratus Isov dimisit aduersario suo Martino omnem inimiciciam suam, et pepigit quod deinceps super exoculacione sua nunquam esset litigaturus.

(27) Uxor Scilak, nomine Cincea, impeciit Paulum seruientem Uhudu curialis Mice comitis de occisione mariti sui, iudice Mica comite de Bihor, pristaldo Fulcho. prefatus itaque Paulus cum domino suo et pristaldo fuit Uaradini, ferrum candens portaturus. memorata uero aduersaria non comparuit, neque excusatorem misit.

(28) Chepanus de uilla Bogdan impeciit Petrum coram comite Olodaro, de quatuor equis et uno fure uiolenter ablato. predictus Petrus uenit Uaradinum, aduersarius autem non comparuit.

(29) Anno dominice incarnacionis millesimo ducentesimo decimo septimo, in septimana factus est, iobagio Beli uenit Uaradinum, probaturus sororem suam, iudicio candentis ferri, non esse meretricem. et sigillata manu exspectauit usque diem ueneris aduersarios suos, scilicet raptorem sororis sue nomine Nicolaum, et paralimphum, uidelicet Karachinum alium, et alios sodales sponsi, uidelicet: Tecam, Muchoriam, Urbanum, Porcan, Petu, Koch, Michedeum, Iacob, Michal, Nican. sed aduersarii eius

prenominati in predicto termino non uenerunt. iudex huius cause Teca uicearchidiaconus, pristaldus Hoth.

(30) Cholnuk iobagio castri Houmik de uilla Mon, impeciit suum conuillanum nomine Mocium pro furto, iudice Iuan, curiali comite Benedicto filio Samum, pristaldo Tupas de uilla Cocil. Mociu portato ferro iustificatus est.

(31) Uillani Holmy, scilicet: Hemequei, Lynthes et Bertholon, impecierunt conuillanum suum nomine Teluk pro furto. predictus Teluk portato ferro iustificatus est. iudex autem huius cause Isov comes de Ugosi, pristaldus Thomas de uilla Martin.

(32) Gense de uilla Senmartin, siue predio s. Petri de Sasuar, impeciit Checham de uilla Ceunand, et iobagionem eiusdem ecclesie pro furto. qui Checa portato ferro iustificatus est, iudice Chepan filio Primi, pristaldo Choma de uilla Iond.

(33) Tuca impetitur de Eded et Teca, pro marca et tribus fertonibus. qui Tuca portato ferro iustificatus est, arbitris Chesario et Georgio, pristaldo Budon de uilla Iarun.

(34) Paulus comes, filius Eufemie, impeciit Letem diaconum, Forcasium, Macarium et Benczem de sexaginta marcis. quorum Lete purgauit se iuramento, iudice Simone episcopo. reliquos uero Heuka comes Bichoriensis discuciens, misit Uaradinum ad candentis ferri iudicium, ubi cum essent, Uendegu curialis comes predicti Pauli, exemit Farcasium et Benczem a ferro candenti, dicens: dominum suum suspicionem suam ab eis remouisse. Macarius uero portato ferro iustificatus est. pristaldo Bota existente.

(35) Petrus de uilla Tos impeciit de quatuor marcis Ebherum. predictus Ebher portato ferro iustificatus est. iudice Simone Uoyanada, pristaldo Fener de uilla Marab.

(36) Andreas de uilla Porozka cepit apud quendam nomine Gnynthei equum sine signo, dicens illum sibi furtim sublatum. e contrario predictus Gnynth ei dixit eundem esse suum equum, pullum scilicet currigere sue. iudice Bank comite de Budruh, pristaldo Rodolpho de Theothonicis Pazthuchii, prefatus Gnynther portato ferro Uaradini iustificatus est.

(37) Merth comes Theothonicorum litigauit contra uniuersos uillanos Sudan, pro sex marcis a seruitrice sua per ipsos uiolenter ablatis, iudice Bedech curiali comite comitis Martini, pristaldo Fachia. homo itaque Merth Uaradini combustus est.

(38) Ismaëlite de Nyr, Elias et Peter, coadiuuantibus aliis, impeciere Ioannem, Costam, et Mikoum de uilla Salamonis de latrocinio, iudice Bank comite, pristaldo Bola. predicti Ioannes, Costa et Mikon combusti sunt. Similiter filius Pose seu Sentes, et frater eius uterinus Petur, eodem iudice et eodem pristaldo, et aduersariis eisdem existentibus combusti sunt. similiter Hernicus et Gregorius de uilla Bis combusti sunt.

(39) Cum Neuca Uaiuoda direxisset ad iudicium ferri candentis Laurencium de uilla Belud contra capitulum Albensis ecclesie Transsiluanie, per pristaldum Laurencium de uilla Poznan, predictus Laurencius conuenit dare capitulo marcas duodecim, et seruum qui requirebatur, dimittere fratri suo Nicolao, super iuramentum suum. qui si non iuráret, seruus sibi, scilicet Laurencio, redderetur.

(40) Nogud iobagio monasterii Debreu, portato ferro pro facto contra iobagiones Agrienses, scilicet Ued et Uacy, iudice Bank, pristaldo Paulo, iustificatus est.

(41) Ismaëlite de Nyr, Iliaz et Pentek, coadiuuantibus aliis, impeciere iobagiones Martini comitis de uilla Uamus, de latrocinio, scilicet Egud, Botyka, Zobocha, Karasun, Torka, Zekus, Ioacyn, Tukay, Irossou, Iaco-

bum, et item iobagiones monasterii de Taplucia, pertinentis ad genus Mizidaczii de eadem uilla. quorum nomina sunt hec : Benedic, Nunige, Zobozlo, Borathe, Henuk, Lusutha, Zamacziomut, Buchi, Tomas. pro iis omnibus Egud et Benedictus, pro se ipsis et aliis portato ferro, iustificati sunt. iudice Bank, pristaldo Bola.

(42) Ioubagiones de Bekues, scilicet: Sungut, Bot, Bus, Chysce Paul, Nefaut, Dionis, Tomas, Pether, Orocha, Uiuor, Bochyur, Elias et Usud, item iobagiones de castrensibus exempti, scilicet: Reche, Banus, Ambos, et Thycus, et postea uniuersi castrenses, scilicet: Mogud, Eua, Usud, Pous, et omnes alii, conquesti sunt domino regi Andree, super Sab et Sycund, dicentes, quod iniusti iobagiones essent, et dilapidatores rerum populi, et depauperatores omnium castrensium, et auctores mortis trium hominum. supradictus autem rex commisit Ilie comiti eorum discuciendos, qui damnis castrensium computatis, et in trecentis marcis eos damnificatos esse comperiens, per pristaldum nomine Andreas de uilla Egneg misit eos Uaradinum. ubi homo predictorum castrensium, nomine Pous, portato ferro, contra Sab et Sycund, mundatus est.

(43) Uillani de Ponkata impeciere conuillanos eorum, scilicet: Rolandam et Laurencium dicentes, quod eorum peccatis exigentibus, duarum marcarum damna pertulissent, iudice Abbate de eadem uilla, et Andrea patrono eiusdem, pristaldo Georgio de Chunad. Rolanda et Laurencius iustificati sunt.

(44) Uincencius, Uendegu, Uoca de uilla Roba impeciere conuillanos suos, scilicet: Esaum, Torcum, Petrum, Botam, dicentes quod eorum falsa suggestione quidam potens nomine Uaiauoda, in sex marcis eos damnificasset. illi responderunt, quod prenominatus Uoiauoda, non eorum suggestione quidquam eis subtraxisset, sed cum esset eorum centurio, et ipsi castrenses, castrensium

pensione debitores, pro debito censu tantum uel forte plus ab eis accepisset. illi autem econtra dixere, se non castrenses esse, sed castri ioubagiones. Tobias igitur curialis comes de Zounuk eos et pro damno, et pro condicione discuciens, misit Uaradinum per pristaldum nomine Stephanum de uilla Mire Acnaya. Uoca portato ferro, pro se et fratribus suis, mundatus, probauit se et fratres suos, et sex marcarum damna pertulisse, et se non castrenses sed ioubagiones castri extitisse.

(45) Absolon et Gyuri filii Ioachin, et Solomun gener eiusdem, impecierunt Numicolohod archidiaconum, et filium eius Ladislaum, et fratrem eiusdem Numhium, et filium eiusdem Tiburcium, hos omnes de uilla Uosuari. item Iacobum de uilla Achya, Mikulam de uilla Sadan cum filio suo, Andream de uilla Popi, Michaelem de uilla Chicu, Cornelium de uilla Merluz, Tenkam de uilla Maria, cum duobus seruientibus, Andream et Felten de uilla Monor, Demetrium et Narad et Toul de uilla Ylye, et omnes uillanos uduornicorum de Er pro quibus portaturus erat ferrum Thepsa. hos inquam omnes impecierunt de occisione prenominati Ioachin, quos Nicolaus comes palatinus discuciens, per pristaldum regis Temam de uilla sui nominis, et per pristaldum suum Moulam nomine, misit ad iudicium ferri candentis Uaradinum ubi omnes prenominati aduersarii taliter conuenerunt, quod Absoloni et Gyurkoni persoluerent septuaginta et unam marcas, coram capitulo Agriensi, scilicet uiginti quattuor in festo Marie Magdalene, et totidem et ibidem in festo natiuitatis sancte Marie. item uiginti tres in festo omnium sanctorum. sed cum eis non crederent, prenominati Numuolohod, Nuhu, Mikula, Tenka, et idem Sopou de uilla Achya, Abraham de uilla Kupanchi, et Nuodum archidiaconus pro illis fide iusserunt. postea iidem aduersarii conuenerunt satisfacere iudici, partem uero pristaldi Absolon et Gyurko tenentur

persoluere. item sepe iam memorati Numuolohod et Nuhu deberent constituere Chenadini homicidam Oponidum.

(46) Guthfredus prepositus orodinensis impeciit uillanos de Berente de XV bobus uiolenter ablatis, et de percussione unius hominis gladio, iudice Nicolao palatino comite, pristaldo Zuma de uilla Ianus. qui uenientes Uaradinum, taliter conuenerunt, quod uillani de Berente darent predicto preposito quatuor marcas, et pristaldo dimidiam, iudici uero prepositus satisfaceret. hec autem persoluerent in festo Marie Magdalene, in uilla cruciferorum nomine Pop.

(47) Seucha de uilla Tilos impeciit conuillanos suos, scilicet Pousam, Mathiam, Thomam, Michaelem, Gabrielem, Ionam de Abram, Mattheum, Didou, Bartholomeum, Us de Uilla Luen, de destructione et direptione rerum suarum, coram Benedicto bano, iudice a rege delegato. qui summa damni computata, et in quadraginta marcis constituta, misit utramque partem Uaradinum ad iudicium ferri candentis, per pristaldum nomine Gurk de uilla Chaz. quo sex de aduersariis, scilicet Pousa, Matthias, Toma, Michaël, Gabriël, et Ionas uenientes, conuenerunt dare aduersario suo, scilicet Seuche quatuor marcas fertone minus, ac satisfacere iudici. ius autem pristaldi Seucha dare teneretur. alii autem quatuor de aduersariis non comparuerunt, quos nominatus iudex, ut pristaldus dixit, condemnauit, et pro condemnatis scribi precepit.

(48) Comprouinciales noui castri, et horum specialiter Teotonici de Felnemet, scilicet Michael, Iakon et alii impeciere homines Saphin et Ethened de uilla Kuzka, scilicet Paulum, Zalduba, Sune, Stephanum, Buchusi, Tomam, Rasun, Banlum, Merk, Michaelem, Budam, Milos, Buldus, Donk, Obusk et Herye, de furto, iudicibus Banko et Benedicto comitibus, pristaldo Ugrun de uilla Sap. Uaradini Paul, Zalduba, Sune, Stephanus, Buchuk, Tomas,

Rasum, Banlus et Merk portato ferro iustificati sunt. Michaël uero, Buda et Milus combusti sunt. Buldus autem, Obusk et Herye dato termino non comparuere. iudices uero habuere illos pro condemnatis.

(49) Tomas de uilla Tuka impeciit Martinum de uilla Abara pro furto. iudicibus Bank et Benedicto comitibus, pristaldo Sula de uilla Cheb. Martinus in septimana respice domine non comparuit, et predicti iudices, ut pristaldus dicit, habuere eum pro condemnato.

(50) Basilius abbas de Curru et curialis comes eius Lucas impecierunt Ioannem filium Salomonis de genere Gledguth, pro destructione predii ecclesie, siue damno ad estimacionem uiginti quinque marcarum. iudice Nicolao palatino comite, pristaldo Chepan de uilla Ladan in prouincia Heugd. qui cum uenisset Uaradinum, predictus Ioannes conuenit dare sex marcas abbati, et satisfacere iudici. abbas uero pristaldo satisfacere conuenit.

(51) Basilius abbas et curialis comes eius Lucas impecierunt Indiam de uilla Peles, de occulta retencione possessionum sui fratris. scilicet Paztuh de furto condemnati, scilicet duodecim capitibus hominum, tribus equis, quinquaginta ouibus, duodecim bobus, sex aceruis segetum. iudice Nicolao palatino comite, pristaldo Chepan de uilla Ladan. homo supradicti Indie Uaradini portato ferro combustus est.

(52) Uitun de uilla Petur impeciit conuillanum suum, scilicet Crisium pro furto. iudice Paulo comite de Ogocha, pristaldo Marco de uilla Luueu. Crisius portato ferro mundatus est.

(53) Petur de uilla Uys impeciit conuillanum suum nomine Cuqt, pro sexaginta ponderibus. iudice Stephano comite, pristaldo Dema de eadem uilla Uys. Cuqt portato ferro combustus est.

(54) Ioannes de uilla Ueytech impeciit quosdam de uilla Bagad, Syencud, Bodam, Cyomoy et Barlabam, item de uilla Mehus, Mattheum et Laurencium, de furto. iudice Fila uicario palatini, pristaldo Chyeka de uilla Zthemur. predicti fures Uaradini portato ferro sunt iustificati. postea Sceta de eadem uilla Bogad, qui ut pristaldus dixit, citatus fuit et ipse uenire Uaradinum, non uenit.

(55) Bot filius Laurencii de uilla Horuath impeciit quendam de uilla Usa, nomine Sirund, pro uerberacione matris sue ad mortem, quod scilicet misisset uerberantes, et de damno suarum rerum iuxta estimacionem quinquaginta marcarum. iudice Petus uicario Nicolai palatini comitis, pristaldo Andrea de uilla Qecher. predictus Sirund portato ferro Uaradini combustus est.

(56) Andreas de uilla Pa impeciit ioubagiones Dionysii, scilicet utrumque Forcasium et Bogdanum, de damno unius marce. iudice Dionysio filio Simonis comitis, pristaldo Manogy de uilla Cana. Hon Andreas portato ferro iustificatus est.

(57) Ecyul de uilla Perl, impeciit Leopoldum ioubagionem Schome comitis pro furto. iudice Biloto regis de Zounak. pristaldus Nicolaus de uilla Mochii. Leopoldus portato ferro iustificatus est.

(58) Stephanus eubagio Georgii de uilla Torcan impeciit Timan de uilla Chupud pro furto. iudice Geztub curiali comite de Zothmar, pristaldo Zomoy de uilla Euchetii. Timar fur portato ferro combustus est.

(59) Chequez et frater eius ioubagiones Petri filii Philippi comitis de uilla Mark, impecierunt ioubagiones Mikou, scilicet Turhuzam, Iacobum et Narad, de latrocinio. iudice Hunt comite de Borsua, pristaldo Cyob de uilla Tumpa. prenominati itaque latrones, directi Uaradinum, portato ferro iustificati sunt. De quibus pristaldus dixit quod tredecim capita hominum fuissent cum uxoribus et filiis.

(60) Cyegl abbas de Zeploc impeciit Benam de uilla Scerepin nouo castro de latrocinio. iudice Nicolao palatino comite, pristaldo Egidio de uilla Osa. cumque Bena Uaradini portare ferrum esse paratus, prenominatus abbas subterfugit iudicium ferri candentis, dicens quod falsa opinione predictum Benam de latrocinio impeciisset.

(61) Tekma et Pousa de uilla Chybur impecierunt Andream conuillanum suum de furto. iudice Tobia curiali comite de Zounuk, pristaldo Fintur de uilla Tibur. qui cum directi essent Uaradinum, prenominati Tekma et Pousa subterfugerunt iudicium ferri candentis, dicentes quod falsa opinione predictum Andream de furto impeciissent. pro bono tamen pacis Andreas fur promisit satisfacere iudici.

(62) Senk de uilla Obonik impeciit Texam, Erdeum, Bizam, Cesare et Salat de alia uila Obonyc pro quattuor marcis. iudice Benedicto comite, pristaldo Azaria de uilla Tinod. prenominatus Senk portato ferro iustificatus est.

(63) Ioannes, Nehol, Bensa de uilla Neugy impecierunt Stephanum de uilla Scela pro homicidio, et de damno octo marcarum. iudice Tibacyo comite a rege delegato, pristaldo Samus. Stephanus portato ferro mundatus est.

(64) Milucy de uilla Guneg impeciit Vanam de uilla Heten de damno suarum rerum ad estimacionem unius marce et dimidie. iudice Alexandro comite de Zobolchy, pristaldo quesa de uilla Dubos. Uanna portato ferro iustificatus est.

(65) Abbas Cegl de Zeploc impeciit uillanos Medueozu, scilicet Zuuzo, Pentek, Brtam, Forcasium, Mattheum et Galum pro latrocinio. iudice Nicolao palatino comite, pristaldo Egidio de uilla Osa. cum uentum esset Uaradinum, predictus abbas renunciauit iudicio ferri candentis, dicens quod falsa opinione homines supradictos de latrocinio impeciisset.

(66) Cantus de uilla Cocot impeciit Niculam de uilla Ianust pro suspicione furti, eo quod cum predictus Cantus apud ipsum Niculam pernoctaret, quinque porci, quos emerat, furtim sunt sublati. Nicula ergo ad examen ferri candentis a Mica comite Bicoriensi, per pristaldum nomine Burz, Uaradinum destinatus, portato ferro se purgauit.

(67) Iordan de uilla Keze, et Keiguez de uilla Shol impecierunt Ugudut, Obudut, Scecam, et Scembegit seruos Thome et Andree, et Dudork et Benczium libertinos eorundem de furto. iudicibus Elia comite de Bekes, et biloto Zeuen, pristaldo de Machya de uilla Meh. prenominatorum furum quatuor, scilicet Ugud, Bunczii, Obud et Secca, portato ferro combusti sunt et suspensi. Dodor ueniens, pre nimia infirmitate ferrum portare non potuit. Szembegi in eadem septimana, scilicet exurge domine, non comparuit.

(68) Petrus curialis comes de Beruczyo impeciit uxorem Chuburd de beneficio. iudice Lek abbate de Berucio, pristaldo Marcello de uilla Marcusii. predicta mulier Uaradini combusta est.

(69) Domina Macya uxor Agbe comitis impeciit Petrum et fratrem eius Shyrinchym, ioubagiones Miske comitis de uilla Gnezted, et ioubagiones Transyluani episcopi Uilelmi, scilicet Palanum et Zulupkum de uilla Felcopusi, de occisione seruientis sui, et pro rebus suis quadraginta marcas ualentibus uiolenter ablatis. iudicibus Shekedz curiali comite Myske, et Herbort curiali comite iam dicti episcopi, et Simone socero supradicti comitis. pristaldus Shama de uilla Cuzeplok, et Hyuet de uilla Shulusth. homo predicte domine portato ferro mundatus est.

(70) Niclous filius Ioannis de uilla Tumas impeciit ioubagiones Martini, scilicet Nemel, Miclous, Eguch, Bibies, Rubuzo et Tekam de uilla Strang, pro latrocinio, et de damno rerum suarum, ad estimacionem duodecim marcarum.

Iudice Culqed curiali comite de Bichor, pristaldo Paul de uilla Heydeb. predicti latrones portato ferro mundati sunt.

(71) Paulus et Tena de uilla Cayhas, et Mogodiam de uilla eadem impecierunt Yled pro rebus suis, duas marcas ualentibus, uiolenter ablatis. iudice Tobia curiali comite de Zounuk. pristaldo Bota de uilla Mochii. supradictus Paulus, pro se et pro fratre suo portato ferro, combustus est.

(72) Cheka et Leseu de uilla Solumus impecierunt Forcasium de uilla Gyrok pro furto. iudicibus Culqued curiali comite et Forcasio biloto, pristaldo Matthia de uilla Culchii. Fur Forcasius portato ferro iustificatus est.

(73) Ioannes de uilla Mochy impeciit conuillanum suum, scilicet Otoqur de furto. iudice Tobia curiali comite de Zounuk, pristaldo Macobio de uilla Elep. Otoqur portato ferro iustificatus est.

(74) Gabriel de uilla Folth litigauit cum uillanis Bagya, scilicet Pet, Terpe, Ioanne, Sycia, pro occisione sui filii, coram iudice Nicolao palatino comite, quos discuciens, per pristaldum suum nomine Ymarad de uilla Seureg misit Uaradinum ad examen iudicialis ferri. qui in loco taliter conuenerunt, ut eorum tres, scilicet Pet, Terpe, Ioannes, darent Gabrieli decem et septem marcas in die s. Ioannis Baptiste in loco Uaradiensi. qui, si non persoluerent in eodem die, duplo persoluere tenerentur, et idem satisfacere iudici. Gabriel uero pristaldo satisfaceret. Sycia tamen, cum filio suo Paulo, in loco Porozlou iuramento suo se purgaret, terram autem, quam prefati uillani a Bugard in commune emtam habebant, cuius occasione homicidium perpetratum est, ex equo diuiderent, ita quod equali particione uterque sibi partem contiguam acciperet. participes autem eiusdem homicidii, qui castrenses sunt, predicti quatuor homines expellere de cohabitacione sua tenerentur.

(75) Ambrosius curialis comes ecclesie Uacziensis impeciit Sunadum de uilla Sunad pro duodecim bobus et quadraginta ouibus uiolenter ablatis, a Benedicto seruo eiusdem ecclesie. iudice Gyula curiali comite, pristaldo Penthek de uilla Ratolt. qui uenientes Uaradinum ad iudicium ferri, taliter conuenerunt, ut predictus Sunad daret unam marcam Ambrosio, et idem iudici satisfaceret. pristaldo uero Ambrosius satisfacere conuenit.

(76) Pisco de uilla Scecen, impeciit conuillanos suos, scilicet: Lodomer, Boroch, Odus, Ioannem, Furces, Albeu, Uruz, pro quinque marcis dimidia minus, iudice Ambrosio curiali comite Ladislai magistri, pristaldo Damiano de uilla Orscy, qui missi ad iudicium ferri Uaradinum, taliter conuenerunt, ut impetiti iam dicti darent tres fertones supradicto Pisco, et satisfacerent iudici, pristaldo eciam communiter satisfacerent.

(77) Michal de uilla Sunad impeciit homines ecclesie Uacensis, scilicet: Fiachiam, Bolosoit de uilla Pispukii pro furto, iudice Gyula curiali comite regie aule, pristaldo Pentek de uilla Ratolt. qui fures Uaradini cum leuato ferro ad solucionem cogerentur, supradictus Michal renunciauit iudicio ferri, dicens se predictos fures falso impeciisse pro furto, pro bono tamen pacis Ambrosius curialis comes ecclesie Uacziensis iudici et pristaldo satisfaceret.

(78) Peth de uilla Bagya impeciit Pousam de uilla Sceguen pro furto, iudicibus Paulo curiali comite, et Pet et Bulsu Bilotis de Heues, pristaldo Scenka de uilla Chazii. predictus fur Uaradini portato ferro combustus est. cuius rei exitu ita consumato, pristaldus idem dixit, quod fratres furis combusti, qui fratris eorum partem tenuerant, a uendicione tam ipsi, quam omnis eorum possessio, per sentenciam iudicis in ipso casu fratris sui iam excepisset.

(79) Ciuiles castri Borsod, scilicet: Mauricius, Petur, Chyul de uilla Oym, et Martinus hodnog, Sanctus cen-

turio, Petrus urbis prefectus, et omnes alii impeciere Cykirk et fratres suos, scilicet: Nemelt, Petrum, Paulum, et Alexium, quod essent eorum contribules, sed illi negauerunt, sed dixerunt se esse de genere equestri, scilicet militum regis, et dixerunt quosdam de genere suo scilicet: Peth et Siciam de uilla Baga. quibus idem constanter asserentibus, Gyula comes frater Ratolt, uicarius iudex regis iudicauit quod homo duorum adductorum, ferrum portaret Uaradini, dato inter eos pristaldo Christophoro de uilla Damiam. cum Uaradinum uenissent predicti ciuiles et ioubagiones castri, refugerunt iudicium ferri candentis, recognoscentes se reddiderunt culpabiles, et coram Uaradiensi capitulo terram eis ad duo aratra in uilla Oym reddere conuenerunt, cum metis undique circumpositis.

(80) Egidius abbas et curialis comes eius scilicet Nicolaus de Patztuh, impecierunt Dezmert, Uiotestig de uilla Uogoluptiuan, quod essent selliferi agazones ecclesie de Paztuh, qui responderunt se esse ioubagiones bellatores predicte ecclesie. iudicibus Banco comite et supradicto Egidio abbate, pristaldo Pernen de uilla Necar, Dezmert pro se et pro aliis Uaradini portato ferro iustificatus est. item idem abbas Egidius et curialis comes eius, sub eodem iudice et pristaldo, impecierunt Zub de uilla Tur, quod esset sellifer agazo ecclesie Paztuh. qui Zub, cum uellet se probare esse ioubagionem bellatorem eiusdem ecclesie, portato ferro combustus est.

(81) Eureus iobagio Egidii comitis de uilla Moioda impeciit Paulum et fratrem eius Bechleem de occisione fratris sui, iudice eodem Egidio comite, pristaldo Buke de uilla Moiota. Paulus predictus portato ferro iustificatus est, Bechleem uero combustus est.

(82) Scegen de uilla Geken impeciit Andream de uilla maioris Geken, quod filiam suam nepoti suo Michaeli uiolenter rapuisset, et hec idem filia illius astruxit. An-

dreas autem respondit, quod non uiolenter sed legitime filiam illius nepoti suo in uxorem adduxisset, et similiter hoc perhibuit testimonium ei Lucas sacerdos de uilla maioris Geken. Ambrosius itaque curialis comes magistri Ladislai, presente archidiacono Paulo discuciens, misit utramque partem per pristaldum nomine Nicolaum de uilla Reuel Uaradinum, ubi prenominatus Scegen portato ferro pro filia sua combustus est.

(83) Ministeriales regis, quorum officium est bactinia portare, conquesti sunt super comitem eorum scilicet Uz, quod institutum debitum eorum excedens, indebitam super eos fecisset exactionem, scilicet ad estimacionem centum marcarum. quos magister Dionysius precepto regis discuciens, misit ad examen ferri candentis, per pristaldum nomine Beke de prouincia Puchia Uaradinum, ubi unus pro omnibus buctiniferis portato ferro combustus est.

(84) Philippus Predan, et mater eorum de uilla Rabay, impecierunt Eculium, iobagionem Drug, pro tribus equis, ualentibus duas marcas, arbitris, Salomone, Elia et Tumpa, pristaldo Sicula, seruiente Helie de Rabay. Eculius pro uiolencia, Uaradini portato ferro, combustus est.

(85) Adamus de uilla Nata impeciit Begedum et fratrem eius Scemedum, ioubagiones Benedicti de uilla Modin, de occisione sui generi per latrocinium, iudice Gyula curiali comite regis, pristaldo Girolth de uilla Libik. Bedeg latro portato ferro combustus est.

(86) Feier de uilla Borozlou impeciit Aruam et fratrem eius Lucam de uilla Senguer, pro rebus suis sex marcas ualentibus, quas frater eorum nomine Neuer, pro quo fide iusserant, furtim surripiens a supradicto Feier, fugerat, iudice Demeno comite de Zothmar, pristaldo Fermeno de uilla Hodosio. homo iam dicti Feier Uaradini portato ferro iustificatus est.

(87) Arnoldus procurator hospitaliorum de Serrach, et Salomon frater impecierunt quosdam ioubagiones castri Zemlum, scilicet: Petrum, Michaelem, Dugus, Chepanum, Uetham, Tumpam, Mocodinum, Mozu et Hyscen, et item castrenses, scilicet: Uillam, Chyan, Bezegu, Poiznau, Retztel, Homar, Zurnob, Torsa et Horkyan de destructione predii hospitalaris, secundum estimacionem triginta marcarum duabus minus. quos Gyula comes de Keue iudex curie discuciens, misit Uaradinum ad candentis ferri iudicium, per pristaldum nomine Ypolitum. ubi prenominati iobagiones castri et castrenses de prefatis uillis pepigerunt dare predictis hospitalaribus undecim marcas, in festo sancti regis Ladislai, coram capitulo Agriensi, et idem satisfacere iudici, partem autem pristaldi hospitalares conuenerunt persoluere.

(88) Nicolaus curialis comes ecclesie de uilla Paztub, cum Agazonibus eiusdem ecclesie, scilicet: Ambrosio, Mouchi et aliis de uilla Crisi, impecierunt quosdam de ioubagionibus eiusdem ecclesie, scilicet: Ilmerum cum genere suo de uilla Uylok, et Elust cum genere suo de uilla Oluptiuan, qui dicentes quod essent agazones prefate ecclesie, ipsi autem dixerunt se bellatores ioubagiones, iudicibus Banco comite, et Egidio abbate eiusdem ecclesie, pristaldo Peruen de uilla Olnémet. qui portato ferro iustificati sunt.

(89) Martinus sacerdos et canonicus Uaradiensis impeciit Iobagiones Ugud, scilicet: Senkam et Uodad, iudice Mica comite, pristaldo Petus. Senka fur portato ferro iustificatus est, Uodad autem combustus est.

(90) Gregorius filius Salad impeciit Tilekam seruum Cosme comitis de occisione sui seruientis, arbitris Iacob, Marcens, Herne et abbate Stephano de Pethur in prouincia Shung, pristaldo Feud de uilla Noen. cum Fileka propter

infirmitatem in locum uenire non posset, Simon frater eius pro illo portato ferro mundatus est.

(91) Teleguen de uilla Tegyegd, et Laurencius sacerdos de Vylok impecierunt Matthiam ioubagionem Ioannis de uilla Pauli de Nyr, pro furto, iudice Culqed curiali comite Bichoriensi, pristaldo Andrea de Bichor. Matthias portato ferro iustificatus est.

(92) Penquez et Laurencius de uilla Soht impecierunt quatuor homines Athile, scilicet: Georgium, Uisam, Uyrsint et Milum, et postea unum hominem Bes, scilicet Petrum de predio Athile de furto, iudice Nicolao palatino comite, pristaldo Martino de uilla Uera. predicti fures cum in die dominico portato ferro solui deberent, unus eorum nomine Georgius combustus est, manus uero trium, scilicet: Uisam, Uirsint et Mil fracto sigillo capituli falso sigillo fuerant sigillate. qui pro iniustis habiti sunt. Petrus uero fur propter infirmitatem leuare non potuit.

(93) Quidam nomine Petrus, coadiuuantibus suis, scilicet: Paulo et Henrico dixit se esse cognatum Marci de uilla Marcu in prouincia barona, coram Nicolao comite palatino. qui predictus Marcus negabat esse suum cognatum. quos iam dictus comes discuciens, per pristaldum suum nomine Petrum misit ad candens ferrum Uaradinum, ubi supradictus Petrus portato ferro, combustus est.

(94) Fabianus de uilla Cumbuk, et frater eiusdem nomine Gala de Beztoron, impecierunt quinque homines de uilla Oron, scilicet: Scentukam, Simonem, Sebrecum, Marcum et Bot pro damno decem marcarum uiolenter facto, iudice Mauro uicecomite Nicolai palatini comitis, pristaldo Paulo de uilla Iohannis. qui Uaradini taliter conuenerunt, ut predicti quinque homines darent supradictis duobus duas marcas et fertonem, et iidem satisfacerent iudici et pristaldo.

(95) Metsa de uilla Fede impeciit hospitem cuiusdam

Zounuk de uilla Uoda, nomine Ioannem de furto, iudice Mauriano curiali comite de Zounuk et biloto Bulsu, pristaldo Atanasio de uilla Dumbul. prefatus Ioannes Uaradini portato ferro combustus est.

(96) Minister regis de uilla Tiuan et de uilla Tót, et tota prouincia de Quemei uociferati sunt coram Nicolao palatino comite contra fures, ex quibus tres homines Shak, scilicet: Uoda, Queren, et Andreas de uilla Scerep fuerunt Uaradini cum pristaldo eorum nomine Toma. quorum Uoda combustus est, Queren mundatus est, Andreas uero infirmitate prepeditus ferrum portare illa uice non potuit, sed recepta sanitate ab eodem iudice per eundem pristaldum ad portandum candens ferrum destinatus, Uaradinum non uenit, et aduersarii eius dato suffragio recesserunt.

(97) Uillani Kenesy, scilicet: Kereu, Uruz, Micus, et omnes alii de prouincia Doboka, litigauerunt coram Turdemetz curiali comite de Canar, cum uillanis Peleka, scilicet: Turuzo, Iolequen, Gyok et aliis, pro terra ad duo aratra et ducentis capeciis frugum, dicentes, quod illam terram uiolenter occupantes coluissent. uillani uero de Pelenka responderunt: quod terra castri, et propria terra eorum esset. quos predictis iudex Turdemez discuciens, per pristaldum Ochy de uilla Scenta misit ad examen ferri Uaradinum, ubi homo uillanorum Kenesi, nomine Petrus, combustus est.

(98) Guttredus prepositus impeciit Simonem et Briccium pro damno quindecim marcarum uiolenter facto, iudice Tobia curiali comite de Zounuk, pristaldo Matthie de uilla Dobur. qui ad ferrum Uaradinum directi taliter conuenerunt, ut Simon et Brictius darent preposito Guttredo tres marcas, in die natiuitatis sancte Marie in loco Zanpto, et idem satisfaceret iudici. prepositus uero Guttredus pristaldo satisfacere conuenit.

(99) Scyrni et Gira de uilla Bice impecierunt uillanos de tota uilla Borsy, coram Forcasio comite de Potok, dicentes, quod cum iuissent ad testificandum pro eis in causa eorum, duarum marcarum fecissent expensam. qui cum hoc negarent, a dicto iudice per pristaldum Urbanum de Potok Uaradinum destinati sunt. hi uenientes ad ferrum Uaradinum, ubi Scyrin pro se et socio suo Gira portato ferro iustificatus est.

(100) Uduornici regis de uilla Fonchol impecierunt quosdam de predio Guerus filii Nane comitis, quorum nomina sunt hec: Nuhu, Uidu, Andream, Fatam, Mogdut, dicentes, quod eorum essent conserui, illi autem dixerunt se esse liberos, et hoc idem dominus eorum contestatus est. Nicolaus itaque comes palatinus, dato pristaldo nomine Cyama, misit utramque partem Uaradinum, ubi predicti Uduornici seipsos recognoscentes, coram curiali comite ipsorum nomine Mekeyn et pristaldo iam dicto, memoratum Nunhu subterfugerunt, dicentes quod non esset de conseruitute eorum, sed falsâ opinione ipsum impeciissent. Uid autem portato ferro iustificatus est, reliqui uero tres, scilicet: Andreas, Fata, et Mogd combusti sunt.

(101) Comprouinciales de Békes uersus Sceguholm uociferati sunt contra fures, coram iudicibus a rege delegatis, uidelicet: Mika Bihoriensi comite et Hylia comite de Békes. qui missis pristaldis eorum, scilicet: Petro de uilla Bokc et Hectore de uilla Hegy, et citatis furibus facto iudicio Uaradinum eos ad iudicium ferri candentis destinarunt. ubi Bata de Kaba, Chibury et Banus ac Georgius de uilla Zaar, Hiliachin quoque de uilla Turda, item Ynd et Mortun de uilla Uduori, omnes inquam isti portato ferro iustificati sunt. Baghia uero de uilla Curbei, ioubagio germani, combustus est, et de ecclesia non exiuit ad solucionem.

(102) Castrenses Zathmar de uilla Uoda impecierunt

uxorem et filios Andree comitis filii Iose, scilicet Simonem et Michaelem, dicentes quod Andreas comes occupasset terram de porcione ipsorum ad septem aratra, et adiunxisset terre sue, quam rex Andreas dedit illi ad quindecim aratra. prefata autem domina et filii eius responderunt, quod illa porcio iure emptionis attineret ad eos, quia parentes Andree comitis dudum emissent a Cosma filio Gyuna. Dethmar itaque curialis comes Simonis, quendam Uoiouoden, nomine comitis de Zathmar, ex precepto domini sui iudicis a rege delegati, per pristaldum nomine Petrum de uilla Peto discussos misit Uaradinum ad candentis ferri iudicium, ubi prenominati castrenses, scilicet: Chepanus, Thomas et Kusa, presente Petro ioubagione eius de castro, qui se ab omnibus ioubagionibus suis, scilicet: Andrea, Chod, Nogione, Subret, Paulo et omnibus aliis missum esse perhibuit, subterfugerunt iudicium ferri candentis, dicentes quod falsa opinione predictam dominam et filios eius de iam dicta terra impeciissent.

(103) Uduornici regales de uilla Eruhud impecierunt quosdam de predio Olodari filii Achillis comitis, scilicet Potham et Chumur, dicentes quod eorum essent conuduornici. illi autem dixerunt se esse liberos, et hec idem astruxit dominus eorum. quos Nicolaus comes Palatinus discuciens, per pristaldum nomine Chamam misit ad iudicium ferri candentis Uaradinum. ubi homo uduornicorum portato ferro pro uduornicis, iustificatus est, Potham et Chumur de Tohut remanserunt.

(104) Pousa de uilla Boroch impeciit ioubagionem Ape de uilla Sedan nomine Scentum, dicens quod pedisequam eius esset furatus, iudice Mouricio Nicolai comitis Palatini Uicario, pristaldo Peta de uilla Achad. prefatus Sentus Uaradini portato ferro combustus est.

(105) Comprouinciales de Bichor uociferati sunt contra fures, coram Mica comite Bichoriensi iudice a rege

Andrea delegato, qui misso pristaldo suo nomine Zacheo de uilla Nadudor, et citatis furibus facto iudicio, misit eos Uaradinum, ubi Tunou de uilla Kolond portato ferro iustificatus est. Oldruh de uilla Harsan combustus est, sed fugit ad ecclesiam, Murich de uilla Ucan combustus est. Moglon de uilla Iratz iustificatus est. Hollus de uilla Pescera combustus est. Calondus de uilla Bosold combustus est, sed de ecclesia non exiuit ad solucionem. Iacob de uilla Giontoy filius Forcos portato ferro latenter fugit.

(106) Pousa de uilla Kerequi impeciit quendam nomine Unucam, de combustione domus sue et damno sex marcarum, iudice Kulqued curiali comite de Bichor, pristaldo Fuico. prefatus Unuca Uaradini combustus est.

(107) Hisce seruus Farcasii de genere Katha impeditus de furto a Lodomero et comprouincialibus Zounuk, iudice Paulo comite de Chenadio pristaldo Ioanca, portato ferro iustificatus est.

(108) Zauida de uilla Chroath impeciit Gecham de predio Demetrii, pro boue furtim sibi sublato. Giecha autem duxit quendam nomine Saden de uilla Boka, dicens quod ab ipso bouem illum emisset, ille autem non contradixit, sed asseruit illum bouem esse filium uacce sue. cui cum non crederetur, Uitalis curialis comes de Zounuk, per pristaldum nomine Nunchiz ad examen ferri candentis misit Uaradinum. ubi cum prefatus Saden ferrum esset portare paratus, prenominatus Zauida renunciauit cause sue, dicens quod falsa opinione ductus bouem illum pro suo boue cepisset.

(109) Uedus de uilla Gyurb impeciit Opochum de uilla Guezt pro furto, iudicibus Quilqed curiali comite, et biloto Forcasio, pristaldo Zugna de uilla Uduory. Uaradini Opoch portato ferro iustificatus est.

(110) Anno dominice incarnacionis millesimo ducentesimo decimo nono ioubagiones castri Karaznay, scilicet:

Ruben maior exercitus, Echilleus uarnog, Euzud et Pinna centuriones, et Paradan et ciues eiusdem castri, scilicet: Byuncy, Ucyk, Mikus et ceteri, traxere in causam Lulan filium Uaca comitis, pro parte terre sue que uocatur Poyaspotok, dicentes quod uiolenter illam occupasset. predictus uero Lula dixit eandem terram iure hereditario se possidere. Martinus igitur comes, frater Seud, precepto regis eos discuciens, posuit super iuramentum Lule, qui super sepulchrum s. regis Ladislai coram pristaldo regis nomine Toma, filio Tup de uilla Mata, et coram capitulo Uaradiensi iurans, iustificatus est.

(111) Ioubagiones castri Carazna, scilicet: Ruben, Echileus, Euzud, Pinna et Paradan, et ciues eiusdem castri, scilicet: Buncy, Ucyk, Micus et ceteri, traxere in causam alium Leonardum filium Poneci, pro quadam parte terre sue que uocatur Cesar, dicentes quod uiolenter occupasset. predictus uero Leonardus dixit eandem terram iure hereditario possidere. Martinus ergo comes frater Seud, precepto regis discuciens posuit super iuramentum Leonardi, qui super sepulchrum s. regis Ladislai, coram pristaldo regis nomine Toma filio Tup de uilla Mata, et coram capitulo Uaradiensi iurans, iustificatus est.

(112) Eureus et frater eius Beda de uilla Chytmeu litigauerunt cum Toma et Mauog de eadem uilla, coram Smaragdo comite de Poson, qui discuciens eos, per pristaldum suum Chequeum de uilla Gormot misit ad examen ferri candentis Uaradinum, ubi predicti Tomas et Mauog conuenerunt dare aduersariis suis Euresdino et fratri eius Bede unam marcam, et idem pristaldo satisfacere. iudicis uero partem Eureus et Beda dare conuenerunt.

(113) Ocy de uilla Solumus impeciit quattuor iobagiones Bele de uilla Guolozka de furto, quorum nomina sunt hec: Modoros, Chebe, Chymp et Bud, iudice Tobia euriali comite de Zounuk, et altero biloto Toma, pristaldo

Galus de uilla Domlun. Uaradini tres ex illis furibus portato ferro sunt iustificati, scilicet: Modoros, Chebe, Chymp. Bud uero in dato termino non comparuit.

(114) Unuca de uilla Zamtou impeciit conuillanum suum scilicet Paulum de furto, iudice Quilged curiali comite de Bichor, pristaldo Agard de eadem uilla Zamtou. Paulus portato ferro, dum die dominica da pacem manum suam soluendam porrigeret, supradictus Unuca renunciauit iudicio ferri candentis, dicens se falsa opinione inductum, supra nominatum Paulum de furto impeciisse.

(115) Bartholomeus de uilla Naduduor impeciit Henricum filium Pous de eadem uilla, dicens quod seruum suum nomine Fatam uiolenter ei abstulisset, at ille respondit, quia non, sed cum pater eius nomine Saturninus teneretur ei in quinque marcis, duabus solutis, pro tribus dedisset ei seruum prenominatum, et super hoc adduxisset testes. sed Mica-comes Bichoriensis, testibus productis non contentus, misit utramque partem Uaradinum ad examen ferri candentis, per pristaldum nomine Ioannem de uilla Apaty, ubi prenominatus Henricus seipsum recognoscens, reddidit seruum Bartholomeo.

(116) Regine hospites de prouincia noui castri, scilicet Teutonici de X. uillis, que dicuntur Felnémet, Cüzépnémet, Olugnémet, Puruen, Guncy, Uruzca, Uisl, Igyházasuisl, Cece, Dubucya, impecierunt uillicos suos, scilicet: Sibretum et Michaëlem de falsa uillicacione, dicentes, quod oppressores essent populi et dilapidatores rerum ipsorum. quorum causam Ocyus Banus ex precepto et auctoritate regis discuciens, computando centum et decem marcas argenti in damno, et misit eos Uaradinum ad examen ferri candentis, per pristaldum nomine Augustinum de uilla Pel. ubi predicti actores de X. uillis remiserunt Sibreto et Michaëli partem suam de damno quod requirebant, ita tamen quod ipsi eiicerentur de cohabitacione X.

uillarum cum uxoribus et filiis, sine spe reuertendi, et ipsi idem Sibretus et Michaël iudici satisfacerent et pristaldo. executores autem huius cause fuerunt Nicolaus, Andreas, et Iacon et Elcy de X. uillis.

(117) Fulcus de uilla Megyer impeciit Uosodum, Stephanum, Nicolaum, Pec et alios de uilla Qestest pro quatuor marcis, in eorum fideiussione cuidam eorum conuillano accomodatis, iudice Forcasio curiali comite de Bichor, pristaldo Bencya de uilla Quenes. homo predicti Fulcus portato ferro iustificatus est.

(118) Bansa et Ysou de uilla Naduduor impeciere quendam conuillanum suum nomine Uisatan, de uerberacione duorum seruiencium, et damno octo marcarum uiolenter ablatarum, iudice Mica comite de Bichor, pristaldo Ioanne de uilla Apáthy. qui cum uenissent Uaradinum ad examen ferri candentis pacificati sunt, iudici et pristaldo satisfacere conuenientes, Bansa uero et Isou pro bono pacis supradicta, que requirebant, totaliter remittentes.

(119) Pouca de uilla Buza impeciit conuillanum suum nomine Munkách, et omnes alios conuillanos eiusdem uille de consciencia et conspiracione homicidii. quos Mica comes de Bichor discuciens, per pristaldum suum scilicet Colondum de uilla Noozul misit ad iudicium ferri candentis, ubi Munkach pro se, et unus pro uillanis, portato ferro iustificati sunt.

(120) Comprouinciales de Dus, et horum specialiter ioubagio Pauli, filii Mocou, scilicet Martinus de uilla Benea, et abbas de Zam et abbas de Ubod et Beque de uilla Suma, hi omnes impeciere fures, uidelicet: Lodut de uilla Irund, Simonem et Botam, de uilla Nozta, Eliam de uilla Uzlári, Dionysium de uilla Uita, Stephanum et Rupoum de uilla Gymey, iudice Mica comite de Bichor, pristaldo Ioanne de uilla Apáthy. de nominatis furibus Stephanus et Elias com-

busti sunt, et Rupo fugit in ecclesiam et ad solucionem non exiuit. alii mundati sunt.

(121) Uazy de uilla Qezy impeciit Nucam, Petrum, Urbanum et Ud de predio Demetrii, uidelicet Puse, sed tamen castrenses Bichor, de latrocinio, iudice Qulged curiali comite, pristaldo Agard de uilla Megyes. Nues portato ferro fugit in ecclesiam, et ad solucionem non exiuit, Ud iustificatus est, Petrus et Urbanus Uaradinum non uenerunt.

(122) Abbas de s. Henrico et patronus ecclesie impeciit filios Stephani, scilicet Michud, Aladarum et Bazlou pro centum marcis uiolenter ablatis, iudice Benedicto bano, pristaldo Pouca de uilla Cokot. qui cum Uaradinum uenerunt, filii Stephani conuenerunt dare abbati et patrono ecclesie triginta marcas, et satisfacere pristaldo. abbas uero iudici satisfacere conuenit.

(123) Iuna ioubagio Laurencii de uilla Irund impeciit Gyomam iobagionem Erdey de uilla Pauli pro damno trium fertonum, iudice Erde, pristaldo Egidio de uilla Paul. qui cum uenisset Uaradinum, Gyoma conuenit dare predicto Iune septem pondera argenti et satisfacere iudici, pristaldo uero Iuna satisfacere conuenit.

(124) Uztras frater Tubul de uilla Hongun impeciit ioubagiones castri Sásuár, scilicet: Zoboslou, Utesam, Bagdanum, Chequeleu, Polouk, et castrenses de uilla Drancy, scilicet: Kraznet, Coetan, Uisatan et alios de destructione predii sui, scilicet damno secundum estimacionem uiginti marcarum argenti, iudice Demetrio magistro uice regis iudice, pristaldo Adriano de genere Kalatha de uilla Scily. quibus Uaradinum destinatis ad examen ferri candentis, homo predicti Uztras portato ferro iustificatus est.

(125) Cum Eccy comes filius Eccy emisset terram nomine Camana, a Leua filio Cusyd, elapso aliquanto

tempore, Michaël filius Michaëlis, frater Edemen requisiuit eandem terram pro sua terra, et cum non posset ad probandum hoc aliquod argumentum inducere, Ladislaus comes Bachiensis et iudex curie posuit super iuramentum Eccy comitis. sed consilio amicorum utriusque partis, et licencia iudicis taliter conuenerunt, quod Eccy comes daret Michaëli uiginti marcas una minus, et Michaël dimitteret predictam terram Eccy comiti pro iure empcionis, ita quod si quando a quocunque eadem terra ab Eccy comite uel posteris eius requireretur, Michaël uel eius heredes Eccy comitem iustificare tenerentur. et ut exitus huius cause indelebilis existat, nominatus Eccy comes cum pristaldo huius cause nomine Mycud filio Athe Uaradinum ueniens, persoluit nominato Michaëli uiginti marcas una minus, capitulo et pristaldo presente.

(126) Cbygz et Iacob filii Buns, euntes cum Unuca filio Forcos de Békes pristaldo scilicet, et seruo Ladislai comitis de Baach et iudicis curie ceperunt seruum suum nomine Cucus, apud Budam filium Forcasi. quomodo dum Buda diceret liberum esse, illi probabant eundem seruum suum esse. sed consilio amicorum utriusque partis et licencia iudicis memoratus Buda memoratum Cucus redemit a seruitute in absolutam libertatem, ita quod quando ipse Cucus et filius eius, et omnis generacio ab eisdem successura, ubicunque uellent manendi fas haberent. Cucus autem reddidit Bude pecuniam, quam scilicet Buda pro ipso dederat, scilicet duas marcas et dimidiam.

(127) Populus ecclesie Bistriensis de uilla Suptal impecierunt nomine Tub de uilla Fiues, pro uiolencia, dicentes ipsum quattuor equos et sex boues ab eis uiolenter abstulisse. preterea quod tres uiros et unam mulierem grauiter uulnerasset, et unum uirum quoque abductum occulte retineret. que omnia cum memoratus Tub negasset, Ladislaus comes Báchiensis et iudex curie, per pristaldum

nomine Gabrielem de uilla Oztanca misit ad examen ferri candentis Uaradinum, ubi unus de predicto populo, nomine Buhcud, portato pro se et pro conuillanis suis ferro iustificatus est. in eadem tamen septimana abbas Bistriensis cum deberet iurare, et soluere iudicium memorato aduersario populi sui, non fuit Uaradini nec iurauit, nec iudicium quo tenebatur persoluit. porro nominatus Tub, iudicium, secundum sentenciam predicti iudicis, in quo tenebatur condemnatus est erga populum Bistriensem, uidelicet octo marcas et decem pensas, totaliter persoluit, nobis presentibus in manus Lyther et Pous procuratorum de Bistria, quos ipsi cognouimus, ita quod ambo in nullo tenerentur pro hac causa.

(128) Bagba filius hodnogionis Luce, cum haberet seruum nomine Stephanum, permisit eum redimi pro sex marcis et fertone, a quodam iobagione suo, socero uidelicet eiusdem serui nomine Crust, cum uxore sua Moxa et filio Chegza. de quibus duobus habetur in precedentibus scriptis. in tantam autem libertatem sunt redempti, quod tam ipsi quam omnis generacio ab eisdem successura ubicunque uellent manendi fas habeant.

(129) Ladislaus comes de Baach et iudex curie per suas nobis literas intimauit, quod Lucas ministerialis ecclesie de Currud teneretur pro quodam Deguz nomine soluere Uaradini in festo s. Michaelis Iacou et Ioanni quattuordecim marcas et decem et septem pondera, et acceptis tandem illis, idem Iacou et Ioannes haberent ius requirendi seruos suos. predictus itaque Lucas in predicto festo et loco persoluit predictis Iacou et Ioanni summam predicte pecunie nobis presentibus, et Sebastiano de uilla Baba, pristaldo huius cause.

(130) Domina Margaretha uxor quondam Torcunca comitis, habens terram hereditariam nomine Gilianus ex donacione patris eius, uidelicet Forcasii, et fratrum suorum

scilicet, Ioannis et Pauli. mortuo patre suo et marito, inconsultis fratribus suis, donauit eandem terram Cruciferis s. Ioannis Baptiste. fratres autem eius predicti duxerunt eam in causam ante regem Andream, dicentes non licere ei quoquo modo alienare terram illam aliis, cum ipsi sint commetanei et ipsa terra sit eis hereditaria. rex itaque cum principibus suis id ipsum senciens, dato pristaldo nomine Fonchuca fratre Heym, precepit terram illam uenundari predictis predicte domine fratribus. qui cum iam dicto pristaldo uenientes Uaradinum, dederunt Cruciferis prefatis pro sepe iam dicta terra precium, secundum estimacionem regni uiginti et duas marcas, fertone minus, et terram in eorum ius regis auctoritate reuolutam, testimonio nostri capituli Uaradiensis sibi fecerunt adscribi.

(131) Cum ecclesia sancti protomartyris de territorio Uaradiensi quandam terram suam, nomine Thomasci, contulisset usu fructuario Raphaëli filio Thome comitis: Raphaële autem in persona et in cunctis possessionibus suis, pro quadam enormitate facinoris sui contra comitem Both, publice condemnato, prenominata terra inter ceteras nominati Raphaëlis terras in manus regis Andree deuenisset, rex uero Ladislao comiti de Bách et iudici curie terram eandem contulisset, Philippus prepositus ecclesie sancti protomartyris, cum priore Adriano et Cornelio custode, nec non uniuerso eiusdem loci capitulo, requisiuerunt supradictam terram, dicentes et testimonio priuilegii ostendentes, quod prefata terra ecclesie sancti protomartyris esset, et prefato Raphaëli, utpote deuoto ecclesie filio, usu fructuario collata, inter facultates ipsius Raphaëlis ab ecclesia non deberet alienari. rex itaque cum suis principibus de iam dicta terra taliter definiuit. quod supradicta sancti protomartyris ecclesia supradicto Ladislao comiti centum marcas persolueret, et sic supradicta terra Thomasci ad ipsam sine omni contradictione iure perpetuo re-

diret, et factum est ita. nam prepositus eiusdem loci nominatus cum nominatis fratribus suis, centum marcas coram pristaldo regis, uidelicet Petro filio Lud, presentibus nobis persoluentes, sepe iam dictam terram in ius sepedicte ecclesie redemerunt. nos conuentus Uaradiensis huius rei testes sumus.

(132) Cum Scemer filius Scemera in ultimo testamento dedisset ecclesie s. Georgii dusinicum quendam de predio Iouse nomine Dera, ut in festo s. Michaëlis celebraret exequias, cum una oue competenti, triginta panibus et quattuor idriis cereuisie, ipso Scermer mortuo, quidam cognatus eius nomine Cosma, detinebat eum apud se inuitum, nec permitebat eum explere seruicium suum. filie itaque predicti Scemar, scilicet Benedicta et Rosa, ad que omnia requisiuerunt coram Ioanne preposito Uaradiensi, nominatum dusinicum dicentes, quod memoratus earum cognatus dimissum a patre suo dusinicum apud se inuitum detineret, et non sineret officium suum adimplere. quod cum iam dicto preposito constitisset, dato pristaldo, scilicet sacerdote iam dicte ecclesie nomine Paulo, nominatum dusinicum restituit in officium, in quo ipsum dominus suus stabiliuerat, mandans eidem dusinico ut a predicto Cosma recedens, mansionem sibi secundum arbitrium magistri capelle s. Georgii eligeret, memoratus autem Cosmas daret ei iuuencum unum, quattuor oues, et octo capecias frumenti, ut habeat ex his seminaria rerum, ex quibus possit exequias celebrare.

(133) Ciues castri de Nougrad de uilla Sembur, scilicet Chepanus, Péntér, Rodus, Pousa, Domald, Stephanus, Oucus, Zunga, et Ioannes, coadiuuantibus eiusdem castri ioubagionibus, scilicet Loudan principe exercitus, Nicolao, Bohmel, Paulo, Both, Tiburcio, et Michaële, requisiuerunt terram cuiusdam liberi hominis de nomine Peth, que est ad quattuor aratra, dicentes terram esse castri, et ab

ipso uiolenter occupatam in eadem uilla, coram Ladislao iudice curie et comite Bachiensi. qui Peth cum terram suam iure empcionis se possedisse respondisset, nominatus iudex utramque partem ad examen ferri candentis per pristaldum nomine Imurad de uilla Sceureg transmisit Uaradinum. ubi cum sepius dictus dominus Peth ferrum leuasset et ad diem solucionis accesisset, nominati ioubagiones castri sese recognoscentes, memoratam terram nominato Peth pro terra sua resignauerunt, que terra habet metas ab oriente de Topka, et a meridie habet terram sancte ecclesie Paztuh, inde graditur per uallem nomine Potok, ad montem Grab, inde ad Sember, et de Sember incedit ad Hogoua, ibi desinit esse, ut nominatus pristaldus dixit nobis, coram aduersa parte et idem asserente.

(134) Paulus seruiens Tihe canonici Uacszienses, impeciit quasdam mulieres, scilicet Mizla et Utalou, dicens quod ancillam suam nomine Scereteu clam abduci fecissent, quod cum ille negassent, memoratus Paulus induxit quendam nomine Paridem, qui ei de facto illarum suggesserat. quod cum ipse Paris constanter contra illas assereret, Brictius episcopus Uacziensis prenominatam Mizlam et Paridem misit Uaradinum, ad examen ferri candentis, ubi illa portato ferro pro se et pro domina Utalou combusta est.

(135) Philippus filius Cosme manu misit quendam libertinum suum nomine Zup, cum filiis suis Both et Bata, talem eis conferens libertatem, ut quam ipsi tam omnis generacio ab eisdem successura ubicunque uellent manendi fas haberent.

(136) Anno uerbi incarnati millesimo ducentesimo trigesimo quinto, regnante gloriosissimo rege Andrea, uenerabili Benedicto Uaradiensi episcopo, Dionysio comite palatino, Stephano Bichoriensi comite existente, Aniano lectore et notario Uaradiensi, factum est: quod Omoczei

filius Ioannis, cum esset sine omni herede, protestatus est nobis oretenus, quod filios fratris sui Elie, Petrum scilicet et Georgium atque Matthiam, et quendam eorum cognatum nomine Sedebur, filios sibi faciens adoptiuos, porcionem suam, que est uersus ecclesiam sancti Petri de terra Cornust, dedisset prenominatis tribus fratribus filiis scilicet Elie prenotati et Sedebur in commune, ita, quod quam diu ipse Omoczel uel uxor sua uiueret, predicta porcio sicut antea iuris eorum esset uel si eos heredem habere contingeret, in ius illius heredis hereditario iure cederet. si tamen ambo sine herede decederent, ea lege in ius nominatorum quattuor fratrum nominata porcio deuolueretur.

(137) Ibrahin archidiaconus de Zobuslou quendam adolescentulum nomine Paulum seruum suum, ut ipse dixit, empticium manumisit, ita ut quam diu ipse uiueret ei seruire teneretur. post mortem autem ipsius ita liber foret, ut et ipse Paulus et omnis generacio ab eodem successura ubicunque uellet manendi fas haberet.

(138) Teco filius Thome de uilla Debrezun, et sororius eius Hemiricus filius Mauricii de uilla Zeb protestati sunt nobis, quod cum esset controuersia inter ipsos de quadam ancilla nomine Chynchola, et duabus eiusdem filiabus, scilicet Ancilla et Cecilia, ita quod predictus Hemiricus diceret cum uxore sua conductas, Teco uero assereret easdem a predicto sororio suo titulo empcionis redemptas, consilio arbitrorum, uidelicet Michaëlis filii Matthie comitis et Petri fratris Buch, et aliorum conprouincialium taliter inter se conuenerunt, quod prenominatus Hemiricus prenominatas ancillas uendidit socero suo predicto Teco, accipiens ab eo marcam et fertonem.

(139) Domina Rosa filia Briccii archipresbyteri mortuo marito suo et filiis suis oretenus nobis est protestata, quod indulsisset omnia dotalicia sua, et cuncta in quibuscunque maritus suus Lodomerus ei tenebatur, et absoluit

omnes cognatos mariti sui, et omnes quicunque fideiusserant pro marito suo, scilicet Habraham et Ysahac, et Farcasium, Paulum, et Gregorium.

(140) Pascha pristaldus Dionysii palatini comitis, quod ex literis eiusdem palatini percepimus, statuit ante nos Gregorium abbatem de Kuru ex una parte, et Tunnarios regales de uilla Tunnal ex alia, scilicet Andream, Tupur, Chama, Thuch, Halad, et Bogy, dicens quod prenominatus abbas deberet iurare super sepulchrum s. regis Ladislai, pro terra monasterii Kuru nomine Tumban, que est iuxta Crisium, uersus meridiem prope monasterium s. Ioannis Baptiste. cumque prefatus abbas paratus esset iurare, placuit utrique parti, quod terra iam dicta prius metaretur. quod cum factum esset, memorati Tunnarii se recognoscentes, terram quam requirebant dimiserunt monasterio Kuru, pro iure suo, et reuersi protestati sunt coram nominato pristaldo, se iam dictam terram cum molendino et ponte sepe iam dicte ecclesie remisisse.

(141) Stephanus Clericus filius Hus protestatus est, quod cum quidam Hagya ciuis Culusiensis, impeciisset nomine Henguch de uilla Hem, pro furto, et Henguch iudicio ferri fuisset iustificatus. prenominatus Hagya remansit in iudicio sex marcarum, et eo non habente unde sex marcas persolueret, iudex huius cause nomine Nucden curialis comes, per manum pristaldi sui nomine Luxa de uilla Lomb, posuit eum et uxorem eius et unicum filium eiusdem nomine Abbeus pro sex marcis apud auum suum nomine Ualderum hospitem de Bichor. quo mortuo remansit prefatus Hagya, titulo uadimonii apud Hus patrem suum, scilicet filium predicti Ualteri, patre autem suo defuncto, idem Hagya remansit ei. ab eo autem sepe dictus Hagya redemit seipsum et uxorem suam et filium suum, redditis ei sex marcis quas ab auo suo mutuauerat, et ita

debito plenarie absoluto, remansit et ipse et uxor sua et filius liber in perpetuum.

(142) Ego Benedicta uxor Herczeg de genere Borsa, duabus filiabus meis iuxta natalium suarum dignitatem maritatis, et rebus meis eisdem legitime traditis, emi a cognato meo Ualeriano cantore, cum consciencia et consensu cognatorum eius, scilicet Ustaur fratris eius, et magistri Aniani auunculi eius et aliorum, ancillam nomine Agnam, cum duobus filiolis eius, Hetam scilicet et Furtun. et proponens dies uiduitatis mee et filiorum pro ecclesia de Ugra consumare, appropinquante iam termino uite mee, prenominatam ancillam dedi eidem ecclesie, ut singulis mensibus det ad altare beate uirginis candelam unius cubiti, et hoc usque consummacionem uite sue. alterum autem filiorum suorum, scilicet Hetam constitui dusinicum exequialem, ut singulis annis ad eandem ecclesiam in festo s. Michaëlis celebret exequias, bienni boue et panibus, quinque idriis cereuisie. alterum uero, scilicet Furtun, dedi eidem ecclesie in campanarium, et ambos in constitutis officiis de generacione in generacionem permanere.

(143) Liter de uilla Hotuon impeciit Dosum de uilla Dobur, de consciencia perdicionis equi sui, ualentis marcam et dimidiam, perditi in bello, iudice Coma comite de Zounuk, pristaldo Ilegnen de uilla Ursei. Liter itaque portato ferro Uaradini combustus est.

(144) Sunk de uilla Király impeciit Geruasium conuillanum suum, de duabus marcis et dimidia, iudice Seruodei curiali comite de Zobolch, pristaldo Martino de uilla Lopecur. Sunk et Geruasius Uaradini taliter conuenerunt, quod Geruasius daret aduersario suo marcam et fertonem, et idem pristaldo satisfaceret, partem autem iudicis Sunk teneretur persoluere.

(145) Bechy impeciit de uilla Zuat castrenses pro duabus marcis, iudice Beken curiali comite de Clus, pri-

staldo Petro. predicte autem partes Uaradini taliter conuenerunt, quod castrenses darent Bechy triginta et quattuor pondera, et idem pristaldo satisfaceret, pro parte autem iudicis Bechy teneretur.

(146) Hegun de uilla Sorloud impeciit omnes uillanos de Tuluold, dicens quosdam uiolentos, quod dum fugiens ad eos confugisset, ipsi omnes ostia sua claudentes, eum uiolentis spoliandum exclusissent, et illis spoliato ipso recedentibus, ualens tres marcas eis commisisset, iudice Nuechlen curiali comite de Zaránd, pristaldo Benedicto. Hegun itaque cum portato Uaradini ferro solui deberet, Canonici manum eius non inspexerunt, quia sigillum non sanum inuenerunt.

(147) Uniuersi castrenses de Cornust impecierunt uillanos de Sob pro conciuibus suis, coram Mica Bichoriensi comite. illi autem dixerunt se iobagiones esse a generacione, qui scilicet liberi sancti regis dicuntur, et semper hoc asseruerunt se alias eciam iustificatos esse contra uniuersos castrenses de centurionatu Sapuri, ante Siculam curialem comitem de Bichor, precepto item Mice comitis et auctoritate in eadem causa functum, et habere pristaldum nomine Uodassam de uilla Nek. qui cum iussi exhibere eundem pristaldum tribuissent, ciues de Cornust non ausi sunt ei uictum falsitatis opponere, quibus supradictus iudex condemnatis, ipsos et idem uillanos de Sos per Gilianum filium Bocion contubernarium suum Uaradinum transmisit, ubi prefatus Gilianus ex parte Mice comitis se transmissum esse dicens, coram predictis partibus et pristaldo premissam causam eo ordine ac tenore quo scriptum est enarrauit, et presentibus literis fecit eternari.

(148) Bulsuh dux exercitus de castro Zounuc, et ut ipse dixit alii iobagiones eiusdem castri, item Bucicud, et ut ipse dixit alii castrenses, impecierunt Felicianum et fratrem eius Thomam, atque Georgium nepotem eorundem

dicentes, quod essent castrenses de Zounuk, iudice Smaragdo comite eiusdem castri, a rege Andrea delegato, pristaldo Andrea de uilla Karil. Georgius itaque pro se et cognatis suis prenominatis portato ferro Uaradini, cum solui deberet, non est permissus absolui a Bulsu et Bucicud, quorum uterque uice et in persona aduersariorum suorum se stare dicentes, resignauerunt predictos Felicianum, Thomam et Georgium esse omnino liberos, ut illi de se asserebant.

(149) Buciur de uilla Puklusteluc impeciit conuillanos suos Lekam et Isoum de latrocinio, iudice Paulo curiali comite de Bichor et Cihoud biloto, pristaldo Uica. Leka itaque et Isou portato ferro Uaradini iustificati sunt.

(150) Cum Masa de uilla Sorou iudicio candentis ferri conuictus esset Uaradini de furto, et in Bichor, ut pristaldus asseruit, confugisset et ecclesiam, aduersarii eius Kaled et Beta, et pristaldus ipsius Honos, presente Cesario centurione uendiderunt prefatum Masam, et uxorem eius Felicitatem, et filios ipsius Thomam, Tanals et Gyonon, et filias scilicet Magnet et Ilega, pro decem marcis, Absoloni filio Hurt qui persoluit illas decem marcas presentibus nobis canonicis Uaradiensibus, scilicet Ualeriano cantore, Michaële custode, Gerardo decano, Petro, Sidrac et aliis, et idem scientibus Cesario centurione et aliis ioubagionibus castri Bichoriensis.

(151) Paul de uilla Urhud impeciit conuillanam suam nomine Uyes uxorem Forcos de ueneficio, iudice Pousa archidiacono de Bichor, pristaldo Ualentino. illa uenit Uaradinum cum pristaldo. Paul non comparuit in termino, quem pristaldus dixit se utrique parti assignasse.

(152) Martinus de uilla Utholm impeciit conuillanos suos Tyuand, Georgium, Fulcum et Briccium, filios Urbani de latrocinio, iudice Lothardo comite de Zobolch,

pristaldo Matthia de Tumsansuna. Tyuand, Fulcus et Georgius iustificati sunt, Brictius combustus est.

(153) Ellu filius Ioannis comitis impeciit Cunsudu seruum Adriani de uilla Salu et sororis eius uxoris Uid, de furto, iudice Paulo curiali comite de Bichor, pristaldo Boncy. Cunsudu portato ferro cum solui deberet, Ellu subterfugit, dicens se illum falso impeciisse de furto.

(154) Uxor Uid mortuo marito cum esset sine herede manumisit quandam ancillam suam nomine Deraga, ut quamdiu ipsa uiueret illa de ea non discederet sed ei seruiret. si autem domine sue superuiueret ubicunque uellet manendi haberet libertatem, filiumque ipsius nomine Cunsudu, cum fratre suo Adriano in idem consenciente manumisit, ac tali libertate donauit, ut ubicunque uellet manendi fas haberet, si tamen in uilla Salu ei placeret habitare, non nisi apud ipsam et fratrem suum Adrianum maneret. filiam quoque eiusdem mulieris nomine Kesam taliter liberauit, ut quam ipsa tam omnis generacio ab eadem successura libera foret omnino. omnium uero aliarum rerum quecunque habet eadem domina uel habitura est, supradictum fratrem suum Adrianum heredem constituit, ita tamen quod ipsa dum uixerit eis utatur.

(155) Zoloc de uilla Rechel impeciit Marcum, Iuan et Marcellum de uilla Botocun, dicens quod cum ipse nec conuictus sit in lite, nec eciam quisquam litigauerit cum eo, ipsi cum pristaldo ignoto accepissent quatuor boues eius. quibus rem negantibus, Tupa curialis comes de Karasna, per pristaldum nomine Golosa de uilla Bani misit Uaradinum, ubi Zoloc portato ferro iustificatus est.

(156) Perman de uilla Ip, impeciit Stephanum et Egidium iobagiones Buncu de uilla Coznis, dicens quod seruus suus nomine Rugas clanculo accepisset pecuniam suam ualentem octo marcas, et hoc ipsum dicebat seruus ille arbitris, abbati de Libbinii et Ders filio Derseo et Pogu

uillico et Dezuan et Buncu et Luzen de uilla Nog, Bolu et Ioachim uillico de Ipu, et aliis multis, pristaldo Methel. Stephanus autem et Egidius portato ferro iustificati sunt.

(157) Beda uarnog, Igeben hodnog, Isac centurio et uodasa de castro Clus coram iudice Christophoro comite, pristaldo Fabiano impecierunt Bansam de uilla Naduduor et fratres eius, scilicet Comam, Isoum et Elexium, dicentes eos extorres. qui cum missi iurare Uaradinum parati essent iurare prenominati aduersarii confessi sunt eos terram habere ad tria aratra, nec adiurauerunt eos.

(158) Ioubagiones Ordinensis castri, scilicet Basu hodnogio, Nuhu, Bayr, Belche, Kelenin centuriones, et omnes alii ioubagiones cum castrensibus, impecierunt Geruasium de genere Chenad, pro terra castri nomine Beseneu, iudice Nicolao palatino comite, pristaldo Gonga de genere Hudus. unus de castrensibus portato ferro pro terra iam dicta iustificatus est.

(159) Bota de uilla Pazturd iudicio candentis ferri probauit, quod uillani de Bonia, scilicet Zotmaz, Chegun, Paul et omnes alii iuuissent uiolentum quendam inuasorem et spoliatorem seruientis sui, ad illos confugientis.

(160) Ioahin de Lazdi impeciit Keuam de uilla Seusci, que est apud Kamar, de furto, iudice Nicolao comite palatino, pristaldo Atmario de uilla Boc. Keua Uaradini iustificatus est ferro portato.

(161) Ereus de uilla Kamarás impeciit conuillanos suos, scilicet Tupam et Mauricium, de una marca et fertone, iudice Chepa uillico eorum, pristaldo Fican. Mauricius portato pro se et pro Tumpa ferro, combustus est.

(162) Uutuk de uilla Inka manumisit quendam seruum suum nomine Figmoz cum omni generacione sua que ab illo esset successura, ita ut ubicunque uellet manendi fas haberet. postmodum autem prefatus Figmoz duxit uxorem liberam, cuius pater, scilicet Iuan, et frater scilicet Leu-

stah, impecierunt iam dictum Uutuk de uiolento raptu puelle, et dominum Figmoz de indigno connubio, coram Petro comite, scilicet iudice a rege delegato. Uutuk autem respondit se iam dictum Figmoz manumisisse prius, et sic illum uxorem liberam legitime accepisse. sed cum prenominati aduersarii non essent hac transitoria assercione contenti, supradictus iudex, per pristaldum nomine Leuam, utramque partem capitulo Uaradiensi fecit exhiberi, et prefatum Fygmoz per attestacionem Ultuk domini sui titulo manumissionis liberum cum omni successione prolis sue assignari.

(163) Uetea impeciit Solomonem, Kekam, Potur, et Isoum de occisione filii sui Eccy, iudice Albeo uice-archidiacono, pristaldo Hadriano. Salomon, Keka, Potur et Isou portato ferro iustificati sunt.

(164) Cum Ereu uillicus de Iánust impeciisset quendam de uilla Uosian nomine Zotmoz pro porcis furto sublatis tres marcas ualentibus, et inuenisset carnes porcinas in domo Zotmoz in presencia conuillanorum Zotmoz: sed Zotmoz constitutus ante Paulum curialem comitem de Bichor et Forcos bilocum, negasset carnes inuentas fuisse in domo sua, conuillani autem eius contestarentur carnes illas inuentas fuisse, prenominati iudices per pristaldos, scilicet Titan et Percustu, miserunt dominum Zotmoz Uaradinum, ubi dominus Zotmoz combustus est.

(165) Paulus opilio, uice comes in uilla Apa, impeciit dominum Tengurd de uilla Pisuqui, ioubagionem Iacincti, de furto, iudice Nueclem curiali comite de Zaránd, pristaldo Iuan de uilla Gyorocz. dominus Tengurd iustificatus est.

(166) Butha de Beruchyon impeciit dominum Cochi de uilla Degust pro decem marcis, iudice Teku abbate de Beruchyon, pristaldo Tarca. qui Uaradini taliter conuene-

runt, quod Cochi daret suo aduersario quinque marcas, et idem teneretur pristaldo, Butha autem satisfaceret iudici.

(167) Opoy de uilla Gourou, uiso quodam gladio apud Andream uenatorem bubali de uilla sancti Martini, impeciit eum de furto, iudice Paulo comite uenatorum bubalinorum, pristaldo Stephano de uilla Urisu. Andreas itaque uenit Uaradinum in octauis omnium sanctorum in termino, scilicet quem pristaldus dixit se utriqùe parti prefixisse, Opoy autem non comparuit.

(168) Discilou de uilla Borici impeciit Glatillum cocum regis de uilla Susa de equi sui cladas. qui cum negaret se esse uenditorem illius equi, prefatus Discilou adduxit Mosen ut fidei iussorem aduersarii sui, quo se fideiussorem perhibente, Glatillo uero constanter negante, Martinus bilotus de Borsod, per pristaldum nomine Kelepc misit Uaradinum. quo Discilou primicius actor, et alius Discilou scilicet fideiussor, et pristaldus in octauis omnium sanctorum, quas pristaldus dixit se utrique parti pro termino assignasse, uenerunt, Glatillus uero non comparuit.

(169) Fehersa de uilla Degust conuictus est de una marca et dimidia contra uillanos Petur, Gregorio de Scili, et pristaldo Zousa.

(170) Petrus et Bahan de uilla Hot impecierunt Gyrcum conuillanum suum de furto, iudicibus Paulo curiali comite de Bichor et Cybout biloto. pristaldo Hyuad de uilla Iraz. dominus itaque Gyurc combustus est.

(171) Cata de uilla Nec egit cum Tecu et Bartolomeo et Butha, iudice Paulo curiali comite de Bichor, pristaldo Buda. Cata itaque combustus est.

(172) Adam filius Pote impeciit Iacum et Modam de uilla Kereku pro furto, iudicibus Paulo curiali comite de Bichor, et Cybout biloto, pristaldo Orochy de uilla Boct. Iacus et Modan iustificati sunt.

(173) Kereu de uilla Ponoz impetitus de furto, portato

ferro iustificatus est, iudice Paulo curiali comite de Bichor, pristaldo Laurencio de Bichor.

(174) Ualerianus cantor, Michaël custos, Gerardus decanus, Ioachin et Moust archidiaconus Uaradiensis, et omnes alii, uniuersis quibus litere presentes exhibentur salutem in domino. uenit ad nos in septimana Exurge quidam pristaldus, ut ipse dixit de se, nomine Bolosoy de uilla Bobona, cum quibusdam uillanis de Iku, scilicet: Roma Syca, Sumoz et Olodaro, et dixit quod uniuersi uillani de Horz et de Erdeü et de Zethu et de Bala et de Quer et de Zaka et de Barca, coadiuuantibus noui castri ioubagionibus, scilicet Iordano prefecto castri et Poson archiprecone impeciissent prenominatos quattuor uillanos de Iku, et idem Laurencium, Cyubam, Forkos et Somotam, quod essent quidem ioubagiones sed de castrensibus exempti, illi autem dixerunt naturales ioubagiones esse, qui scilicet Forcos principe exercitus, Soma, Uidard, Ioanne, Zolos, Leustach, Iacobo archiprecone. quos Michaël curialis comes de Heues ex precepto domini sui Alexandri comitis de nouo castro, ut pristaldus dixit, discuciens, misit Uaradinum. ubi predictus pristaldus, et idem Roma, Syca, Sumoz et Olodar, et quidam ioubagio castri, nomine Georgius, missus ut ipse dixit a Forcos principe exercitus et coadiutoribus suis, fuerunt in termino, scilicet hebdomada Exurge. aduersarii uero eorum non comparuerunt, et supradictus pristaldus dixit, quod iudex prefatus, scilicet Michaël, pro conuicta et condemnata parte haberi mandasset eam partem que nos ueniret. sed hoc nos nescimus.

(175) Thomas de uilla Uislu impeciit conuillanum suum nomine Mert de furto, iudicibus Louchiad biloto et Menger et Mer prefectis uille, pristaldis Dirs et Sroub. Mert iustificatus est portato ferro.

(176) Paulus de uilla Kahas filius Petri impeciit Pau-

lum filium Sceresun de alio Kabas pro furto, iudice Christophoro comite de Zounuch, pristaldo Uoad de uilla Kers. Paulus filius Sceresun combustus est.

(177) Guda de uilla Zudurou impeciit Zot et Benum de uilla Chaba, pro damno octo marcarum uiolenter illato, iudice Paulo curiali comite de Bichor, pristaldo Laurencio de eadem Bichor. Guda itaque combustus est.

(178) Ioannes et Mischa filii Buchiku, et Tupa filius Pauli citauerunt filios Hylary, scilicet Isou et nepotem eius, scilicet Isaac, ante Simonem bilotum de Bikes pro furto, qui cum ad septem terminos non uenissent, predictus iudex nunciauit palatino comiti. ille autem iussit eos proclamari per fora comprouincialia sub ea interminacione, quod si non uenirent, uel ad iudicium biloti, uel ad iudicium candentis ferri Uaradinum, pro furibus publicis et conuictis haberentur. illi itaque uenerunt ad bilotum, bilotus autem per pristaldum nomine Gabrielem misit ad candens ferrum Uaradinum, sed in termino quem pristaldus dixit utrique parti prefixisse, Uaradini non comparuerunt.

(179) Nicolaus filius Angelus impeciit Iuam filium Ioannis, de decem marcis et uno capite hominis uiolenter ablatis, quos Heimu comes, iudex a rege Andrea delegatus discuciens, per pristaldum nomine Cheger misit Uaradinum, ubi homo Nicolai portato ferro iustificatus est.

(180) Ceca de uilla Curnad impeciit ioubagionem Petri nomine Geus, et seruum eiusdem nomine Tomam pro furto, iudice Ecce comite de Clus, et bilotis Cherceg et Petro, pristaldo Uizozlou. Geus et Thomas portato ferro iustificati sunt.

(181) Salta de uilla Sadan impeciit Mogum de uilla Pagit pro furto, iudice Uenceslao comite de Zothmar, pristaldo Pousa de uilla Ticud. Mogus in termino quem pristaldus dixit utrique parti prefixisse Uaradini non comparuit.

(182) Ogyuz et Tumulot iobagiones castri Zounuc impecierunt quosdam de uilla Kezuga, Ioab, Mocz, Meduen et Forcos, et de uilla Pereznek, Tibam, et idem ioubagiones Petri, scilicet: Kesam et Micon, de damno decem marcarum facto per uiolenciam, iudice Mica comite Bicoriensi a rege delegato, pristaldo Iano de uilla Cheydreb. homo Ogyuz, et Tumulot nomine Cherpha, portato ferro combustus est.

(183) Endre hodnogio, Petrus et Sebrec centuriones, item Uendég et Zenast iobagiones castri de Zotmar, impecierunt Uoyzloum, Ioubot, Potonam, Bodam, Bartoleum, Latum de uilla Guernezt, dicentes quod ioubagiones essent de castrensibus exemti. ipsi uero dixerunt se esse ioubagiones naturales, qui scilicet iobagiones s. regis dici solent. quos Uingiozlou comes de Zothmar discuciens, per pristaldum nomine Kazmer de uilla Petus misit Uaradinum ad candentis ferri iudicium. quo cum uenissent Uendeg, ex parte coaduersariorum suorum se missum esse asserens, ex parte illorum et sua subterfugit candentis ferri iudicium, dicens aduersarios prenominatos naturales iobagiones esse, scilicet iobagiones s. regis, et se cum sociis suis iniuste illos impeciisse.

(184) Bacina de uilla Mogos Mortu impeciit uxorem Simonis de uilla Apa, dicens quod quidam seruus Martini comitis, nomine Uota, filium suum occidisset, ipsa presente et consenciente in mortem filii illius. Mica Bichoriensis comes discuciens, per pristaldum nomine Prena misit Uaradinum, ubi prefata mulier portato ferro iustificata est.

(185) Hypolitus de uilla Halap impeciit uxorem Uogis de eadem de damno trium marcarum, iudice Kelem comite, pristaldo Petro de eadem uilla. Mulier portato ferro iustificata est.

(186) Tiburcius de uilla Nádast impeciit omnes uilla-

nos de uilla Domulim de quindecim bobus et uno equo, uiolenter ablatis, iudice Gyula bano, pristaldo Sumboz. iustificatus est.

(187) Cusyd de uilla Ziloc impeciit conuillanum suum, scilicet Forcos, de furto, iudice Stephano curiali comite de Ziloc, pristaldo Gueztiua. Forcos portato ferro iustificatus est.

(188) Uiba de uilla Macra prèdio Lelez impeciit Ibam et Danum, de occisione fratris sui per latrocinium, iudice Mika comite de Bichor, pristaldo Annania de uilla Buc. Iba portato ferro pro se et fratre suo Dano iustificatus est.

(189) Petrus de uilla Cbeuz et comprouinciales eius impecierunt Uitalem de eadem uilla pro furto, quos Demetrius curialis comes, precepto regis discuciens, per pristaldum nomine Urman de uilla Gyurge misit Uaradinum, ubi predictus Uitalis portato ferro confugit ad ecclesiam, dicens se esse combustum. predictus itaque Urman uendidit Uitalem, cum uxore sua, et filiabus suis, et cum ancilla, et filio ancille sue, et cum omni possessione sua, Laurencio, filio Martini.

(190) Notum sit omnibus Christianis, quod cum Uoca et Kereu de uilla Tura, imminente necessitate sororem suam Martinam in uadio posuissent apud sacerdotem de Barhan nomine Moysen pro marca una, non habentibus illis unde sororem suam redimant, prenominatus sacerdos pro remedio anime sue dimisit illam, et debitum dimisit ei.

(191) Nicolaus de uilla Ghony impeciit conuillanos suos, scilicet: Michaëlem, Texen, Burat et Mecam, de occisione filii sui, quos Martinus comes, per pristaldum nomine Scaden misit Uaradinum ad examen ferri candentis, ubi prenominati rei de homicidio sunt conuicti.

(192) Texa Ismaëlita de Nyr impeciit uillanos Cegam pro marcis duodecim, Alexandro comite iudice a rege delegato, qui per pristaldum nomine Stephanum Uaradinum

missi, taliter conuenerunt, quod predicti uillani darent aduersario suo quinque marcas fertone minus, iidem iudici satisfacerent, ius autem pristaldi Texa persolueret.

(193) Kusun de uilla Zupur cum conuillana sua, matre scilicet Seden, quam de ueneficio impecierat, taliter conuenit, quod ipse nihil acciperet, et iudici, scilicet Thome uicearchidiacono, terciam partem persolueret, pristaldo autem suo communiter cum illa satisfacerent, reliquas partes iudicis et pristaldi prefate mulieri reliquit persoluendas.

(194) Uniuersi ioubagiones Bichorienses impecierunt ante Micam comitem eorum uniuersos castrenses de Bichor, dicentes, quod ipsi castrenses bis accepissent ab eis debita iudicia, in quibus ipsi ioubagiones castrensibus tenebantur. supradictus itaque iudex, dato pristaldo nomine Laurencio de uilla Quesereu, ad iudicium ferri candentis misit Uaradinum, ubi taliter conuenerunt, quod predicti castrenses darent prefatis ioubagionibus quinquaginta et tres boues. iudici autem et pristaldo utraque pars simul satisfaceret.

(195) Bandu de uilla Gyan portato Uaradini ferro pro fractione dentis et damno quadraginta ponderum argenti iustificatus est, contra Guta Boyciud et dominum Kekeu, iudice Ragnaldo preposito Uaradinensi, et pristaldo nomine Georgio.

(196) Stephanus de uilla Perlu impeciit Simonem filium Tecu pro furto, iudice curiali comite de Zounuk nomine Angelo, pristaldo Moys. predictus Simon portato Uaradini ferro combustus est.

(197) Choucad uxor Tekudini serui Fabiani conquesta est Simoni Uaradiensi episcopo dicens, quod cum ipsa sit libera, dominus suus Fabianus uelit eam redigere in seruitutem. At ille dixit eam suam esse ancillam. illa uero dixit tutorem sue libertatis nomine Gunuzt. prenominatus itaque

iudex posuit eos ad iudicium ferri candentis, dans eis pristaldum nomine Farcasium. sed interea predicta Choucad se ipsam recognoscens, confessa est se esse ancillam Fabiani, ut ipse asserebat. Fabianus uero ipsam quidem retinuit sibi in ancillam, sed filias eius dimisit esse liberas cum omni generacione que ab illis est successura, ut quam ipse tam omnis earum progenies utriusque, ubi uoluerint manendi habeant libertatem.

(198) Sabud et Kereu impecierunt Tiuam de occisione nurus sue sororis ipsorum, iudice Gabriele archidiacono, Farcasio pristaldo. qui cum Uaradinum aduenissent taliter conuenerunt: quod Tiuandu daret aduersariis suis duas marcas, et idem pristaldo satisfaceret, pro parte autem iudicis aduersarii sui tenerentur.

(199) Zada impeciit Tecam pro tribus bobus et quindecim cubitis pannorum pro tunica et pallio, iudice Gereone, pristaldo Uosos. predictus Zada portato ferro Uaradini combustus est.

(200) Hertueg de uilla Hertueg impeciit Gregorium de eadem uilla dicens, quod fratrem suum interfecisset, iudice Ioachin biloto, pristaldo Ibrachin. illi autem Uaradini taliter conuenerunt, quod tam ipsi quam omnis posteritas eorum in hac causa pacem haberent, Gregorius autem daret aduersario suo nomine Hertueg tres marcas fertone minus, et idem pristaldo satisfaceret, iudice autem dominus Hertueg teneretur.

(201) Comprouinciales Noui castri, et horum specialiter Cenka de uilla Giénda impeciit de furto Petrum filium Nuhu de Qecii, iudice Bank, pristaldo Gregorio de uilla Peta. prefatus Petrus portato ferro iustificatus est.

(202) Comprouinciales Noui castri, et horum specialiter Buba de uilla Tumur impeciere Matthiam de uilla Loch predio Martim pro furto, iudice Bank comite, pristaldo Gregorio de uilla Peta. Matthias mundatus est.

(203) Guthfredus prepositus Orodinensis conquestus est Nicolao palatino dicens: quod in predio ecclesie de Pauli, nomine Heyka, occisus esset seruus ecclesie, per seruientem Bodun, filium Michaëlis de Kata nomine Bodou, et dato termino prefato Bodun a palatino, ubi ipse cum prouincialibus suis discuteret. itaque retento pristaldo palatini nomine Zuma discussos, misit Uaradinum ad examen ferri candentis, ubi homo ecclesie de Pauli combustus est.

(204) Richya de uilla Tehektou impeciit dominum Forkos de uilla Kemesa pro furto, iudice Bank comite, pristaldo Misca de uilla Hologd. Forcos portato ferro iustificatus est.

(205) Echilleu de uilla Bulsu, cum prouincialibus suis impeciit conuillanum suum Mosud de furto, eodem iudice et pristaldo. Mosud iustificatus est.

(206) Telceu et Bota de uilla Fegyernuc, Mogd, Michodeus et Petrus de uilla Asu, item alius Michodeus, Paul, Zacheus, Georgius de uilla Schmula, impeciere quosdam de uilla Echek, scilicet: Bugy, Urdan, Potetam, Ueus, Beat, Utam, dicentes, quod essent eorum coofficiales et similiter centurionatui subiecti. illi autem dixerunt non esse subiectos centurionatui, sed debitores liberorum denariorum. et hoc idem dixerunt ioubagiones castri, scilicet: Forcos, Poson, Ipolt, Lucus, Uhusa, Iacob, Matthias. quos Petrus comes uicarius Dionisii comitis misit Uaradinum, per pristaldum nomine Moys de uilla Heten, ubi prenominati castrenses Heues non comparuerunt, preter unum qui dixit se uocari Forcos, et unum de aduersariis, et missum esse ex parte sociorum suorum, et subterfugit iudicium ferri candentis ex parte sociorum suorum et ex parte propria, dicens, se et socios suos falso prenominatos uillanos Echek de contribulatu peciisse.

(207) Uniuersi uillani Sagu, et uniuersi uillani Halaz de prouincia Naugrad impecierunt ioubagiones eiusdem

castri, scilicet: Gilianum, Michaëlem, Hyuan, Paulum, Ulues, Tinthur, Shubancam, Heráicum, Paulum, Chepanum, Feketem, Tiburcium, Zemerem, de destructione rerum suarum ad estimacionem sexaginta marcarum, iudice Bolosoy comite de Naugrad permissione et auctoritate Nicolai palatini comitis iudicante, pristaldo Micou de uilla Belk. prenominati ioubagiones in termino, quem prefatus pristaldus utrique parti se dixit prefixisse, scilicet in octaua Ioannis Baptiste, Uaradini non comparuerunt.

(208) Anno ab incarnacione domini millesimo ducentesimo decimo septimo, regnante uictoriosissimo rege Andrea, Simone Uaradiensi episcopo existente, Gyula comite palatino, Nimcha comite Bichoriensi, Anniano lectore et notario, Bichorienses de centurionatu Sceculzaz, et horum precipue Tenkeu de uilla Ebey impecierunt quendam liberum hominem nomine Deum, dicentes quod eorum esset conciuis. deus autem dixit se liberum esse omnino. Nincha itaque comes Bichoriensium, ex precepto regis eos discuciens, interrogauit responsa ioubagionum Bichoriensium, scilicet Luce Hodnogionis, Petri, Bibac, Tegegu et aliorum. qui cum prefatum Deum et ipsi castrensem esse dixissent, posuit hoc super iuramentum eorum. quibus iurare non audentibus, castrenses condemnauit et predictum Deum liberum esse denunciauit, atque per Ioancham comitem pristaldum regis, presentibus prenominatis castri ioubagionibus libertatem eius nobis fecit contestari.

(209) Sol filius Salomonis litigauit cum abbate de monasterio Gabrielis Iohem, de quinque capitibus hominum, tribus uiris et duabus mulieribus, coram Simone Uaradiensi episcopo et quibusdam canonicis eius Martino et Uidone, et coram Nuncha comite Bichoriensi, dicens illos, quod sui iuris essent, econtra prefatus abbas asseruit eosdem, quod soror ipsius Sol nomine Sebe, sub tali titulo ecclesie Gabrielis dimisisset, ut unus illorum nomine Choloz ser-

uiret ecclesie sancti Michaelis annuatim cum sexaginta panibus, uno boue trienni, tribus anseribus, quinque gallinis, et sex cubulis cereuisie, atque denariis ad tres missas: et due mulieres, scilicet Scepa et Uederey, essent lotrices eiusdem ecclesie, duoque uiri scilicet Sekur et Lotomás, liberi quidem essent, sed legatarii. prenominatus itaque iudex, scilicet Neuca comes, posuit hanc causam super iuramentum decani de supradicta ecclesia, et fratris illius quem aduersariis eligeret, et de comprouincialibus testibus super iuramentum Ioachin de Lazdu. qui cum parati essent iurare super sepulchrum sancti Ladislai regis coram Paulo sacerdote, coram Tumpa et Sidrac archidiaconis et aliis, supradictus Sol adiurare eos recusauit, presente pristaldo nomine Thoma filio Stephani de territorio Bichoriensi.

(210) Detusa de uilla Sárus impeciit conuillanum suum nomine Detreh, de combustione domus sue et de furto, quos Petur curialis comes Dionysii regie maiestatis camerarii ex precepto domini sui discuciens, misit Uaradinum ad iudicium ferri candentis, per pristaldum Sidizlou nomine. Detreh itaque portato ferro Uaradini iustificatus est.

(211) Helg de territorio Bichoriensi impeciit Petrum et Paulum, filios Both hodnogionis, dicens quod cum urgente necessitate ad predium illorum cum tribus libertinorum capitibus confugisset, et postea cessante aduersitate ad terram natalem redire disponeret, illi tres libertinos illos ab eo uiolenter abstulissent. qui cum hoc se fecisse negassent, Nuncha comes Bichoriensis, per pristaldum nomine Benedictum de uilla Uduori, misit illos Uaradinum: ubi prememoratus Helg portato ferro iustificatus est.

(212) Ministri regis de prouincia Zabolch, scilicet Ina, Elea, Nicolaus, Forcos, Tomas, Isaac, Bol, Ioannes, Absolon, Petur, Paul, Fequete, Primus, Egidius archidiaconus, Peth, Pousa, Ferqued, Leustach, omnes isti cum cognatis suis, item populus Agriensis ecclesie, preterea

curialis comes de Zabolch impeciere de furto Dorcum de uilla Bala, Benedictum et Paulum de uilla Bulcan, Degam de uilla Petri, Homdeum de uilla Nánas, et seruum eius nomine Marcellum, iudicibus Banc et Benedicto comitibus, pristaldo Myska de uilla Hologd. predictus Homdoy et seruus eius Marcellus portato ferro iustificati sunt. alii uero non comparuerunt, et iudices rescripserunt eos haberi pro condemnatis.

(213) Comprouinçiales de Zabolch, et horum specialiter Paulus et Petrus de uilla Ethe, impecierunt Homodeum de uilla Bolth de latrocinio, iudice Banc comite, pristaldo Mysca prefato. predictus Homodeus portato ferro iustificatus est.

(214) Comprouinciales de Zobolch, et horum specialiter Tump de uilla Petur, impecierunt Nicolaum, Beusam, Mantam, Ioannem, Geysam, Botonam, et Egidium de uilla Cyequen de furto, iudicibus Banco et Benedicto, pristaldis Myska et Shazlon. ex illis Manta et Ioannes, portato ferro ad solucionem non exiuerunt de ecclesia, preterea predicta Geysa, Botona et Egidius combusti sunt. prefati uero Nicolaus et Beusa in dato termino Uaradini non comparauerunt.

(215) Comprouinciales de Zobolch, et horum specialiter Ela de uilla Tholna, impecierunt Bacam de uilla Tam de furto, iudicibus Banc et Benedicto comitibus, pristaldis Miska et Shazlou. predictus Baka portato ferro combustus est.

(216) Comprouinciales de Zobolch, et horum specialiter Georgius de uilla Utholm, impeciere de furto Iacobum de uilla Onuz, et Mocyodum de uilla Nánas, iudicibus Banc et Benedicto, pristaldis Miska et Shazlou. predictus Iacob in dato termino non uenit in locum, Mocyod uero portato ferro ante solucionem manus fugit.

(217) Cum quidam Coloman nomine de uilla Ulozyghaz

assereret coram Banco comite, quod Muholtum de uilla Sbyub quinque uille impeciissent de furto, quidam Petrus de uilla Shazta negauit ex parte quinque uillarum, eundem Mohultum impetitum esse de furto. prefatus itaque iudex misit predictum Colomanum et Petrum ad proudam, ubi Petrus stetit ad iudicium ferri candentis, Colomanus autem non comparuit, et iudex mandauit per pristaldum suum nomine Ioannem de Bichor predictum Colomanum haberi pro condemnato.

(218) Cuta de uilla Sur impeciit conuillanum suum, scilicet Fintur de furto. predictus Finthur portato ferro iustificatus est, iudicibus Banc et Benedicto, pristaldis Misca et Shazlou.

(219) Furcug et Uilma de uilla Tam impeciit Paulum de furto, de uilla Nanas, iudicibus Banko et Benedicto, pristaldis Misca et Shazlou. prefatus Paulus in dato termino Uaradini non comparuit, et iudex habuit pro condemnato.

(220) Teka de uilla Uod, cum comprouincialibus de Zobolch impeciit Kebeket et Bodolt de uilla Zunuchy de furto, iudicibus Banc et Benedicto, pristaldis Miska et Shazlou. predicti fures Kebeket et Bodol in dato termino Uaradini non comparuerunt, et iudex habuit eos pro condemnatis.

(221) Nicolaus de uilla Erdei impeciit dominum Ihad seruum monasterii de Tablucya Miscocii de damno duarum marcarum, iudice Banc, pristaldo Gregorio de uilla Petur. qui Uaradini taliter conuenerunt, quod Ihad daret unum bouem et tres pensas Nicolao, et idem satisfaceret pristaldo. dando marcam et dimidiam, et pristaldus iudici satisfaceret.

(222) Nicolaus de uilla Erded impeciit conuillanum suum nomine Shaman de furto, coadiuuantibus comprouincialibus suis, iudice Banc, pristaldo Gregorio predicto. Shama portato ferro iustificatus est.

(223) Suda de uilla Gegy, coadiuuantibus comprouincialibus suis, impeciit Michaëlem ioubagionem ecclesie Debruensis de furto, iudice Banc, pristaldo Gregorio predicto. Michaël portato ferro iustificatus est.

(224) Ihad de uilla Lad, cum prouincialibus suis, impeciit Torsam de Nylos de furto, iudice Banc, pristaldo Gregorio predicto. prefatus Torsa ad solucionem manus non exiuit de ecclesia.

(225) Urman de uilla Erdei impeciit conuillanam suam, scilicet uxorem Batur pro adulterio. iudice eorum Madian, et iudice archidiacono Petro, pristaldo Huldeg de eadem uilla, qui Uaradini pro bono pacis taliter conuenerunt, quod uxor Batur iudicibus satisfaceret, Urman uero pristaldo.

(226) Simon de uilla Gyad et Teca de uilla Tata impecierunt Andream de uilla Seuryegu pro quinquaginta marcis, iudice Nicolao palatino comite, pristaldo Erded. predictorum homines, scilicet Simonis et Teke, portato ferro combusti sunt.

(227) Laurencius de uilla Katay litigauit cum Daniele, Petro, et Laurencio de uilla Dingonogu, pro triginta marcis, iudice Nicolao palatino, pristaldo Pousa de uilla Libicy. homo predicti Laurencii de Kata portato ferro iustificatus est.

(228) Sumuracus Posoniensis comes, coram iudice delegato a rege, scilicet Aguz comite, litigauit cum decem et octo hominibus de uilla Shut pro quindecim marcis. quos Aguz comes iudicans, per pristaldum Tolnam de uilla Sen Niclous, misit Uaradinum ad candens ferrum, ubi homo predicti Sumuraci comitis, nomine Zakens, portato ferro iustificatus est.

(229) Borokun filius Gynle impeciit quosdam dusinicos de uilla Iouan, ad ecclesiam sancti Petri in eadem uilla attinentes, scilicet Obuganum, Thecum, Chemam, Chem-

zam, Michaëlem, Petrum, Latamasum, Martinum, Chedam, et Cozmam, dicens, quod cum sint dusinici a genere eius, scilicet Iohan manumissi, contra ipsum tamen superbiant. illi autem responderunt, se dusinicos quidem esse a prefato Iohan cum terra sua dimissos, sed eundem Iohan nulla consanguinitatis linea ad ipsum, uidelicet Borocum, pertinere, et ita seipsos nullo penitus dominio eidem Borocum esse obnoxios. Banc igitur comes de Burg posuit super iuramentum Martini et Fonchuke cognatorum Borokun, et super iuramentum duorum finitimorum, quos aduersarii eligerent, et misit utramque partem Uaradinum, per pristaldum nomine Stephanum de genere Zachu de uilla Berenta, ut illis quatuor ibi iurantibus, memoratum Iohan esse genus Borokun constaret. dato itaque eis termino in dominica factus est, nominati dusinici cum pristaldo ipsorum Stephano, prenominatos testes adiurati fuere Uaradini, sed predicti testes non comparuerunt, prefatus tamen aduersarius, misso seruiente, dixit eos fuisse citatos ad regem, et ideo ad terminum non potuisse uenire. dato item secundo termino uenit prenominatus aduersarius, et sicut prius per seruientem, ita per se ipsum dixit, iam dictos testes citatos esse ad regem, et ideo ad terminum non potuisse uenire. sed cum hoc prefato iudici falsum esse constitit, prefatum Borokun condemnauit, et prenominatos dusinicos cum terra eorum iustificandos esse, secundum prescriptam assercionem eorum et pristaldum suum, testimonio capituli Uaradinensis fecit condemnari.

(230) Comprouinciales Noui castri, et horum specialiter Borz, Guza, Quere de uilla Alexandri, impecierunt seruientem Egidii de uilla Petur nomine Rochum de furto, iudice Banc, pristaldo Gregorio de uilla Petur. Rochus portato ferro mundatus est.

(231) Tota uilla Tumur impeciit Martinum filium Mochou de genere Beli bani de damno quindecim marcarum,

et de occisione duorum hominum, iudice Banc, pristaldo Alberto de uilla Nohcodi. qui in loco taliter conuenerunt, quod predictus Martinus persolueret septem marcas predicte uille Tumur, idem Martinus satisfaceret iudici, pristaldo uero uilla Tumur satisfacere teneretur.

(232) Petrus de uilla Gyon impeciit conuillanum suum dominum Segym de occisione cognati sui per uiolenciam, iudicibus Barraba comite et magistro Fila, pristaldo Omodoi. Scegyun portato ferro Uaradini iustificatus est.

(233) Moruic de uilla Baro impeciit quendam nomine Becum sine manibus, de damno quinque marcarum, iudice Gyula comite palatino, pristaldo Bertolom. homo Mouricini portato ferro iustificatus est.

(234) Agya et Dionysius comites impecierunt ioubagiones Priuarti, qui sunt in uilla Uodozt, scilicet Us, Pascham, Leustachium, Petrum, Chekam, Scendu, Paulum, Bedur, Schechni, Rodum, et Sthanum, dicentes quod furati essent pecuniam matris ipsorum. quibus rem negantibus, Smaragdus comes ex precepto regis Andree discuciens, per pristaldum nomine Andream de uilla Zumlun misit Uaradinum. ubi predicti comites candentis ferri subterfugerunt iudicium, dicentes aduersarios suos iustos esse, et quod ipsi ignoranter eos impeciissent de furto. Priuartus autem et ioubagiones eius pro bono pacis et intuitu cognacionis, dimiserunt Agye et Dionysio comitibus debitum talionis, in quantum ad ipsos attinet.

(235) Michael, Paulus, et Zoulat dixerunt se teneri Agye et Dionysio comitibus in triginta marcis argenti, et debere decem persoluere in die ramis palmarum, et alias decem in festo ascensionis, tercio decem in festo Ioannis Baptiste.

(236) Cusid uxor dominici de uilla Sancte Crucis portato ferro contra Ananiam conuillanum suum, ostendit se

non esse ueneficam, iudice Paldus uicearchidiacono de Zounuk, pristaldo Laurencio de uilla Detreh.

(237) Boncia de uilla Firu impeciit generum suum Somham et matrem eiusdem, scilicet Rugam, et fratrem Ruge, scilicet Moncau, de suffocacione sororis sue, uidelicet ipsius Boncie, iudice Mica comite, pristaldo Bartholomeo de uilla Nyec. qui Uaradini taliter conuenerunt, quod Somha haberetur pro homicida, et Ruga persolueret quinque marcas fertone minus, usque festum sancti Georgii, et idem satisfaceret pristaldo, partem uero iudicis Boncia persolueret.

(238) Muncu de uilla Beruei impeciit conuillanum suum, scilicet Uidam, de consensu et participacione atque prodicione rei furtiue, iudice uillico ipsorum, scilicet Uulchi, pristaldo Lotomas, de eadem uilla. alium quoque de uilla Margueta, nomine Uulchin, impeciit idem Munc de furto, pristaldo Herrico, iudice Tumpa curiali comite de Zounuc. Uaradini autem portato ferro, et Uida et Munc iustificati sunt.

(239) Simoun de uilla Semec ut ipse dixit de se pristaldus Ioannis curialis comitis de Bichor, ut item de se dixit, contestatus est ex parte prefati comitis et Tupsa biloti Bichoriensis, quod Uarou filius Korochi de uilla Iraz, citatus a conuillano suo nomine Hyued, et item a Iacobo Alberto, Teodoro, Forcost, Pentek, Guntu, Kemedu, Uruz, Chicou, quod de uilla Sari pro furto septies ante prefatos iudices, et ante predecessores Ioannis comitis non uenisset, Ioannes itaque curialis comes et Tupsa bilotus ipsum furti reum condemnassent.

(240) Andreas filius Scerben, dicens se habere uotum eundi Ierosolimam et nunquam inde reuerti, absoluit uxorem suam, dans ei nubendi licenciam alii marito, et dans ei duo capita hominum. uxor autem sua contestata est per fratrem suum Stephanum, absoluisse maritum suum a

coniugio suo, et ab omni dote omnique debito, in quo maritus eius ei tenebatur, asserens se contentam esse duobus illis capitibus hominum, quos maritus suus ei contulit.

(241) Tuno et Legyn castrenses Bichorienses de uilla Gyan, coadiuuantibus Luca principe exercitus et Matthia centurione, impecierunt libertinos Forkos et Kelemen, scilicet Iseput, Bulsuhut, Chimont, Sashat, Meduet, Ilobarut, hos omnes cum filiis suis, item Belad, Egidut, Tadeusut, pro conciuibus suis. Kelemen autem et Forcos dixerunt eosdem suos esse libertinos, et accepto iudice a domino rege Andrea, Smaragdo comite, et pristaldo Iula filio Uace, inter multos adduxerunt Micam comitem in testimonium, cuius testimonio cum prefatus iudex esset contentus, ex precepto regis posuit super iuramentum ipsius Mice comitis, ut scilicet ipso super sepulchrum sancti Ladislai regis iurante, prenominati libertini, prenominatis Kelemen et Forcos redderentur. cumque Mica comes staret ad sanctum sepulchrum iuraturus, predicti castrenses reconciliati sunt cum Kelemen et Forcos, ita scilicet, quod ipsi reddiderunt prenominatos libertinos prefatis Kelemen et Forcos, scilicet in puritate promissa. compromiserunt enim Kelemen et Forcos quod receptos libertinos suos in inferiorem condicionis ordinem non deprimerent, sed in eodem statu, scilicet libertinorum retinerent, generaliter de ipsis quoque castrensibus alia ablata non requirerent.

(242) Uniuersus Uaradinensis ecclesie conuentus, uniuersis presentes literas inspecturis, salutem in domino. anno domini millesimo ducentesimo decimo sexto, in septimana omnis terra, Farcasius filius Gyama ueniens cum Martino de uilla Guerdei, pristaldo Gyula comitis palatini, ad iudicium ferri candentis, contra Martinum de uilla Zobolsu, raptorem scilicet filie sue, et contra coadiutores illius, stetit per totam septimanam illam, sed nullus de aduersariis suis comparuit, preter quendam nomine Sce-

gium, qui se nobis et postea iudici coadiutorem prefati Martini fuisse confessus, exoculatus est. memoratus itaque Forcasius ad prefatum iudicem reuersus, renunciauit cum pristaldo suo aduersarios suos ad iudicium ferri non uenisse: iudex igitur condemnauit illos. nam per eundem pristaldum suum et Farcasium tales nobis remisit literas. Gyula dei gracia comes palatinus, cuncto capitulo Uaradinensis ecclesie salutem et dilectionem. notificamus uobis, quod aduersarii Forcos, quorum nomina hec sunt: Mortun, Zobolchi, cum seruientibus eorum, Moruc, Ioanus, Niclous, Stephan, et frater eius Ioud, et seruus suus Scimad, Gyomolth, Tyod, Petka, et unus germanus eorum Bena, Gyurg, Mogud, Abel, Olberth, et seruiens suus Chyma, Mattheus, Cecur, Scenter, Abram, Uece, Toluoy, Buc, Scumud, in presencia nostra remanserunt, et eos ferrum leuare in locum Uaradinum misimus, quos termino prefixo pristaldus noster non dixit uenisse, quod, si uerum est et uos scitis, quod predicti homines ibi non fuerint, iam dicti Farcasii causam literis assignate, et omnes prenominatos remansisse. nos autem, sicut prediximus, huius rei testes sumus, quod prenominati homines in predicta septimana omnis terra Uaradini non comparuerunt, preter iam dictum Scegium.

(243) Paul de uilla Beltuk impeciit omnes Flandrenses de Batar, pro occisione fratris sui Benedicti. quod cum predicti Flandrenses non diffiterentur, sed dicerent se illum in latrocinio occidisse, Esau comes de Hugosa ex precepto regis discuciens, per pristaldum nomine Martinum misit Uaradinum ad candentis ferri iudicium, ubi Paul portato ferro iustificatus est.

(244) Pousa requisiuit duos seruos uxoris sue, filie Hudus comitis, scilicet Tutan et filium eius Lucam, coram Neuka comite Bichoriensi a canonicis de sancto Protomartyre. illi autem dixerunt eosdem seruos donatos esse ab

uxore ipsius, pro remedio anime prioris mariti sui, scilicet Boc. prefatus itaque iudex posuit super iuramentum uxoris Pouse, quod scilicet ipsa iuraret cum duobus filiis suis in ecclesia sancti Protomartyris, et illos seruos positos in eadem ecclesia auderet educere de ecclesia. assignato itaque termino prefata mulier cum filiis suis non uenit, neque procuratorem cause sue misit. prememoratus itaque iudex condemnauit eam et maritum eius Pousam, et per pristaldum nomine Samam de uilla Bursa, nobis contestari et presenti pagina fecit eternari.

(245) Michael filius Deda impeciit Uitalem de genere Aba, dicens quod per filium ipsius passus esset damnum, ad estimacionem duarum marcarum et dimidie, coram arbitris, uidelicet Duda, Petro et Tugza de uilla Unga. qui discucientes eos, miserunt per pristaldum nomine Zekeü ad examen ferri candentis Uaradinum, ubi homo predicti Uitalis portato ferro iustificatus est.

(246) Roma de uilla Beu impeciit Paulum de uilla Numchuny, de damno unius marce et dimidie. quos Laurencius iudex curie et comes Nitriensis discuciens, misit per pristaldum nomine Petrum de uilla Kér ad examen ferri candentis Uaradinum, ubi homo Rome portato ferro mundatus est.

(247) Zabaria filio Ioannis de uilla Iarum sine omni herede mortuo, uxor eius nupsit Mico filio Nicolai, qui Mico et Paulus frater uxoris eius, traxerunt in causam nominatum Ioannem, et fratrem ipsius Iromom sacerdotem pro dotaliciis prefate mulieris, ante Alexandrum Uaradiensem episcopum. ipse autem eandem causam delegauit Stephano archidiacono et economo suo debito fine decidendam. illi uero coram illo constituti responderunt, se dotes illas totaliter persoluisse coram idoneis testibus de prouincia ipsorum. quod cum iam dicti actores negarent, Ioannes et Iromus iussi sunt testes suos exhibere. quibus exhibitis

prefatus iudex delegatus posuit super iuramentum ipsius Ioannis et Iromi, et preterea decem testium, scilicet: Lodi abbatis de Cholt, Hesce de uilla Carol, Ape, Mice, Ioannis, Dominici et Balad de genere Borsa, Leonardi de genere Zuord, Beliamin sacerdotis de uilla Zigholm, et Pauli comitis de genere Smaragdi. qui omnes cum ad sepulchrum s. Ladislai regis iuraturi accessissent, sepe iam dicti actores non ausi sunt eos adiurare. scilicet aduersarios suos pro iustis dimittendo, pacem eorum interuentu amicorum impetrarunt, presente pristaldo ipsius cause Beniamin uicearchidiacono de uilla Nadan.

(248) Multitudo castrensium de Bursod, et quidam ioubagiones eiusdem castri, scilicet Petrus et Colman, uociferati sunt contra Demetrium comitem ipsorum regi Andree, dicentes quod iniustis iudiciis et indebitis exactionibus eos aggrauasset. prefatus autem comes negauit hoc, quin imo adiecit quod illi multa ei damna et iniurias intulissent, et hoc ipsum omnes alii ioubagiones, tam exempti quam liberi sancti regis, et quadraginta homines de castrensibus astruxerunt. memoratus itaque rex delegauit causam eorum Thome Agriensi episcopo et Salomoni bano decidendam. qui uerbis utriusque partis diligenter inquisitis, posuerunt super iuramentum comitis Demetrii, ut prestito sacramento probaret se in nullo populum suum aggrauasse, immo per contrarium sibi eundem populum iniuriam et damnum intulisse. cum itaque comes Demetrius paratus esset iurare, memorati aduersarii se ipsos recognoscentes, non ausi sunt ipsum adiurare, et coram pristaldo huius cause nomine Bas de uilla Harca, reddiderunt se culpabiles, et damnum comitis sui restaurare compromiserunt. comes uero eorum ad preces nostras indulsit eis, ut tantum duas marcas et dimidiam de toto damno suo ei persoluerent, nominati quoque duo ioubagiones carcerem intrare tenerentur, ibi quoadusque uellet comes moraturi.

(249) Castrenses de Orod, scilicet Matthias, et Sorloudam, impecierunt coram Desiderio episcopo, iudice a rege Andrea delegato, Nicolaum archidiaconum et canonicum Chanadiensem, dicentes quod terram eorum nomine Bursorog uiolenter occupasset. ille autem respondit eandem terram titulo emptionis possedisse, dicens quod quidam liber homo nomine Kelemen filius Ugni eam sibi uendidisset. qui cum adductus ante iudicem eandem terram eidem Nicolao archidiacono se uendidisse non negaret, sed eam hereditariam sibi astrueret constanter, iussus est a prefato iudice ferrum candens contra memoratos castrenses Uaradini portare, quo portato iustificatus est.

(250) Stephanus de uilla Thepa cepit seruum fugitiuum suum nomine Morodeku apud Bensam de uilla Tura, qui Bensa respondit eundem seruum fuisse sororis sue, nouerce ipsius Stephani, coram arbitris, scilicet Dominico comite et Belus. sed cum neutra pars sufficiens testimonium posset adducere, nominati iudices per pristaldum nomine Albertum ad examen ferri candentis miserunt Uaradinum, ubi talis inter eos facta est conuencio, quod prefatus Stephanus prefato Bensa daret uiginti et duo pondera, Bensa uero et seruum fugitiuum redderet, et nihil de cognacione serui illius a Stephano requireret.

(251) Marcha de Scylü impeciit Dedum de uilla Thepa pro clandestina traductione duorum seruorum ipsius ualencium sex marcas, coram Stephano comite de Zobolch. qui discuciens eos misit ad examen ferri candentis Uaradinum, ubi prenominatus Dedus portato ferro mundatus est, pristaldo Pous de uilla Paul existente.

(252) Domina Paulia uxor Perrus cum requisiuisset a fratre suo Custodia sacerdote ancillam suam Marguetam, et ille non redderet eam, dicens illam esse suam, Ioachin iudex ex precepto Simonis Uaradinensis episcopi posuit eos ad iudicium ferri candentis, qui presente Saph pristaldo

eorum taliter conuenerunt, quod domina Paulia daret fratri suo Custodie sacerdoti marcam unam, ille autem daret ei ancillam nomine Huldhol pro Margueta, quia Marguetam dederat marito, et non potuit eam separare de iure a uiro suo et dare sorori sue.

(253) Gyobou, Gabrian, Buda, Tencus, Niclo ioubagiones castri Zounuc impecierunt quendam nomine Angelus de uilla Gyou filium Dursi, fratrem Martini et Mice, dicentes quod eorum esse contribulis et castri Zounuc ioubagio. ille autem contendebat se filium latini hospitis esse et absolute liberum, et defendebat eum Petrus conuillanus eius. tunc Poul curialis comes de Zounuc, ex precepto domini sui Smaragdi comitis eos discuciens ad praudam, per pristaldum nomine Georgium de uilla Bahud, misit Uaradinum. ubi cum esset predictus Angelus portare ferrum paratus, quidam nomine Lengeü, ut ipse dixit de uilla Zumtou, ex parte prenominatorum ioubagionum se ad hoc missum asserens, iudicio ferri candentis renunciauit, dicens prefatos ioubagiones per ipsum mandasse, quod supradictum Angelum de coniobagionatu iniuste impeciissent.

(254) Castrenses de Clus de centurionatu Agad, scilicet Sunad, Uardou, Apa et alii, coadiuuantibus eos ioubagionibus eiusdem castri, scilicet Egeben principe exercitus, Isaac centurione, Beda hadnogy, Bela et Uadasa impecierunt quosdam ioubagiones Nicus filii Nidus, scilicet Uedam et fratrem eius Hyscem, dicentes eos suos esse conciues. illi autem dixerunt se esse liberos omnino, et adduxerunt defensorem libertatis eorum, uidelicet Stephanum de uilla Natztha. Christophorus itaque comes de Clus, per pristaldum nomine Ela de uilla Zupur misit eos ad candens ferrum Uaradinum, quo Nicus et ioubagiones eius, cum defensore libertatis eorum et pristaldo, uenerunt stare iudicio. aduersarii autem eorum non comparuerunt, nec per aliquem excusacionem miserunt. Nicus itaque ad iudi-

cem reuersus, iusticiam sibi de aduersariis fieri postulauit, quos iniustam impeticionem suam confitentes, iudex prefatus per iam dictum pristaldum mittens Uaradinum, iniusticiam suam conuentui fecit protestari. uenientes enim Bela, Uadasa et Uardou, pro semetipsis et pro coadiutoribus suis, ut ipsi dixerunt, confessi sunt prenominatos ioubagiones Nicus non esse suos conciues, sed iniuste illos esse impetitos.

(255) Paul comes uenatorum impeciit Feheram de uilla Solumus pro ueneficio, iudice Nicolao uicearchidiacono de Zatmar, pristaldo Ioanne. Fehera itaque portato ferro Uaradini iustificata est.

(256) Buchud de uilla Iánust impeciit Mecam de uilla Genta pro furto, Paulo curiali comite de Bichor et Teca biloto, iudicibus, pristaldo nomine Uosos de uilla Ianust. Meca itaque portato ferro Uaradini iustificata est.

(257) Mathel impeciit dominam Genuruch de ueneficio, iudice Nicolao comite Transiluani episcopi, ex precepto domini sui, pristaldo Mada. Mathel uero renunciauit Uaradini iudicio candentis ferri.

(258) Bosur archipreco Békesiensis de uilla Ica, dum poneret racionem ex consuetudine sui officii de bobus regiis, dixit se a Ioanne precone de uilla Sceueü quattuor boues nondum accepisse. ille autem dixit se ei scilicet Bosur dedisse. iudice Damiano curiali comite de Békes. Bosur itaque iudicio ferri candentis conuictus est.

(259) Bothsa curialis comes sancti protomartyris impeciit duos ioubagiones Laurencii, scilicet Paulum, et Kemam, de bobus furtim ablatis, et ostensa presumptione, scilicet carnibus in domibus illorum copiose inuentis. Nuetlen curialis comes de Bichor, sine talione ut pristaldus dixit nomine Lucas, misit Uaradinum, ubi Paulus iustificatus est. Kema uero confugit ad ecclesiam.

(260) Rahina impeciit conuillanum suum Zaman de

uilla Huruat pro furtiuo dolabro, iudicibus Gabriele biloto et Sebe curiali comite de Carasna, pristaldo Cuca. Uaradini Rahina subterfugit iudicium ferri candentis, dicens se iniuste Zamam impeciisse.

(261) Golsa de uilla Ban impeciit conuillanum suum Sedun de combustione domus et damno sex marcarum, iudice Agya comite de Carasna, pristaldo Luca de uilla Kouáchi. Sedun itaque portato ferro Uaradini iustificatus est.

(262) Georgius de uilla Buht, coadiuuante eum Simone sacerdote de uilla s. Martini, impeciit Micoun de uilla Katar, de uiolento raptu filie sue Margarethe, et hoc ipsum illa astruxit. Micou uero dixit illam uxorem suam legitime ductam esse, et habere nuncium mediatorem nomine Desc. qui cum fateretur se fuisse mediatorem et adduxisset super hoc et ipse quosdam testes, Oltuman archidiaconus de Zathmar, per pristaldum nomine Echireh misit Uaradinum, ut Desc portaret ferrum. ubi taliter conuenerunt, quod predicta mulier redderetur a patre suo domino Micou in uxorem, Desc satisfaceret iudici, Georgius pristaldo.

(263) Dema de uilla Solumus impeciit Urbanum de uilla Gyonta de furto, iudicibus Paulo curiali comite de Bichor, et Teca biloto, pristaldo Honos. Urbanus itaque Uaradini combustus est.

(264) Clemens comes filius Haben impeciit quosdam castrenses, scilicet Odun, Thomam, Thomum et Ecust, pro duabus marcis, iudice Codaba centurione illorum, pristaldo Comad. prenominati itaque castrenses Uaradini iustificati sunt.

(265) Kalad de uilla Gest cepit aliquot oues suas apud Betum de uilla Scecul, dicens triginta et unam oues se amisisse per furtum. Beta autem dixit se emisse a Masa de uilla Sorou. quos Mica comes Bicoriensis et Teca bilotus

discuciens, per pristaldum nomine Hoils miserunt Uaradinum. Ubi Masa portato ferro combustus est.

(266) Simon filius Zela, frater Sebastiani comitis, impeciit libertinos Ina et Iouanc, filiorum Ioannis, scilicet Budam, Checham, Checlen, Pousam, Dan et Dubam, de furto, et ipsos dominos eorum, fautores et protectores esse furum. Banc itaque palatinus comes misit eos Uaradinum, ut pro Ina et Iohanc, quattuor de genere ipsorum, quos Simon eligeret, iurarent ibi quod ipsi nescirent Iuan et Iohanc consocios furum et defensores esse. ipsi autem ad locum non uenerunt, sed excusatorem mittentes, dixerunt se esse in exercitu, et ideo Uaradinum non potuisse uenire. predicti uero libertini nec ipsi comparuerunt, nec excusatorem absencie miserunt. quod cum prefatus iudex resciuisset, missis litteris suis per pristaldum suum nomine Laurencium de uilla Libeci, mandauit illos libertinos pro condemnatis describi, et factum est ita.

(267) Zounuc impeciit Gallum et Ualentinum de decem marcis, iudice Simiragdo comite, pristaldò Chikou. Gallus itaque combustus est, Ualentinus autem iustificatus.

(268) Dirsig de uilla Dirsig impeciit Georgium filium Ponota, item Gyulam et Forcos filios Casta, de uiolencia. iudice Agya comite de Carasna, pristaldo Lépe. homo itaque Dirsig portato ferro Uaradini iustificatus est.

(269) Andreas de uilla Uitan impeciit Georgium ioubagionem Ypoliti de uilla Hlap, dicens quod cum Georgius prius ioubagio ipsius fuerat, duodecim marcas pro causa eius, scilicet Georgius expenderit, quos Paul curialis comes de Bichor ad iudicium ferri candentis per pristaldum nomine Gyugea misit Uaradinum, ubi taliter conuenerunt, quod Ypolitus daret Andree pro iobagione suo tres fertones, et capitulo quattuor pondera et dimidium, et idem Ypolitus pro eodem Georgio iudici satisfaceret, pristaldo autem Andreas teneretur.

(270) Ioannes de uilla Uansud impeciit Andream conuillanum suum, et Tumen de uilla Guizar, et Georgium de uilla Uilloc seruum Samsonis, de combstione domorum suarum et matris sue, cum sex capitibus hominum, iudice Mice comite Bichoriensi, pristaldo nomine Don de uilla Gurba. Georgius itaque portato ferro Uaradini iustificatus est, Andreas uero et Tumen sencientes se combustos esse, confugerunt ad ecclesiam.

(271) Mortun de uilla Dyuna accusauit conuillanum suum Petrum de furto, iudice Heym comite de Borsoha, pristaldo Milosth filio Albei. Petrus itaque Uaradini portato ferro iustificatus est.

(272) Quidol de uilla Gyan impeciit Tumpam conuillanum suum de furto. iudicibus Mica comite de Bichor et Teca biloto, pristaldo Halalus de uilla Sceuleus. Tumpa itaque Uaradini iustificatus est.

(273) Stephanus de uilla Terepes impeciit conuillanam suam nomine Dedubam, et filiam suam scilicet Penam, et filium suum Pousam, de maleficio. iudicibus Abel archidiacono de Herdeud et Iob comite assessore, pristaldo Toma de Herdeud. Deduba et Pena et Pousa portato ferro iustificata est.

(274) Paulo filio Hecy furtim bos est sublatus, quem dum inuestigasset, inuenit in domo Unice de uilla Dusunic, predio monasterii sancti Ioannis Baptiste. qui Unica citatus ad iudicem cum conuillanis suis, absoluit conuillanos suos, et statuit quendam nomine Egiud de uilla Yztharü predio Michaëlis, dicens quod ille cognatus suus esset, et ipse declinans in domum suam ex consuetudine consanguinitatis, adduxisset illuc bouem illum. quod cum ille negaret, Demetrius curialis comes de Bichor et Tupsa bilotus, per pristaldum nomine Cozmam miserunt ad ferrum iudicabile Uaradinum. Ubi Egyud portato ferro combustus est.

(275) Boynuc de uilla Uosuarii impeciit generum suum

nomine Tecus de uilla Catar, pro occisione uxoris sue sororis scilicet eius. iudicibus Hisce curiali comite de Zathmár, et Gabriele Uicearchidiacono, pristaldo Forcos de uilla Gylian. Tecus portato ferro combustus est.

(276) Sama castrensis de Zounuc de uilla Sugu impeciit Pousam filium Pauli de uilla Zolos, dicens illum quod suus esset conciuis, et ut ipse Sama et pristaldus suus Absolon dixerunt, iuuerunt ipsum Samam in hoc ioubagiones castri Zounuc. sed solus Sama fuit in execucionem huius cause Uaradini. ille autem dixit se esse liberum et Teutonicum genere. quos Angelus curialis comes de Zounuc per predictum pristaldum misit Uaradinum. Ubi prefatus Sama subterfugit candentis ferri iudicium, dicens quod falso impeciisset Pousam pro suo conciue.

(277) Uarou de uilla Petri, dum quidam mercatores salis de prouincia Zala cepissent bouem apud eum pro furtiuo, et tributarii regine causam mercatorum illorum tenendam suscepissent, iudice Angelo curiali comite de Zounuc, pristaldo Rogero, Uarou missus a prefato iudice Uaradinum, uenit cum suo pristaldo, aduersarii eius non uenerunt.

(278) Uitalis de uilla Uedu impeciit Saulem de uilla Fegyerunc pro furto, iudice Mica comite, pristaldo Zouislou de uilla Tulka. Saul combustus est.

(279) Forcos de uilla Tauarnuc impeciit conuillanum suum Suka pro furto, iudice Isepb Tauarnicorum curiali comite, pristaldo Petus de uilla Chemey. Suka portato ferro iustificatus est.

(280) Tomas, Buga et Sumug impecierunt Syguert, Scemus et Uotam, de duabus marcis et uno fertone, iudice Martino filio Tumpe comitis, pristaldo Bratus. Scemus et Uota portato ferro, pro se et Siguert, iustificati sunt.

(281) Uilmos et Temes de uilla Burs impecierunt conuillanos suos Scicum et Fitam pro quattuor marcis, iudice

curiali comite episcopi Uaradinensis, pristaldo Dekeu. Scicus et Fita iustificati sunt.

(282) Ioubagiones Petri filii Pou, scilicet Bulsu, Echi, Scemera, Loctu, Cheka, Suluc, Michaël, cum missi essent pro latrocinio a Heym iudice eorum Uaradinum, ad iudicium ferri candentis, per pristaldum nomine Catonem, dato termino in septimana dominus fortitudo, non uenerunt, sed Petrus dominus illorum tulit literas ex parte Heym iudicis eorum, in quibus iubebatur pristaldo quod differet causam illam ad festum sancti regis ad regem.

(283) Demetrius de uilla Nazalas impeciit Ioancam de uilla Simonis, et Urbanum de uilla Ebes, dicens, quod cum gloten suam mortuo marito suo recepissent, eciam pecuniam suam triginta marcas ualentem ei abstulissent. quos Simeon uoiauoda per pristaldum nomine Andream de uilla Chengua ad iudicium ferri candentis misit Uaradinum, ubi taliter conuenerunt, quod Ioanca et Urbanus de tribus quas acceperat redderet Demetrio unam pedisequam nomine Iohacecu, et seruum nomine Muncam. gloti autem sue traderent pedisequam nomine Ticuram, et idem pristaldo satisfaceret, iudice autem Demetrius teneretur. pro dotaliciis uero glotis Demetrii nullus a modo cum Demetrio agere posset, sed esset omnino absolutus, et si aliquis requireret, Ioanca frater glotis sue, et Urbanus maritus eius, tenerentur Demetrium expedire. preterea Demetrius dederat gloti sue equaciam que furto sublata est illi, quam si Urbanus inuenerit, Demetrius tenetur ex condicto eum iuuare in requirendo, si Urbanus requisiuerit.

(284) Nouerunt uniuersi, quod Antonius de uilla Zupur, cum esset citatus Uaradinum ad candentis ferri iudicium, dato termino in septimana dominus fortitudo, Salamone comite de Nitra iudice a rege delegato, pristaldo Nicolao, Antonius non uenit, Heme uero et Gyoma, aduersarii eius et pristaldus uenerunt.

(285) Georgius de uilla Babud ueniens cum pristaldo suo nomine Cubuchi, dixit se litigasse coram Angelo curiali comite de Zounuc, pro uiolenta ablacione serui sui, cum Somu de uilla Gyou. qui Somu ueniens in sexta feria eiusdem septimane, dixit non stare se iudicio prefati iudicis in causa ista, eo quod alius esset iudex et pristaldus eorum.

(286) Egyud et Smaragdus comites miserunt contubernarium suum Andream, et impecierunt Laurencium de uilla Latinorum Uaradinensium pro occisione seruorum eorum, iudice Ioachin economo, pristaldo Fulco clerico. sed cum Laurencius paratus esset portare candens ferrum, Andreas renunciauit iudicio ferri candentis, dicens illum esse innocentem.

(287) Egidius de uilla Lazd impeciit peliparium ecclesie de Igyed nomine Kana de uilla Sashad pro furto, iudice Paulo curiali comite de Bichor, pristaldo Orochi de uilla Boctu. Kana portato ferro iustificatus est.

(288) Somzou, Sama, Chegur de uilla Gyagya impecierunt quosdam de uilla Orobag, scilicet Cogy, Sceman, Ballum, Uros, Uotam, et de uilla Tuca Usam, pro damno decem marcarum, arbitris Georgio, Iano, Ambrosio, Guthmar, Ioachin, pristaldo autem Bata, in septimana ecce deus. Cogy, Scema, Balu, Utros, Uota, et Usa non uenerunt, sed dominus eorum misit excusatorem pro eis dicens, et quod ipse in predicto termino debuit esse apud palatinum, et ideo ioubagiones sui prenominati, sine ipso uenire Uaradinum non potuissent.

(289) Beche de uilla Tarian impeciit predictos Balum et Scemam de damno unius et dimidie marce, coram eisdem arbitris, et eodem existente pristaldo, et eodem termino, sed ut predictum est Balu et Scema non uenerunt.

(290) Uolura litigauit cum Petro, dicens quod Petrus debebat ei marcam unam argenti, et cum repeteret illam, Petrus negasset se in aliquo ei teneri, insuper et uitupe-

rasset eum, et gladium super ipsum euaginasset. quos Ioachin uicarius iudex Ladislai comitis uenatorum bubalinorum discuciens, per pristaldum nomine Stephanum misit Uaradinum, ubi taliter pacificati sunt, quod Uolura dimisit Petro totum quicquid requirebat, et idem ipse dabit Petro unum fertonem. Petrus autem satisfaceret iudice et pristaldo, et ambo semper essent in pace.

(291) Misca, Ioannes, Buctu et Abraam filii Bucanis de Boiano impecierunt Ioannem filium Opoy de Rabay, et Bichorienses de alio Boiano, scilicet Chemem et Temem, et omnes castrenses de eadem uilla, dicentes quod nullum haberent consortium cum eis de arundineto et insulis et paludibus et locis piscacionis. illi econtra dixerunt se in omnibus predictis usibus ex equo esse consortes. Gyula igitur palatinus comes discuciens eos, per pristaldum nomine Gyurc filium Moysa de uilla Heldus misit ad examen ferri candentis Uaradinum, ubi taliter conuenerunt, quod Ioannes et Bichorienses de Boiano equalem haberent proprietatem et consortium generale de arundineto, in arundinibus et locis piscacionum, cum filiis Buctonis de alio Boiano. sed de insulis tantum due, scilicet insula Myske et Fecel, que uidelicet in interiori parte sunt arundineti predicti Ioannis, esset et Bichoriensium alie uero insule, que in exteriori parte arundineti sunt, filiis Buctonis attinerent, in premittendis autem extraneis ad percipiendum aliquem usum de arundineto sic commune ius et equale haberent, ut neutra predictarum uillarum plures de aliis uillis, sine consensu relique, ad sumendum aliquid de arundineto permittendi fas haberet. de uilla autem talis facta est composicio, quod quecunque uia arundinetum esset filiorum Buctonis, eidem Ioannis quoque et conuillanis eius Bichoriensis sine contradictione teneretur.

(292) Uarou de uilla Bud impeciit conuillanum suum Emericum pro una marca et dimidia, iudice Leustachio

domino eorum, pristaldo Michaële. Uaradini taliter conuenerunt, quod Uarou satisfaceret iudici, Emericus uero teneretur pristaldo, et daret aduersario suo quindecim pondera.

(293) Barabas impeciit ioubagionem Agya comitis nomine Thomam, dicens quod filium suum nomine Sub, qui fuit apud Barrabam in seruitute pro pecunia, ipse Thomas furtim fugere ab eo fecisset. quod cum Thomas negaret, prefatus Agya discuciens, per pristaldum nomine Cosmam misit Uaradinum ad candentis ferri iudicium. ubi iam dictus Barrabas accepit unam marcam et fertonem a Thoma, et absoluit Thomam a causa sua, et filium eius a seruitute.

(294) Quidam nomine Luc cum pristaldo suo nomine Santo ueniens in septimana dicit dominus, dixit se esse missum a iudice eorum, scilicet Bodum filio Bodum, ad portandum ferrum pro tribus marcis, contra quendam nomine Christianum. sed Christianus in predicta septimana Uaradini non comparuit.

(295) Furman accusatus de furto non uenit Uaradinum, de quo tales literas misit iudex suus. ego Uenceslaus dei gracia sum comes Zothmariensis. Tobo filius Peta litigauit in presencia mea cum Furman filio Ber biloti Hodosdiensis, asserendo ipsum esse furem. iudicio inter eos constituto, misit eos ad locum Uaradinensem per pristaldum Petrum filium Marc. Tobol cum pristaldo suo iuit et fuit in termino Uaradini prefixo, sed Furman contrarius suus non iuit illuc. istis literis nos istud addicimus, quod prenominatus Furman in septimana exaudi domine non comparuit Uaradini, sed Tobol et pristaldus fuerunt.

(296) Forcos centurio impeciit Pousam filium Matthie de uilla Soluhan de tribus marcis dimidia minus uiolenter ablatis, iudice Nuetlen curiali comite de Zaránd, pristaldo Iacob filio Forcos. qui Uaradini taliter conuenerunt, quod

Pousa daret prefato actori unam marcam et dimidiam, idemque iudici satisfaceret ac pristaldo.

(297) Nenecy de uilla Sum impeciit conuillanum suum, scilicet Uolotcu de furto. iudicibus Mocud et Iohanca biloto, pristaldo Horogus filio Suda. Nenecy itaque et Horogus fuerunt Uaradini per totam septimanam exaudi. Uolutcu uero uenit in die ueneris in eadem septimana, dicens quod in sequenti septimana esset terminus ipsius.

(298) Kelian de uilla Beseneud impeciit Budam, Petrum, Uendec, Borozlou, Poucam et Buntam de uilla Uosian predio Simonis, item Pousam de uilla Numen predio Sehus, de pecunia uiolenter ablata, iudicibus Heymu comite a rege dato et Alexandro, pristaldis Minos et Dazlou. Uaradini autem talis inter eos facta est conuencio, quod Keliano darent aduersarii sui quinque marcas, et iudici idem satisfacerent, pristaldo autem Heim comitis Kelian teneretur.

(299) Forcos ioubagio Laurencii de uilla Cups impeciit conuillanum suum Pousam libertinum eiusdem Laurencii, de combustione domus et damno trium marcarum, iudice prefato Laurencio, pristaldo Gregorio de predicta uilla. Pousa portato ferro iustificatus est.

(300) Castrenses de Carasna de uilla Ban, scilicet Damang, Duh, Nusata et omnes alii de eadem uilla, coadiuuante eos Tumpa centurione, ut pristaldus astruxit, impecierunt quendam, scilicet Iecur filium Redea, Sol et Boudun filios Sacicu, Sytecy filium Babuci, dicentes quod conciues essent eorum. illi autem dixerunt se esse liberos et genere Ruthenos, et adduxerunt defensorem libertatis sue nomine Chedur genere Ruthenum ioubagionem Barnabe, qui dicens illos cognatos suos esse, tenuit libertatem eorum, iudice Tupa curiali comite de Carasna, pristaldo Donca de uilla Bogus. Chedur itaque portato ferro iustificatus est, probauit illos liberos esse.

(301) Roda de predio Beken impeciit conuillanum suum Urcund de una marca et dimidia, iudice domina Eufemia, pristaldo Toca. Urcund portato ferro combustus est.

(302) Micicu de uilla Bogus, cum diceret fideiussorem Rufdonis in uendicione equi, qui furto sublatus esse dicebatur domini Rustonis. Dursa dixit esse maleficium, iudice Comploto archidiacono de Carazna, pristaldo Buda de uilla Bogus. Micieu portato ferro iustificatus est.

(303) Petrus et Bosu de Alba, ut pristaldus dixit, impecierunt quendam de uilla Mon nomine Uluen, uiginti et quinque marcis uiolenter ablatis et plaga gladii, iudice Pris curiali comite de Zounuc, pristaldo Forcos de uilla Tuka. Pangracii seruiens Petrus et Bosu combustus est.

(304) Cum uoiouoda comes de Doboka peruideret exercitum suum, quidam ex ioubagionibus eiusdem castri nomine Hereust, stetit in ordine iobagionum naturalium, qui scilicet ioubagiones sancti regis nuncupari solent. Tunc accesserunt quidam de ioubagionibus sancti regis, uidelicet Uanoy et Bocya, et reiecerunt illum de ordine suo dicentes, quod ipse non esset de ordine et gradu ioubagionum sancti regis, et hec idem dixerunt Keuerug hodunogio et Kereu ioubagiones. prenominatus itaque comes discuciens eos, per pristaldum nomine Bocy de uilla Boscu misit Uaradinum ad examen ferri candentis, ubi prefati Uanoy et Bocya se recognoscentes, coram pristaldo et Theodoro, qui dixit se uice Keuerug hudunogionis et Kereu ioubagionis uenisse, coram capitulo Uaradinensi confessi sunt, iam dictum Hereust iniuste de ordine ioubagionum sancti regis expulisse.

(305) Urcund portato ferro contra dominum Rodam combustus est, iudice domina Eufemia, et pristaldo Tica.

(306) Miros de uilla Dereg impeciit conuillanos suos, scilicet Elam, Poznanum et Enderem, item de uilla Undou Martinum, et de uilla Fodot Sumb et Scegam. impeciit au-

tem de duabus marcis et dimidia, iudice Basu curiali comite de Clus, pristaldo Lka. Miros portato ferro iustificatus est.

(307) Pomel de uilla Pechey impeciit, ut pristaldus dixit, conuillanos suos, scilicet Domum et Tumpam, et idem de uilla Saicu Basam pro latrocinio, iudicibus Tupa curiali comite et Ruben biloto de Crazna, pristaldo Andrea. Basa et Domus iustificati sunt ferro portato. Tumpa uero non uenit in septimana qua ferrum portare debuit, sed uenit postea in dominica die respice, dicens iustificatum ante iudices se, et ideo non uenisse.

(308) Pousa de uilla Nadal impeciit conuillanum suum, scilicet dominum Forcos, pro damno quinque marcarum, iudice Boc comite domino eorum, pristaldo Matu. inter quos talis facta est conuencio, quod Forcos daret dimidiam marcam Pousa, et in tercia parte satisfaceret iudici et pristaldo.

(309) Uxor Laurencii de uilla Dolman impeciit quosdam de uilla Colosa, scilicet Naluc, Cecam et Uid, de furto, iudice Neuetlen curiali comite de Zaránd, pristaldo Teca de uilla Seigueti. Uid portato ferro iustificatus est. Naluc et Ceca manus non sunt iuspecte, quia sigilla eorum fracta sunt inuenta.

(310) Uirhar de uilla Fansol, ioubagio Barnabe, impeciit dominum Bosz de uilla Ziloch pro furto, iudice Pers curiali comite de Zounuc, pristaldo Sceraka. Bozc portato ferro iustificatus est.

(311) Deus filius Sancti de uilla inferioris Quer impeciit conuillanum suum Iohannem, ioubagionem Hus, pro furto, iudice Paulo curiali comite de Bichor, pristaldo Gyuge. Ioannes portato ferro incombustam habuit manum, sed sigillum fractum.

(312) Michaël de uilla Musou impeciit Gyunam de uilla Euse pro furto. iudice Mica comite de Bichor, pri-

staldo Micusa de uilla Gyoroc. dominus Gyuna combustus est.

(313) Ioannes filius Turdis comitis impeciit ioubagiones ecclesie de Clus, scilicet Scelam et Pousam et seruum scilicet Posu de predio Her pro latrocinio, iudice Mica curiali comite de Bichor, pristaldo Ioanne. Sela itaque et Posu iustificati sunt, Pousa combustus est.

(314) Uadu de custodibus silue Beregu impeciit conuillanum suum Uulcanum pro occisione filie sue per pocionem. iudice Mescu comite de Beregu, pristaldo Andrea. Uulcanus iustificatus est.

(315) Martinus archidiaconus impeciit Beluen et Matthiam de uilla Ioubag, et item Gekam de uilla Zor, et Kelemen de uilla Segu, pro occisione filii sui, quos Nicolaus comes palatinus per pristaldum nomine Gougar misit Uaradinum ad candentis ferri iudicium, ubi Kelemen portato ferro iustificatus est. Belue uero et Matthias taliter conuenerunt, quod darent aduersario suo uiginti et quinque marcas, et iidem iudici satisfacerent et pristaldo, et si compotes sui existerent, ieiunarent pro homicidio. item Geka conuenit dare aduersario suo quatuor marculas, et satisfacere iudici et pristaldo.

(316) Bolosi de uilla Bulkan coadiuuante patruo suo, scilicet Kyna et aliis cognatis suis, uidelicet Elur, Bot, Benedicto et Georgio, impecierunt quosdam de alio Bulkan, scilicet Poth, Uilman, Detreh, Laurencium, Mazam et Thomam de occisione patris sui, scilicet Zude, iudice Michaële curiali comite de Zobols, pristaldo Mattheo de uilla Bozt. Both combustus est, reliqui iustificati.

(317) Gyuna de uilla Dabra cepit duos boues suos apud Uosos de uilla Torsa predio Angyolus, dicens illos furto sibi sublatos. ille respondit se emisse a quodam conuillano suo nomine Sogyon. qui cum negaret, Uosos impeciit alium conuillanum suum Sumptam nomine de fideius-

sione, qui cum et ipse negaret, Uingizlou comes de Zothmar, per pristaldum nomine Chentu misit Uaradinum, ubi Uosos portato ferro combustus est.

(318) Achus et Butha de uilla Cheusci impecierunt Gabum, Nicolaum, Tekum, Petrum, et alium Petrum de Humuroc pro latrocinio, iudice Paulo curiali comite de Bichor et biloto Cibout, pristaldo Martino de Curmusd. Uaradini autem predicti impetitores subterfugerunt iudicium ferri candentis, dicentes se falso peciisse illos de latrocinio.

(319) Mogus de Scegu de uilla Uduori, coadiuuantibus conuillanis eorum, impecierunt Ianum conuillanum suum de furto, iudice Martino comite, pristaldo Uois. Ianus cum solui deberet, confugit ad ecclesiam, dicens se combustum.

(320) Paulus, de uilla Zuna, impeciit conuillanam suam, nomine Scemam de ueneficio. iudice Farcasio archidiacono de Zounuc, pristaldo Stephano. Uaradini Paulus absoluit illam, spondens se satisfacere iudici. illa uero satisfaceret pristaldo, et capitulo.

(321) Uxor Teleguen et filius eius Cumpert impecierunt duos seruos Olodarii, uidelicet Sal et Bodun, et duos ioubagiones Ioannis, scilicet Sudan et Uolcu, et totidem seruientes Beli, scilicet Ioannem et Petrum pro latrocinio, iudice Nicolao comite palatino, pristaldo Philippo. et illi quidem sex Uaradini portato ferro iustificati sunt, sed preter illos prenominati accusatores impecierunt Albeum ioubagionem Iohannis, et dominum Scenezeü ioubagionem abbatis de Heuiuz. quorum Albeus, senciens se esse combustum, confugit ad ecclesiam. Scenezeü uero combustus est.

(322) Adam filius Bolosoy de uilla Ieneu impeciit conuillanum suum nomine Paulum, dicens quod unum seruum suum nomine Uotam, et alteram ancillam suam sci-

licet Scencam sororem eiusdem, ui ab eo abstulisset. Paulus respondit se emisse ab eo, non ui abstulisse illos, et adduci testes. quos Paulus curialis comes de Bichor discuciens, per pristaldum nomine Ducam misit Uaradinum ad iudicium ferri candentis. interea conuenerunt cum licencia iudicis, a quo eciam Uaradinum transmissi, contestati sunt coram capitulo et pristaldo se ita conuenisse, quod Adam satisfaceret iudici, Paulus uero pristaldo, et idem Paulus daret Ade unam marcam et dimidiam.

(323) Filii ioubagionum sancti regis de uilla Gyan, scilicet Ychu, Unicus et Matthias, et filii ioubagionum descensum comiti persoluencium de alia Gyan, scilicet Dionis, Forcos, Ioachin, Uruz, Endus, Fuc, Sypeü, Ysou et alii, et item de tercia Gyan castrenses, scilicet Sama, Meckad, Obud, Medue, Ficed, Cibrian, Kidol, et aliis coadiuuantibus castri Bichoriensis ioubagionibus, scilicet Luca principe exercitus, Forcasio filio Symoud, Uros filio Sicou, Biho filio Pasche, et Tegek centurionibus, Petro quoque maiore preconio, impecierunt clericum nomine Magnum de eadem uilla, filium Galdu, dicentes ipsum extorrem, nec habere aliquod ius fundi nec agri. ille autem respondit se habere separatum ius fundi et ius agri ad tria aratra, et super hoc se iustificatum esse eciam alias, iudice Moch comite palatino et Bichoriensi, et pristaldo nomine Tupa filio Pauli de uilla Gurbey. quod cum aduersarii negarent, Paulus curialis comes de Bichor, ex precepto domini sui Mice comitis huius cause iudex constitutus, iussit Magno prenominatum pristaldum huius cause adducere, qui dato termino adductus et inquisitus, perhibuit testimonium iuxta omnia que Magnus asserebat. tunc aduersarii obiecerunt ei uicium falsitatis, dicentes ipsum falsum esse pristaldum. Paulus itaque iudex eorum precepit assessores iudicis, cuius se pristaldum asserabat, adducere. dato igitur termino adduxit Ioancam comitem filium Iohannis comitis,

Clementem cum fratre suo Saul de genere episcopi Budlu, item alium Clementem de genere Borsa, Germen de uilla Sisol de parochia Sumugiensi, Salomonem de ponte Cepan, et Fira curiales comites domine Eufemie, Nicolaum filium Ugra, Pos de uilla Undoch et alios. ex his itaque omnibus electi sunt secundum opcionem aduersancium Iohanca filius Iohannis comitis et Salomon, ut illi cum prenominato pristaldo in monasterio Ugra iurantes, pristaldum ueracem esse comprobarent. ad predictam autem ecclesiam uenientes, pristaldo et testibus iurare uolentibus, aduersarii eorum noluerunt eos adiurare. supradictus ergo iudex, serie tocius cause domino suo Mice comiti recitata, et auctoritate ipsius firmiorum accepta, sepe iam memoratos homines de uilla Gyan iudiciali sentencia condemnauit, et prefatum Magnum in possessione terre sue confirmauit, dato pristaldo nomine Dionysio filio Ompud de prouincia Zaránd de uilla Uosian. ipse quoque prefatus iudex, cum eisdem aduersariis Uaradinum deueniens, coram ipsis Simoni episcopo totique capitulo totam execucionem huius cause exaratam superius oretenus fuit contestatus.

(324) Galaldu et Titoc de uilla Tuluoy, item Ega de uilla Yka, et Teka de uilla S. Georgii, ut pristaldus dixit, nam solus Teka de illis fuit Uaradini in execucione huius cause, impecierunt dominum Bogui de uilla Yca pro homicidio. iudice Paulo comite de Békes, et pristaldo Pochiu, de uilla Zucur. Boguir itaque portato ferro iustificatus est.

(325) Teulegyn, Trebus et Uosos, cum occisus esset quidam cognatus eorum, scilicet Somoc, impeciit quosdam, scilicet Man et Budam de occisione illius. sed et Pudu et Banalc suspectui habiti sunt, quod et ipsi conscii occisionis extiterint. Raphaël igitur comes de Kuckelluu, per pristaldum nomine Moncu misit Uaradinum, ubi Pudu et Banalc portato ferro iustificati sunt.

(326) Alexander filius Theodori de Tomoi impeciit

Paulum fratrem Heim de destructione trium prediorum, id est damno sexaginta marcarum, iudice Salomone comite de Bachu ex precepto regis Andree, pristaldo Timodeu de Zala. homo itaque Alexandri portato ferro iustificatus est.

(327) Iacou filius Pata impeciit Chekam ioubagionem Andree, de absconsione cuiusdam fugitiue ancille sue cum quinque marcis, et pro Cheka fecit dominus suus Andreas. damno itaque octo marcis appreciato, Paulus curialis comes de Bichor misit Uaradinum, dato pristaldo nomine Amando, ubi homo Iacou portato ferro iustificatus est.

(328) Paul de uilla Sciguetü portato ferro iustificatus, probauit se duos equos in uadio acceptos, seruo Mice comitis, scilicet Scemel, cum consciencia Ereu procuratoris tradidisse. iudice Mica comite, pristaldo Keue.

(329) Ioubagiones de Zoboslo, scilicet Igeben dux exercitus, Bede, Bela, Uodosa, Isaac centuriones, item Cicolou Uarnogio et Peter archipreco, impecierunt Cotlobam et Cepanum de uiolenta occupacione terre castri. Cotloba autem respondit se terram eandem pro aliquo forefacto prius amisisse, et adepta uenia, cum rex reddi sua per cepanum palatinum comitem precepisset, nullus ei in eam terram redintranti contradixisset. Nicolaus itaque palatinus comes, iudex eorum, precepit ei adducere pristaldum restitucionis, et ille adduxit Azariam de uilla Nechemér, cui testimonium de restitucione perhibenti supradicti aduersarii contradicere non audentes, condemnati sunt. iudex itaque terram, de qua scilicet agebatur, predictis Cotlobe et Cepano fecit confirmare, dato pristaldo nomine Farcasio de uilla Loc. qui terra illa confirmata legitime, cum centurione Isaac nomine, qui se a sociis suis centurionibus transmissum esse perhibuit, rem gestam Uaradiensi capitulo contestatus, presentibus literis fecit eternari.

(330) Uenatores bubalorum de uilla Ypu citauerunt filios Gunter, scilicet Ananiam, Azariam et Michaëlem ante regem Andream, dicentes quod terra nomine Deudas iuris eorum esset, et illi uiolenter occupassent. rex autem commisit causam eorum Nicolao comiti, scilicet curiali et Posaniensi, discuciendam. ante quem predicti uenatores se recognoscentes, confessi sunt se prefatos fratres de terra illa iniuste impeciisse. iudex itaque dato pristaldo nomine Topazio de uilla Satar, predictam terram metari fecit, et iam dictis fratribus confirmari. de terra autem eadem habet Iacob filius Opsa ius unius funiculi ad dimidium aratrum. ut autem excusacio huius cause sciatur a posteris, idem iudex eodem pristaldo misso et literis, coram Mert decurione illorum uenatorum, capitulo Uaradiensi fecit seriem huius cause predicto ordine contestari.

(331) Simon de uilla Siptul impeciit Medeum, Farcasium et Ludugerum de uilla Botcu, dicens quod duas pedisequas eius, scilicet Mariam et Deragam, et octo boues aratores. et triginta oues, et unum equum, uiolenter ei abstulissent. Tumpaica curialis comes preconum regis ablata decem marcis apprecians, misit illos per pristaldum nomine Duncia de uilla Chegyen ad iudicium ferri candentis Uaradinum, ubi taliter conuenerunt, quod Medea, Farcasius et Ludugerus darent Simoni marcam et fertonem, et idem iudici satisfacerent, partem autem pristaldi Simon persolueret.

(332) Cupes de uilla Neueg impeciit conuillanum suum dominum Buhus de tribus fertonibus, iudice Apa comite, pristaldo Peta de predicta uilla. Buhus autem cum ferrum portare deberet, posuit corpus domini de ore in manum, et reus est hinc iudicatus.

(333) Antoneu iobagio de Nouo castro impeciit Laurencium et Stephanum de Pon pro uiolencia et damno septem marcarum, iudice Petro curiali comite regine, pri-

staldo Acy de uilla Usa. homo itaque Anthoneu portato ferro combustus est.

(334) Martinus filius Grege impeciit ioubagiones Ethe filii Achillis comitis, scilicet Cheym, Tumpam, Olbruh, Olferih, Pacam, Tusam pro centum porcis uiolenter ablatis. iudice Mica comite de Bichor pristaldo Iancu filio Siluestri. Martinus itaque et pristaldus eius prima septimana domine in tua fuerunt Uaradini, prenominati autem ioubagiones non fuerunt. sed quidam sacerdos ueniens dixit, quod dominus illorum esset in curia, et sine domino eorum ipsi non essent iussi uenire. Martinus itaque et pristaldus eius, ut ipsi dixerunt, ad iudicem prefatum redierunt, et a iudice ad nos reuersi dixerunt, quod iudex condemnauit illos, et eciam a capitulo pro condemnatis haberi mandauit.

(335) Martinus filius Cochid impeciit Nunam de uilla Uosuarii pro quattuor marcis, iudice Dumeno comite de Bodolou, pristaldo Gusü de uilla Solumus. qui Uaradini taliter conuenerunt, quod Numa daret Martino unam marcam et dimidiam, et idem iudici satisfaceret, partem autem pristaldi Martinus daret.

(336) Uoda filius Farcasii impeciit ioubagionem Lamperti, scilicet Hegun de occisione patris sui. qui cum iudicati ab Eraclio yconomo Uaradiensi, cum pristaldo ipsorum Micone starent ad iudicium ferri candentis, reconciliati sunt ita, quod nominatus actor dimisit nominatum aduersarium suum pro innocente, iudici autem et pristaldo conuenerunt simul satisfacere.

(337) Forcos filius Ina comitis requisiuit ante Ladislaum comitem de Bách et iudicem curie quosdam, scilicet Alheum, Petrum, Endum et Abarcum filios Cepani, dicens ipsos suos esse libertinos, illi autem responderunt se omnino esse liberos, et adduxerunt assertorem libertatis ipsorum et defensorem, nomine Stanunz filium Ioannis cuius-

dam hospitis. qui cum et ipse liberos constanter asseret, nominatus iudex dato pristaldo nomine Michel de Urbay, misit utramque partem ad examen ferri candentis Uaradinum, ubi, cum iam dictus Stephanus ferrum portare accessisset, talis inter eos facta est conuencio, quod ipse Stephanus predicto Forcasio daret duas marcas, Farcasius autem illos quattuor, quos requirebat pro libertinis, reliquit pro liberis omnino, iudici autem pristaldo communiter satisfacere conuenerunt.

(338) Petrus filius Moraz de uilla Kad impeciit Busu sacerdotem et fratres eius, scilicet Iacob, Tibam, et Clianum de uilla Kenesü, dicens quod dimidietas terre, quam ipsi iure hereditario insidebant, hereditaria eius porcio esset: quod cum illi negarent, Ladislaus comes Bachiensis et iudex curie discuciens, per pristaldum nomine Uosos filium Boch de uilla Pun misit eos ad examen ferri candentis Uaradinum, ubi pacificati sunt, iudicia in quibus mutuo sibi tenebantur inuicem sibi omnino indulgentes, et talem te terra fecerunt conuencionem, quod terram quam nominatus Petrus requirebat, remisit predicto sacerdoti et cognatis eius memoratis. sacerdos autem et cognati eius dederunt ei unam marcam. iudici autem et pristaldo conuenerunt simul satisfacere.

(339) Bodum comes quendam nomine Chebam traxit in causam coram arbitris parochitanis, scilicet Adam, Farcasium decanum et Zounuc, dicens quod unum ioubagionem suum occidisset, et alium crudeliter flagellasset. qui Cheba cum peccatis illorum exigentibus hoc eis se fecisse affirmasset, predicti arbitri miserunt utramque partem ad examen ferri candentis Uaradinum, ubi homo Bodun comitis portato ferro iustificatus est.

(340) Usi procurator uille Scaldubag statuit ante nos Petenad et Mih ex una parte: Andream, Michaëlem, Butham, Scukam, Herceg, Gabrielem, Boton, Tekam, Sce-

kam, et Benam ex alia, dicens: quod prenominati Petenad et Mih dixissent coram domino suo Ladislao comite, iudice uidelicet huius cause, seipsos conterraneos cum prenominatis eorum aduersariis in terra Kereky. aduersarii autem predicti dixissent eos esse extorres, qui tandem seipsos recognoscentes, habita iudicis licencia, recepissent eos in consorcium terre predicte, excepto uirgulto, de quo Petenad et Mih partem non habent.

(341) Tecus filius Dionysii artificis, qui aperuit in eleuacione sepulchrum sancti Ladislai regis, et a gloriosissimo rege Bela pro eo artificio perpetua libertate donatus est cum omni generacione ab eo successura, senciens dissolucionem sui corporis imminere, quendam seruum suum nomine Urug constituit dusinicum exequialem, quam ipsum tam omnem eius hereditatem uirilem, ita ut singulis annis apud ecclesiam de Beseneu celebrarent exequias cum duabus missis, una oue, triginta panibus, uno ansere, et una gallina, et duabus chybrionibus cereuisie, et decimas iuxta condicionem seruilem det sacerdoti, scilicet duos cubulos frugum suarum, et unam gallinam.

(342) Us filius Tump de uilla Hoth ioubagio castri Bichor uendidit seruum suum nomine Zumbot, et uxorem eius Gerquenam, et filium eiusdem Boxam Theodoro filio Dionysii pro sex marcis et una uacca, presente Iacob cognato suo filio Hurt et non contradicente, et Theodorus persoluit sex marcas illas et uaccam nobis presentibus ad manus predicti Iacob.

(343) Usu filius Pouse de Sucuroi impeciit Martinum et Petrum fratrem eius, dicens quod hospes eorum habuisset damnum ad estimacionem octo marcarum, quod cum illi negarent, cognati utriusque partis, scilicet Nicolaus, Aba, Ambrosius, una cum Bodun comite utramque partem in ipsos arbitros consencientem discucientes, miserunt per pristaldum Petrum filium Morodec de uilla Bodun ad exa-

men ferri candentis Uaradinum. ubi portato ferro homo predictorum Martini et Petri mundatus est.

(344) Mattheus de Surcud impeciit cognatos Pueri sacerdotis, scilicet Matthiam et Texam, pro libertinis uxoris sue coram Desiderio episcopo Chanadiensi, qui tradidit eos iudicandos Scumcho comiti procuratori prediorum suorum. deinde prefatus Mattheus seipsum recognoscens resignauit illos quos requirebat pro liberis, cum omni generacione ab eisdem successura.

(345) Anno dominice incarnacionis millesimo ducentesimo uigesimo nono, tales a Ladislao comite Bachiensi et iudice curie littere nobis sunt destinate. uniuersitati uestre significamus, quod inter Gyopol ex una parte, et filios Absolonis ex altera, scilicet Ioannem, Martinum, Paulum, et Absolonem, talis facta est conuencio, quod predium nomine Letha iuxta Berucioü, dederunt fratri suo Gyopol comiti, ipsi autem in concambium illius predii acceperunt predium campestre nomine Iobogi cum sexaginta marcis, quas memoratus Gyopol comes nobis presentibus, et coram pristaldo huius cause, nomine Tuba persoluit in die natalis domini totaliter nominatis filiis Absolonis, et ita absolutus ab omni cambio, appropriauit sibi soli predium, quod Letha uocatur. his ita gestis utraque pars prestito sacramento super sepulchrum et reliquias s. regis Ladislai, inuicem sibi iurauerunt, quod de cetero sint pacifici nullum penitus malum unquam illaturi.

(346) Uniuersus Uaradiensis ecclesie conuentus, uniuersis ecclesie sancte filiis salutem in salutis auctore. innotescat omnibus presens scriptum inspecturis, Ladislaum comitem de Bach iudicem aule regie talia nobis per literas suas auctoritate iudiciali precepisse, quod ea que de exitu cause Simonis et fratris eius Uodasii filiorum Chenke in parochia Bichoriensi ex una parte, et filiorum Natus, scilicet Egidii et Stephani in parochia Békes ex altera, Michaël

clericus eius uiua uoce ediceret nobis, nos in registro nostro pro rato scriberemus. Michaël autem in presencia utriusque partis asseruit, prenominatos filios Chenka a prenominatis filiis Natus nouem capita hominum requisiuisse, uidelicet Lench cum duabus filiabus suis, scilicet Beda et Nuz, et item Iacam cum duabus, scilicet Choma et Michaele, Tumpam quoque cum filia sua, scilicet Mica et Penteca, et cum causa eorum ad examen ferri candentis a prenominato iudice per pristaldum nomine Micou de uilla Cundurus in parochia Békes fuisset Agriam destinata, filii Nacus seipsos recognoscentes, Simoni et fratri eius Uadasi se culpabiles reddidissent. illi autem consilio et peticione proborum hominum inducti et inclinati, unam ancillam de IX. capitibus, scilicet Pentekam, prefatis eorum aduersariis dimisissent, reliquis in ius eorum deuolutis.

(247) Cesar princeps exercitus de Békes, Petrus, Beda, Use, Tiburcius, Laurencius, Paulus, Geysa centuriones, litigauerunt pro quadam terra nomine Kechen cum Martino filio Misca, coram Ladislao comite Bachiensi et iudice curie, dicentes terram Kechen esse terram castri de Békes. Martinus autem respondit eam esse terram suam hereditariam, affirmans quod eandem terram antecessores ipsorum, scilicet Chab, Sicund, Isumgut, Buus, et reliqui cum ciuibus eiusdem castri, a patre suo Myska et cognatis eius coram Gyula comite palatino pro terra castri requisiuissent, et iudicio ferri candentis Orodini fuissent condemnati, mediante pristaldo nomine Eusii filio Elie de uilla Dran, et hoc ostendit testimonialibus literis Orodiensis capituli. quibus cum prenominati aduersarii eiusdem Martini contradicere non auderent, prefatus iudex ipsos condemnauit, et ut huius cause exitus indelebilis existat, utramque partem ad nos, per pristaldum nomine Menget filium Cochu de genere Tét Uaradinum destinauit, et execucionem cause

secùndum omnem descripcionem testimonio nostro fecit eternari.

(348) Pangracius filius Pete de uilla Cupa traxit in causam quosdam conuillanos suos, scilicet Aruad et filios eius, scilicet Chicham et Monost, coram Alexandro Uaradiensi episcopo, discretissimo et uero iudice, dicens quod fures essent regis, eo quod thesaurum inuentum, cum deberent regi non indicassent. quorum causam predictus episcopus discuciens, misit per pristaldum et seruientem suum nomine Tiburcium ad examen ferri candentis Uaradinum, ubi prefatus Monos filius memorati Aruad portato ferro mundatus est.

(349) Cum ignoraret homo finem dierum suorum, Mauricius sacerdos se et omnia sua Uaradiensis ecclesie protectioni, dum adhuc uiueret, commisit, et facultates suas taliter ordinauit, et seruum suum nomine Aruam constituit, ut post mortem suam sit pulsator ecclesie Uaradiensis. Mulierem autem quandam empticiam nomine Scepam dedit ecclesie, ut post mortem ipsius det ecclesie massam cere ponderantem duas marcas, filius uero eiusdem mulieris, et due filie, quinimo si quos ipsa eadem pareret, liberi forent omnino.

(350) Dionysius, Ysou et Puk patroni ecclesie sancti Andree de Zobodiau traxerunt in causam dusinicos eorum exequiales, scilicet Mour, Paulum, Laurencium, Ereust, Petam et alios, coram Eraclio yconomo et custode Uaradiensi, dicentes quod predicti dusinici cum minoribus expensis quam deberent seruicium eorum celebrarent. denique coram capitulo Uaradiensi, scilicet Ioanne preposito, Michaele cantore et aliis, et presente Micou pristaldo, et uicario nominati iudicis, controuersia predictarum parcium sic est sopita, quod sepedicti dusinici manere circa predictam ecclesiam deberent, et annuatim in festo s. Michaëlis seruirent insimul, quotquot essent, cum trienni boue,

centum panibus, XII idris cereuisie, et singule mansiones singulas missas celebrari facere tenerentur.

(351) Nos conuentus Uaradiensis contestamur omnibus, Ladislaum comitem de Bách talia nobis auctoritate iudiciali mandasse, quod causam Beniamin secundum tenorem litterarum, quas sub duplici sigillo nobis transmisit, in regestro scriberemus. est itaque tenor literarum talis: Ladislaus comes Bachiensis et iudex curie, omnibus ad quoscunque presencia peruenerint, salutem in domino. uniuersitati omnium notum esse uolumus, quod cum Ieremias, Bocou, Tocus, et Gegus, citarent Chomam pro quodam homine Beniamin filio Cusoy in presencia nostra, dixerunt eundem Beniamin seruum esse eorum, et filium ancille sue, supradictus Choma respondit suum esse cognatum et de genere suo. adiudicauimus itaque quod dictus Choma ueritatem sui sermonis attestacionibus suorum cognatorum ostenderet, quod et honestissime probaret. intelleximus igitur ut sacramento duorum cognatorum eius dictum Beniamin defenderet, iurauerunt inquam Choma et Azarias super altare sancti Ladislai Uaradini et Beniamin liberatus est. unde dedimus super hoc nostrum sigillum cum litteris presentibus, pristaldo existente Marco de Cheph.

(352) Clemens de uilla Irug oretenus nobis est contestatus, quod cum ipse cum pristaldo Ladislai comitis quendam libertinum suum fugitiuum nomine Tadeum uxoratum inuenisset, et nominatus iudex eundem libertinum cum uxore sua ei appropriasset, ipse scilicet Clemens pro salute anime sue taliter de uxore prefati libertini ordinasset, ut ipsa libera fieret, et quicquid feminini sexus de ipsa nasceretur libere condicionis essent, et quicquid masculini sexus fieret condicionem patris sequeretur.

(353) Augustino filio Schemcha sine omni herede mortuo, seruus ipsius nomine Paul, quem ipse Augustinus dusinicum exequialem monasterio sancti Ioannis Baptiste

reliquerat, ut singulis annis daret ecclesie unam ouem competentem, triginta panes, quinque idrias ceriuisie et in nullo penitus alio uel ecclesie uel cuiquam alii seruire teneretur, illi inquam Paulus uxorem suam nomine Bud, et filiam nomine Huga, que in porcionem duarum sororum iam dicti Augustini, scilicet Anne et Marie cesserant, et illis mortuis ad terciam sororem prefati Augustini nomine Magdalenam deuenerant, a consensu Cumpurdini et Gocholini cognatorum domini sui, redemit a prefata Magdalena, non tam pro precio tanto, quam pro anima sororum suarum, dimisit redimendas, quia sorores eius predictas ancillas liberas reliquerant.

(354) Ioannes filius Absolonis contestatus est oretenus, quod uendidisset quendam fugitiuum libertinum suum nomine Sanam filium Beg, fratri suo Paulo pro marca uncia minus.

(355) Usian de uilla Pulgar litigauit coram Ladislao comite Bachiensi et iudice curie cum Anthonio de uilla Bola, pro clandestina traductione serui sui nomine Michaëlis et duorum equorum. quod cum ille negasset, nominatus iudex misit eos per pristaldum nomine Gabrielem de uilla Gah Uaradinum, ad examen ferri candentis: ubi talis facta est inter eos conuencio, quod memoratus Anthonius daret aduersario suo nominato in festo sancte Marie Magdalene in uilla Uduori duas marcas fertone minus, iudici autem et pristaldo simul satisfacerent. si tamen supradictus Usian seruum suum fugitiuum illum alibi inuenire posset, pecuniam quam acceperat Anthonio reddere teneretur.

(356) Stephanus de uilla Chueytora impeciit Paulum de uilla Paul, et Petrum fratrem eius coram Betlem et Stephano uicariis Ladislai comitis de Bách et iudicis curie, de damno ad estimacionem duarum marcarum. quod cum illi negarent, memoratis iudices per pristaldum nomine

Marcum miserunt Uaradinum ad examen ferri candentis, ubi nominatus Petrus portato ferro pro se et fratre suo iustificatus est.

(357) Cum hereditaria porcio Nicolai filii Endus de terra Borozlou in ius Petri filii Petri ordine iudiciali cessisset, idem Petrus astruxit, quod prenominatus Nicolaus in terra eadem partem empticiam haberet preter hereditariam. quod cum coheredes eiusdem Nicolai, uidelicet Cepanus comes, Petrus, Ioannes et Paulus negarent, Ladislaus comes posuit super iuramentum eorundem condiuisorum, et dato pristaldo nomine Becha filio Petri misit eos Uaradinum, ubi cum iurare fuissent parati, procurator Petri nomine Hubec iusticiam aduersariorum domini sui recognoscens, non adiurauit eos, dimittens eis terram quam dominus eius Petrus pro empticia parte requisierat, conuenit eciam ille Hubuc iudici satisfacere in toto, pristaldo uero in parte. preterea supradictus Petrus requisiuit duas uillas, scilicet Gurbuc, et Fekethe, pro terra Nicolai ex donacione regis patri suo Endo collata, cui cum prenominati quatuor homines contradicerent, asserentes eas ipsi Nicolao cum ipsis esse hereditarias, et hoc testimonio multorum bonorum hominum comprobassent, predictus iudex per iam dictum pristaldum misit eos Uaradinum ad examen ferri candentis: ubi homo ipsorum portato ferro iustificatus est.

(358) Mog de uilla Poca cum aliis ioubagionibus castri Clus, scilicet Erdeu principe exercitus, Chicolou, Tenqueu, Pouca archiprecone, Cheycimam et Bulchu, uidentes de predicta terra castri partem ad duo aratra a quibusdam alienis, uidelicet Gotfredo, Farcasio, Uilo, Olberto, Petro, Andrea, et Fila, iniuste occupari, citauerunt illos ante Sebastianum comitem de Clus, iudicem a rege Bela delegatum, qui auditis responsis utriusque partis, per pristaldum nomine Forcos filium Choka de uilla Seldeu, misit ad examen ferri candentis Uaradinum, ubi prenominati actores

fecerunt portari ferrum, sed aduersarii eorum seipsos recognoscentes, subterfugerunt predictam terram castri prenominatis actoribus, et idem actores conuenerunt satisfacere iudici et pristaldo, et ut exitus huius cause indelebilis existat, predicte partes terram quesitam metis circumpositis fecerunt separari, quarum metarum una est in monte nomine Bursors, inde per uallem Kusol uadit ad Agosholm, et inde per uallem nomine Er uadit ad metam Uisata. sed preterea extra metas illas uersus septentrionalem plagam supradictus Mog habet ius sessionis ad spacium uiginti iugerum.

(359) Absolon filius Hurtu oretenus est nobis, scilicet capitulo Uaradiensi contestatus, quod uendidisset domine Iustine, uxori uidelicet Mice comitis, septem capita hominum, quorum nomina hec sunt: Mathka, uxor eiusdem Felicitas, et filii eorum Thomas, Tanalchu, et filie eorundem Maged et Ilegu.

(360) Ciues castri Bolondus de uilla Leginer: Motcu, Unuca, Hertugug, Luchy, Ugud, Baldu, Bila et alii impecierunt quosdam de eadem uilla filios ioubagionis sancti regis, scilicet Serkenteü, Marcel, Acel, Mogya et Us, dicentes, quod eorum essent conciues, simili officio, id est debito castrensium subiacentes. illi autem dixerunt se esse filios ioubagionum sancti regis, et hoc idem dixerunt, ut pristaldus eorum perhibuit, ioubagiones eiusdem castri, uidelicet Matha princeps exercitus, Chichur, Sceret, Mogy, Peremus, Thomas, Ind, Albeus, Gyurca, Poula, Budius, Henchu centuriones et alii, quorum testimonio Martinus comes eorum non contentus, per pristaldum nomine Nuetlen de uilla Olsuc misit ad examen ferri candentis Uaradinum, ubi prenominati actores seipsos recognoscentes, candentis ferri subterfugerunt iudicium, dicentes predictos aduersarios ipsorum esse filios ioubagionum sancti regis, et asserentes se falso de ciuili seruicio illos impeciisse.

(361) Humilis conuentus ecclesie Uaradiensis, omnibus presentes literas inspecturis salutem in domino. uniuersitati uestre notum facimus, quod anno dominice incarnacionis millesimo ducentesimo uigesimo primo, cum esset edictum a rege Andrea, quod terre castrensium requirerentur, ciues Békesienses de uilla Méhes, scilicet Otmar, Iuan, Berta, Toma et alii, coadiuuantibus eiusdem castri ioubagionibus, scilicet Sungud, Hysce, Iordan, Petro filio Simonis et aliis, impecierunt Solt filium Solt, dicentes quod terram castri nomine Scilos, cum prato et uirgulto, cum medietate paludis nomine Fas, uiolenter occupasset. hanc causam Tiburcius, Gyula, Alexander et Helias comites, uice regia discuciens, per pristaldum nomine Paulum de uilla Terecha filio Calanda, direxerunt ad examen ferri candentis Uaradinum, ubi prenominatus Iuan portato ferro pro se et conciuibus suis combustus est.

(362) Conuentus ecclesie Uaradiensis, omnibus presentes literas inspecturis eternam salutem in domino. Uniuersitati uestre notum facimus, quod cum Becea de Fokeheuu impeciisset quendam nomine Heyma de damno quadraginta et duarum marcarum facto per uiolenciam, Bocha uicarius Pauli uayuode discuciens eos, per pristaldum nomine Ceku misit ad examen ferri candentis Uaradinum: quo cum uenisset nominatus Becea cum pristaldo suo, quidam asserens se esse Heymonem illum de quo res agitur, ferri candentis subterfugit iudicium, dicens quod Bocha non esset iudex suus. Bocha itaque remandauit nobis per litteras suas, quod ipse esset iudex huius cause, et prenominatum Heymon sicut decet reum condemnasset. huius rei testes sumus.

(363) Ioubagiones castri Sumptey, scilicet Nicolaus, Ualentinus, Chug, Forcos, Ozorc et Chunad, cum comite eorum Zobozlou impecierunt ioubagiones tauornicos regine, qui sunt in uilla Monunya, scilicet Wot, Euzud, Uer-

met, Chunoz, Ilia, Teka, Cosma, Hata, Petrum, Micou, Urbanum et Thohmer, dicentes ipsos ciues castri Sumtey. illi autem, et preterea ioubagiones tauornicorum, scilicet Iardus et Caza, dixerunt eosdem esse ioubagiones tauornicos regine. quos Gyula curialis comes regine discuciens, per pristaldum Seruus dei de uilla Tesa ad examen ferri candentis direxit Uaradinum, ubi prenominati ioubagiones seipsos recognoscentes, iudicium ferri candentis subterfugerunt, dicentes se prenominatos ioubagiones tauornicos falso de ciuili condicione impeciisse.

(364) Humilis conuentus ecclesie Uaradiensis, omnibus presentes litteras inspecturis, eternam salutem in domino. uniuersitati uestre contestamur, quod ueniens ad nos quidam nomine Zoba (ut ipse dixit se uocari) statuit coram nobis duos ciues Ferrei castri, scilicet Miculam et Crachium, ut idem Zoba dixit de illis, asserens illos et omnes eorundem conuillanos de uilla Thozar impeciisse quosdam ministros regis, scilicet Czunam et Gregorium de uilla Caku, pro iniusta occupacione terre castri. cuius terre n. est. ipsos autem ministros regis respondisse, eandem terram esse hereditariam. Nicolaum comitem palatinum misisse utramque partem ad examen ferri candentis, per pristaldum nomine Simeonem filium Uid de uilla Ság, cuius ipse Zoba erat seruiens, Uaradinum, ubi taliter conuenerunt: quod prenominati ministri satisfacerent iudici et pristaldo, aduersariis autem eorum darent quartam partem terre predicte, tres uero partes in quinque porciones ita diuiderunt, quod tres de quinque acciperet Gregorius cum condiuisoribus suis superius, duos uero inferius Czuna cum consortibus suis.

(365) Micula, Crachun et alii de uilla Thazar traxerunt in causam Obulganum de uilla Saden pro fenili, coram iudice Nicolao comite palatino, qui discuciens utramque partem, misit per pristaldum nomine Symeonem de uilla

Ság ad candens ferrum Uaradinum, ut homo Obulgani ferrum portaret. in die autem leuacionis ferri predicti Micula et Crachun subterfugerunt iudicium ferri, dicentes quod non obsisterent absque ioubagionibus castri absentibus, cum quibus causam leuauerant.

(366) Cum esset edictum a rege Andrea, quod castrenses dispersos castri recolligerent, Bichorienses cum ioubagionibus eorum, scilicet Luca, Paulo, Tita et aliis impecierunt quosdam inseparabiles ioubagiones ecclesie Tedam, scilicet Bellum, Fib, et Boguan de uilla Apathi, dicentes quod ciues essent Bichorienses. abbas autem de supradicta ecclesia et Uilc patronus ecclesie eiusdem, cum Petro cognato Uilc dixerunt quod ioubagiones essent monasterii Tordensis inseparabiles. quos Tiburcius, Gyula et Helias comites, auctoritate regis huiusmodi causas iudicantes, posuere super iuramentum memorati Abbatis et predicti patroni cum predicto cognato suo. qui ueniens coram pristaldo eorum dominico de genere Rusd, iurauerunt super sepulchrum sancti Ladislai regis, et sic probauerunt quod essent ioubagiones prenominati de iure ecclesie predicte.

(367) Koeta de uilla Chokoha et Churna de uilla Umany ciues de Bursod, coadiuuantibus eiusdem castri ioubagionibus, scilicet Zadur, Petro, Dedo et aliis, impecierunt quosdam de uilla Pelg, Cikam, et item de uilla Tornua Nonam et Belcheam, hos inquam omnes impecierunt pro conciuibus suis. illi autem dixerunt se esse liberos et filios hospitis Boëmorum. quorum libertatem cum tenerent Puska de uilla Simon et Nuuhu de predicta uilla Mochuale, prenominati castrenses dixerunt ipsos quoque suos esse conciues. quorum causam iudices a rege Andrea delegati, scilicet Tomas episcopus, Pousa banus, Symeon comes, per pristaldum Gutman ad examen ferri candentis miserunt Uaradinum, ut prefati libertatum defensores, iu-

diciale ferrum pro se et pro illis, quos liberos esse decertabant, portarent. quo cum uenissent, peracto triduano ieiunio, predicti actores candentis ferri subterfugere iudicium, dicentes quod omnes prenominatos aduersarios eorum iniuste pro conciuibus suis impeciissent.

(368) Humilis conuentus ecclesie Uaradiensis, omnibus sancte ecclesie filiis eternam salutem in domino. uniuersitati uestre notum facimus, quod anno dominice incarnacionis millesimo ducentesimo uigesimo primo, cum esset edictum a rege Andrea quod terre castrorum a quocunque uiolenter occupate, castris restituerentur, Tiburcius, Gyula, et Helia comitibus a prefato rege in parochia Bichoriensi delegatis, uillani de Uruz et de Kolond et de Gontoy, coadiuuantibus eiusdem castri ioubagionibus, scilicet Luca principe exercitus, Tegeegu, Paulo et aliis, impecierunt filios Bocion, scilicet Georgium, Gylianum et alios omnes, dicentes quod terram castri ad ipsos pertinentem iniuste occupassent. illi autem responderunt eandem terram esse sibi hereditariam, et hoc testimonio comprouincialium probauerunt. prenominati itaque iudices utramque partem per pristaldum nomine Andream de Pulos direxerunt ad examen ferri candentis Uaradinum, ubi post triduanum ieiunium cum deberet ferrum portari, supradicti actores conuenerunt cum aduersariis ipsorum, dare eis terram metatam.

(369) Dominicus de genere Sentemacus impeciit quendam iuris militarem nomine Latibar, dicens quod sex capita seruorum, qui ab ipso fugerunt, apud ipsum inuenisset, et ipse eos occultasset. quod cum ille negaret, Mauricius uice-palatinus, per pristaldum nomine Martinum de uilla Scilos ad examen ferri candentis misit Uaradinum. ubi homo dominici portato ferro pro domino suo mundatus est.

(370) Ilabar et Andreas ioubagiones Laurencii, filii Pot impecierunt Stephanum seruientem Ioance de furto. iudice Zakaria curiali comite de Zathmar, pristaldo Buchida

de uilla Euru. predictus itaque Stephanus portato ferro Uaradini mundatus est.

(371) Ioannes de uilla Isepu impeciit quandam mulierem de uilla Potoc pro ueneficio, iudice Zuga curiali comite de Potoc, pristaldo Petro. predicta itaque mulier portato ferro Uaradini combusta est.

(372) Andreas de uilla Uolcaz impeciit Laurencium de uilla Bolu pro furto, coram Mauricio uice palatino, pristaldo Stephano de uilla Kopri. prefatus itaque Laurencius portato ferro Uaradini iustificatus est.

(373) Scorcomer filius Urbani comitis impeciit Micum filium Alexandri, et preterea quosdam de genere Misca, scilicet Michaëlem, Chepanum, Urbudinum et alios de predicto genere, dicens quod currus ipsius inuadentes, duos de seruientibus suis occidissent, et res ipsius ad estimacionem triginta marcarum abstulissent. illis autem se innocentes esse fatentibus, Thomas Agriensis episcopus, Simon quoque et Pousa atque Mauricius comites, uice regis iudices constitui, miserunt utramque partem, per pristaldum nomine Paulum de uilla Galya, ad examen ferri candentis Uaradinum, ubi homo predicti Scorcomer portato ferro pro domino suo combustus est.

(374) Anno incarnacionis domini M.CC.XIV. regnante gloriosissimo rege Andrea, Simone Uaradiensi episcopo existente. Iacou filius Pata emit a Bodun comite filio Eustachii terciam partem terre Solomun, porcionem scilicet ipsius Bodun comitis, loco sessionis et parte nemoris, ad eandem porcionem pertinente distinctis, agro autem ab una, tercia quidem parte data, sed indistincta, a parte Petus filii Chuley ad quem uidelicet pertinent due partes eiusdem terre. idem eciam ab eodem emit super eandem terram duos libertinos, scilicet Crachinum et fratrem eius Bucham. prenominatus autem Bodun comes testatus est se

uendidisse illa, et accepisse precium eorum totaliter, uidelicet uiginti et septem marcas.

(375) Abram de uilla Kaba impeciit conuillanos suos, scilicet Chekam et Modu de furto, iudice Smaragdo comite de Zounuc, pristaldo Som. sed Cheka et Modu portato ferro iustificati sunt.

(376) Echy de uilla Moyzun impeciit conuillanos suos, scilicet Gyndus et Suncud de furto, coram Zakeo curiali comite de Doboka, et idem matrem eorundem de ueneficio, coram Ioanne archidiacono, qui missi Uaradinum per pristaldum unum nomine Adam, portato ferro iustificati sunt. matrem uero eorum prefatus Echy subterfugit, dicens se falso illam impeciisse de ueneficio.

(377) Erricus de uilla Moyzun impeciit dominum Sumbug de furto, iudice Zakeo predicto, pristaldo Christophoro. Sumbug mundatus est.

(378) Us hodnogy impeciit Maraz, Stephanum, Albertum, Petrum et Uz, de uiolencia, dicens se per eos septem plagis uulneratum, et quinquaginta marcas ualens sibi esse ablatum. quos Katapanus Agriensis episcopus ex mandato regis Andree discuciens, ad candentis ferri iudicium per pristaldum nomine Leus de uilla Scenues misit Uaradinum. ubi taliter conuenerunt, quod prenominati aduersarii darent Us hodnogy coram capitulo Uaradinensi in dominica reminiscere decem et septem marcas, et idem iudici et pristaldo satisfacerent, et si hec non facerent, portarent regale iudicium.

(379) Buhus ioubagio castri Zathmar impeciit ioubagionem de genere Cupulon, scilicet Crachinum de uilla Malca pro furto. quos Banc comes palatinus et posoniensis discuciens ad praudam, per pristaldum nomine Luger misit Uaradinum, ubi Crachinus portato ferro iustificatus est.

(380) Philippus de uilla Uulchoi impeciit ioubagionem Stephani filii Moruc, scilicet dominum Tochi de tribus

marcis. quos Christophorus curialis comes de Clus discuciens ad praudam, per pristaldum nomine Chepanum misit Uaradinum, ubi homo Philippi, nomine Geus, portato ferro pro domino suo iustificatus est.

(381) Mox ioubagio Cosume impeciit hominem Bartholomei, scilicet dominum Sorlout pro uno equo, duas marcas ualente, ut pristaldus dixit, quos Bosou uice curialis comes de Zoholcz discuciens ad praudam, per pristaldum, nomine Micu misit Uaradinum, ubi dominus Mox combustus est. amen.

(382) Sicu de uilla Perceu impeciit conuillanam suam nomine Benedictam uxorem Uendég pro ueneficio, iudice Beniamin uice-archidiacono, pristaldo Perta. Benedicta combusta est.

(383) Solomun de uilla Achya impeciit conuillanum suum nomine Uendég de duabus marcis argenti et dimidia, iudice Beken curiali comite, pristaldo Ela. Solomun portato ferro iustificatus est.

(384) Chekes curialis comes Misca comitis impeciit ioubagiones Iordani filii Ilarii, scilicet Tecum, Dedemerum et Sumpou, de duodecim marcis, singulos de quattuor. quos Iordanus discuciens ad praudam, per pristaldum nomine Fyod misit Uaradinum. ubi Tecus conuenit dare aduersario suo marcam unam, et idem iudici satisfacere, ita quod partem pristaldi Chekez persolueret. Dedemer autem mundatus est. dominus uero Sumpou combustus est.

(385) Ioubagio Ioannis filii Absalonis impeciit Zamam uitricum Absalonis, dicens quod uxorem suam, et ancillam suam, et uestes uxoris sue ui abstulisset. iudice Banco comite palatino, pristaldo Leger. cum autem uentum esset Uaradinum, talis facta est inter illos conuencio, quod Zama in festo sancti Georgii redderet aduersario suo uxorem suam, in fide Ade filii Pata, quod nihil mali inferretur mulieri illi, redderet et ancillam suam et tres uestes, et

insuper unam marcam, idem eciam satisfaceret pristaldo, iudice uero Kaluz.

(386) Honod impeciit seruum Karolly nomine Petrum de uilla Hot pro furto, iudice Nuethlen curiali comite de Bichor, et Marca biloto, pristaldo uero Stephano. Honod renunciauit actioni cum uentum esset Uaradinum, dicens quod falsa opinione ducta illum impecierat.

(387) Seraphin de uilla Kourongy impeciit Farsium filium Petii conuillani sui de quattuor ouibus, iudice Iula filio Uate domino eorum, pristaldo Dica. taliter conuenerunt, quod iudici, pristaldo et loco simul satisfacerent, et domino ouium illarum eciam simul satisfacerent.

(388) Agya iobagio Cesari filii Legi impeciit dominum Engues de Kalatha pro furto. quos Nuethlen curialis comes de Bichor discuciens ad praudam, per pristaldum nomine Lucum de uilla Lomb misit Uaradinum. ubi Engues iustificatus est.

(389) Quid filius Olihrii comitis duxit in causam fratrem suum Herbortum, dicens quod non deberet ipse Herbortus esse particeps cuiusdam predii nomine Neuegy, cum illud predium pecunia matris sue, scilicet nouerce Herborti sit emptum, et ab eadem in morte sua coram patre suo Olibrio et fratribus patris sui, nec non aliis cognatis eius, sibi soli, utpote unico matris sue, fuerit relictum, et adduxit in testimonium Bos comitem, fratrem uidelicet patris sui aliosque cognatos et notos, et Micam comitem Bichoriensem. quibus testimonium unanimiter sibi perhibentibus, Banco comes palatinus posuit super iuramentum Bos comitis, dato pristaldo nomine Gyopol filio Nicus. qui Bos cum Uaradini paratus esset iurare, prenominatus Quid cum fratre suo Herborto taliter conuenit, quod ipse porcionem suam in predio Fegyuernuch, que hereditario iure ipsum contingit, fratri suo Herborto relinqueret, et ita predium Fegyuernuch a modo ipsius Herborti foret sine

participe ita tamen quod si quis de iam dicto predio quicquam requireret, ipse Quid datam a' se partem tueri non teneretur. preterea idem Quid dimidium sue porcionis in terra Baluc uersus Nesmer, retento sibi iure molendini, dedit eciam Herborto, et ita pro his omnibus sepe iam dictis Quid recepit solus consensu et pace fratris sui predium Neueg totaliter. amen.

RELIQUIÆ

SERMONIS MAGYARICI VETERIS.

FORMULÆ ALLOCUTIONUM IN FUNERE.

E codice ecclesiæ collegiatæ ad s. Martinum Posonii, sæculi XIII.

---

1. FORMULA LONGIOR.

1. Latiatuc feleym zumtuchel mic vogmuc . ẏsa pur es chomuv uogmuc.
2. Meny'i milostben terumteve eleve miv isemucut adamut.
3. Es odutta vola neki paradisumut hazóá.
4. Es mend paradisumben uolov gimilcíctul munda nekí elnie.
5. Heon tilutoa wt ig fa gimilce tvl.
6. Ge mundoa nekí meret nū eneẏc . ẏsa kí nopun emdul oz gimilstvvl . halal nec halaláál holz.
7. Hadlaua choltat terumteve istentul . ge feledeve.
8. Engede urdung intetvinec . es evec oz tiluvt gimilstvvl . es oz gimilsben halalut evec.
9. Es oz gimilsnec vvl keseruv uola vize: hug turchucat mige zocoztia vola.
10. Num heon muganec . ge mend w foianec halalut evec.
11. Horogu vec isten . es veteve wt ez munkas vilagbele . es leven halalnec es puculnec feze . es mend w nemenec.
12. Kic ozvc . miv vogmuc . Hug es tiv latiatuc szumtruchel . isa es num igg ember mulchotia ez vermut . ysa mend ozchuz iarov vogmuc.

13. Wímagguc uromc isten kegilmet ez lelic ert . hug iorgossun vv neki . es kegiggen . es bulcassa mend w bunt.
14. Es vimagguc szen achsin mariat . es bovdug michael archangelt . es mend . angelcut . hug uimaggonoc erette.
15. Es uimagguc szent peter urot . kinec odut hotolm ovdonia . es ketnie . hug ovga mend w bunet.
16. Es vimagguc mend szentucut . hug legenec neki seged uromc scine eleut . hug isten iv uimadsaguc mia bulsassa w bunet.
17. Es zoboducha wt urdung ildetuitvl . es pucul kinzot viatwl.
18. Es vezesse wt paradisū nugulmabeli . es oggun neki munhi uruzagbele utot . es mend iovben rezet.
19. Es keassassatuc uromchuz charmul . kirt.

---

1. Látjátok, feleim! szemetekkel, mik vagyunk. *Bisony* por és hamu vagyunk.
2. Mennyi malasztban teremté élö *isten,* mi ösünket Adámot.
3. és adta vala neki paradicsomot házává.
4. és minden paradicsomban való gyü mölcsökkel monda neki élnie.
5. egy fa gyümölcse hiján *heán* tiltá öt.
6. de megmondá neki, miért ne ennék : *mert,* melly napon eendel azon gyümölcsböl, halálnak halálával halsz.
7. hallá holtát teremtö istentöl, de feledé.
8. engede ördög intetének, és evék azon tiltott gyümölcsböl, és azon gyümölcsben halált evék.
9. és azon gyümölcsnek olly keresü vala íze, hogy torkukat megszakasztja vala
10. nem csak ö maga hiján, de mind ö fajának, halált evék.
11. haragvék isten, és veté öt e' munkás világba, és lön halálnak és pokolnak fesze *vésze,* és mind ö nemének.
12. kik azok mi vagyunk . a' hogy' ti is látjátok szemetekkel. *mert* egy ember sem és mulhatja ezen vermet, *mert* mind ahhoz járók vagyunk.

13. imádjuk urunk isten kegyelmét ezen lélekért, hogy irgalmazzon ö neki, és kegyelmezzen, és bocsássa mind ö bünét.
14. és ímádjuk szent asszony Máriát, és boldog Mihál arkangyalt, és mind angyalokat: hogy imádkozzanak érette.
15. és imádjunk szent Péter urat, kinek adatott hatalom oldania és kötnie: hogy oldja mind ö bünét.
16. és imádjunk minden szenteket, hogy legyenek neki segéd urunk színe elött: hogy isten ö imádságuk mia bocsássa meg ö bünét.
17. és szabadítsa öt ördög üld etétöl, és pokol kínzatától,
18. és vezesse öt paradicsom nyugalmába, és adjon neki menyországba útat, és minden jóban részt.
19. és keássatok urunkhoz hármul: Kyrie eleison.

---

1. *Videtis, fratres-mei! cum-oculo-vestro, quid sumus . certe pulvis et cinis sumus.*
2. *in quanta gratia creavit vivens-deus patrem-nostrum Adamum.*
3. *et dederat ei paradisum in domum-eius.*
4. *et ex omnibus in paradiso existentibus fructibus dixit ei vivendum.*
5. *tantum prohibuit eum ab unius arboris fructu.*
6. *sed dixit ei quare non comederet: certe die quo comederis de illo fructu, mortis morte morieris.*
7. *audivit mortem-suam a creatore deo, sed oblitus est.*
8. *cessit diaboli monito, et comedit de illo prohibito fructu, et in illo fructu mortem comedit.*
9. *et illius fructus tam amarus erat sapor, ut guttur-eorum ruperit.*
10. *non tantum sibi, sed omni genimini suo mortem comedit.*
11. *iratus est deus, et proiecit eum in hunc laboriosum mundum-intro . et factus est mortis et inferni expansus, et omni generi-suo.*
12. *Qui illi nos sumus . ut et vos videtis cum oculo-vestro . certe et non unus homo præterire-potest hanc scrobem . certi omnes ad illam accedentes sumus.*
13. *Oremus domini-nostri dei clementiam pro hac anima, ut misereatur ei, et gratiam faciat, et indulgeat omne peccatum eius.*
14. *Et oremus sanctam dominam Mariam, beatum Michaelem archangelum, et omnes angelos ut orent pro eo.*

15. *et oremus sanctum Petrum dominum, cui data est potestas solvendi et ligandi, ut solvat omne peccatum-eius,*
16. *et oremus omnes sanctos, ut sint ei iuvamen ante domini-nostri faciem, ut deus per orationem-eorum indulgeat peccatum eius.*
17. *et liberet eum a dæmonis persecutione et inferni cruciatu.*
18. *et ducat eum in paradisi requiem-intro, et det ei in cœleste regnum-intro viam, et in omni bono partem.*
19. *et clamato ad dominum-nostrum ter: Kyrie eleison.*

---

2. FORMULA BREVIOR.

Scerelmes braty'm uimaggomuc ez scegin ember lilki ert. kit ur ez nopun ez homus vilag timnuce belevl mente: kinec ez nopun testet tumetívc. hug ur uvt kegilmehel abraam. y'saac. iacob. kebeleben helhezie: hug birsagnop iv'tva mend vv scentii es unuttei cuzicum iov felevl iochtotnia ilezie vvt. est tivbennetuc. clamate III.

Szerelmes barátim! imádkozzunk ezen szegény ember lelkeért, kit úr ezen napon e' hamis világ tömlöczéből kimente, kinek ezen napon testét temetjük, hogy úr öt kegyelmével, Abrahám, Izsák, Jakób kebelébe helyezze: hogy birságnapra jutva minden ö szentei és önöttei közükön jobb felöl jogtatva, élessze öt. ét ti bennetüket. clamate ter kyrie eleison.

Amabiles fratres-mei! oremus pro huius pauperis hominis anima, quam dominus hoc die ex huius iniqui mundi carcere eliberavit, cuius hoc die corpus sepelimus: ut dominus cum per clementiam-suam ni Abrahami, Isaci, Iacobi sinum collocet, ut iudicii die adveniente, inter omnes sanctos-suos et electos-suos, dextram versus illocandum reviviscere-faciat eum. et vos ipsos. clamate ter: kyrie eleison.